

DE

# MATRIMONIO

## CHRISTIANO.



*Déposé en Belgique et en France.*

DE

# MATRIMONIO CHRISTIANO

LIBRI TRES

AUCTORE IO. PERRONE E SOC. IESU,

IN COLL. ROM. GEN. STUDIORUM PRAEFECTO.

EDITIO LEODIENSIS, AB AUCTORE RECOGNITA ET EMENDATA,
ET LOCUPL. INDICE AUCTA.

TOMUS SECUNDUS.

PATERNA COLLEGE LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, California

ALMA COLLEGE
2867
LIBRARY
P429
Alma, California

LEODII,

SUMPTIBUS ET TYPIS H. DESSAIN,

CANCELL. EPISCOP. TYPOGRAPHI.

MDCCCLXI.

210

19

DE

# MATRIMONIO CHRISTIANO

## LIBER SECUNDUS.

## DE POTESTATE LEGIFERA ECCLESIASTICA ET CIVILI IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

## SECTIO PRIMA

### DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM

### CAPUT I.

**Generalis idea ecclesiasticae potestatis in matr. christianum**

ARTICULUS. I. — Potestas in Matrimonium christianum Ecclesiae inest iure divino.

Quandoquidem de Ecclesiae potestate in matrimonium christianum accurate a nobis atque per partes hoc in libro disserendum est, iuverit in ipso tractationis exordio summis veluti lineis generalem quamdam eiusdem potestatis ideam adumbrantes inquirere cuiusmodi ea sit; quo iure insit Ecclesiae; quomodo suprema sit atque independens; quomodo Ecclesiae ita sit propria, ut ad eam exclusive pertineat; quae quidem distinctis articulis generali quadam ratione explicabimus. Ut omnis tamen ambiguitas tollatur, declaramus per ius in vinculum, de quo nobis in praesentiarum disserendum est, non intelligi potestatem vinculum, cum semel plenum extiterit, solvendi, sed conditiones ponendi, sine quibus oriri nequit, nec non inquirendi et decernendi, cum de vinculo, utrum validum sit, dubitatur.

Ac primo asserimus, Ecclesiam in matrimonium christianum potestatem habere et quidem iure divino: utrumque iisdem

argumentis *a priori* et *a posteriori* conficitur. A *priori*, quatenus ex ipsa natura sacramenti ea divina potestas colligitur; a *posteriori*, quatenus Ecclesia ipsa eamdem potestatem iugiter in matrimonium exercuit ut in rem sacram, eodem plane modo, quo potestatem circa alia sacramenta exercuit, nimirum iure divino.

Sane si coniugium christianum est sacramentum a Christo Domino institutum, eius administratio ac regimen Ecclesiae a Christo commissum est, prout eidem Ecclesiae collata divinitus est reliquorum sacramentorum moderatio atque administratio. Etenim eo ipso, quod sacramenta sint gratiae conferendae media ac vehicula a Christo instituta ad fidelium suorum sanctificationem ac salutem, eorum administratio Ecclesiae Christi concessa est, quae eosdem fideles regere debet et ad salutem aeternam perducere. Nemo, qui sapiat, hoc in dubium revocare poterit, quum et sacramenta sint media ad salutem potissima, et aeterna salus supremus sit finis ac meta ultima, ob quam aedificata est Ecclesia. Aut igitur ab adversariis negandum est, matrimonium esse vere et proprie novae legis sacramentum, aut negandum, auctore Christo Ecclesiam sacramentorum dispensatricem esse ac moderatricem. Cum vero neutrum sine fidei dispendio in dubium revocari possit, omnino infertur matrimonii christiani sacramentum, perinde ac sacramenta caetera, Ecclesiae auctoritati ac potestati fuisse tributum.

Dum vero dicimus, sacramenta eorumque administrationem Ecclesiae regimini, custodiae aut potestati a Christo fuisse commissa, non id de intima ipsorum substantia ac vi intellectum volumus, quae independens prorsus est ab Ecclesia, ac tota pendet ex Christi institutione. Scilicet eatenus sacramenta Ecclesiae potestati subsunt, quatenus Ecclesia sive declarare sive constituere potest, quae ad legitimam eorumdem administrationem pertinent, quaeque ad augustiorem formam conferre possunt. Hinc Ecclesiae est ritus determinare ac ceremonias, quae in illorum collatione servari debent; definire item tempus, locum, modum, personas, conditiones quae e re esse iudicaverit

ad dignam convenientemque eorum susceptionem ; nec non iudicium ferre, cum oboritur dubium, aut quaestio circa materiam, formam, ministrum, dispositiones suscipientium, ac caetera huiusmodi. Cum igitur ex praeiacto principio eadem sit ratio sacramenti matrimonii ac reliquorum sacramentorum, iure meritoque inferimus, et huius pariter sacramenti moderationem ad Ecclesiam pertinere.

Neque obest christiani connubii administros esse contrahentes ipsos, non autem sacerdotes, secus ac in aliis accidit sacramentis ; siquidem id non officit quominus hoc etiam sacramentum regimini subsit Ecclesiae. Nec enim possunt fideles sibi invicem hoc sacramentum conferre, nisi sub Ecclesiae auctoritate, cuius est eos ad coniugium, prout est sacramentum, admittere, ac providere, ut illud tanquam christiani, Ecclesiae subditi ac filii, iuxta statutas leges et suscipiant et administrent.

Itaque semel ac constitutum est iuxta perpetuam Ecclesiae fidem, christianorum coniugium vere ac proprie sacramentum esse a Christo Domino institutum, eo ipso consequitur, potestatem in matrimonium ad Ecclesiam divino iure pertinere. Quod vidit etiam Calvinus, qui venenum suum evomens adversus catholicam Ecclesiam, matrimonium dixit ab Ecclesia in sacramentorum album relatum fuisse, ut eo ipso in illud suam protenderet auctoritatem. « Dicas nihil aliud, (sic ille), quam abo- » minationum latebram quaesiisse (pontificios), dum e ma- » trimonio sacramentum fecerunt. Ubi enim id semel obtinuere, » coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt : quippe » res spiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda. Tum » leges sanxerunt, quibus tyrannidem suam firmarunt (1). » Adeo evidenter ex ipsa rei natura, seu ex sacramenti ratione a *priori*, logica necessitate deducitur, Ecclesiam in matrimonium ipsum divino iure potestatem habere.

Reliquum est ut eamdem veritatem evincamus ex facto,

(1) *Institut.* lib. IV. cap. 19. §. 37.

seu a *posteriori*. Quod ut assequamur, satis nobis erit percurrere ecclesiastica documenta, ex quibus universim patefiat, Ecclesiam quovis tempore in coniugia fidelium suorum hanc sibi tribuisse ac vindicasse divino iure potestatem. Huius autem rei tot sunt documenta, quot attulimus in superiore libro, dum ostendimus ab apostolica aetate matrimonium ut verum ac proprium sacramentum a Christo institutum semper in Ecclesia theoretice ac practice spectatum fuisse. Tot suppetunt documenta, quot sunt testimonia Patrum atque ecclesiasticorum scriptorum, qui agunt de matrimonio christianorum tanquam de re sacra, cui divina gratia ac multiplex Dei benedictio adnexa est per manus nimirum Ecclesiae. Quae cum a nobis iam adducta fuerint, eaque magno numero, necesse non est eadem hic denuo proferre.

Sed magis directe ad rem praesentem pertinent tot illae sanctiones, quibus Ecclesia constituit, ut nonnisi de sententia episcopi nuptiae fierent, *quo sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem*, ut loquitur S. martyr Ignatius (2). Quae quidem verba si apprime perpendantur, ostendunt iam ab initio receptum fuisse, ut coniugia a fidelibus non inirentur, nisi iuxta normas ab Ecclesiae pastoribus positas ; atque episcopi fuisse, omnibus perspectis, iudicare, utrum coniugium legitime celebrari posset. Id enim totum significatur dicto illo *de sententia episcopi*, quod ad simplicem notitiam, aut admonitionem et exhortationem coarctari nequit. Quum autem haec a viro apostolico scripta fuerint, merito proinde diximus Ecclesiam iam a suis initiis spectasse fidelium coniugium tanquam rem suam, seu circa quam ipsa decernere, statuere, ac iudicare deberet, eo ipso quod de sacramento divinitus sibi commisso ageretur (3).

(2) *In epist. ad Polycarp.* c. V. ed. Coteler. cuius integrum testimonium ita se habet : « Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi con- » iugium faciant, quo nuptiae etc. »

(3) Ne meris coniecturis innixi haec affirmasse videamur, iuverit hic describere, quae doctus Albaspinaeus adnotavit lib. I. *Observation. de veteribus Ecclesiae ritibus* observat. XXIV. ubi explanans verba Tertulliani : *Miror con-*

Huc etiam pertinent institutiones illae, quibus cautum est, ut nonnisi coram episcopo, aut sacerdote, seu in facie Ecclesiae, uti nunc loquendi usus obtinet, connubium celebraretur, et sic sancte omnia fierent, atque aditus iis abusibus occluderetur, qui a malesuada cupiditate oriri possent. Exinde omnis ille rituum ac caeremoniarum apparatus, quo Ecclesia, ut augustiorem redderet solemnem hunc actum, et coniuges ad contrahendum coram sacerdote alliceret, christianum connubium communivit atque adornavit. Tales fuerunt ritus ab Ecclesia vel instituti vel admissi uti traditio annuli, veli, coronae, caeterorumque eiusmodi, preces praesertim ac benedictiones, quibus et divinum auxilium super nubentes Ecclesia ipsa imploraret, atque ob oculos veluti subiiceret gratiam illam, quae foederi nuptiali inest, si rite celebretur (4).

Ex eadem Ecclesiae auctoritate receptum fuit ab immemorabili, ut intra missarum solemnia, seu in ipsa sacrificii oblatione ut plurimum inirentur coniugia, peracta confessione, atque eucharistia percepta (5). Constitutum pariter est, ut novi

*siliariorum praevaricationem* ; item ea quae leguntur in eiusdem libro De monogamia : *petere maritum ab episcopo a vidua.* « Reperi, inquit, in » Ecclesia olim statutum ne quisquam uxorem duceret, aut de nuptiis cogi» taret, quin prius Ecclesiam, id est episcopum, sacerdotes, viduas, caeteo rumque clerum consuluisset eisque conditiones futuri coniugis, statum, » religionem, sectam, patriam denique et aetatem exposuisset.»

Et paulo post : « Nuptias neque facere, neque de iis cuiquam mulierum fas » erat cogitare, quin prius per easdem viduas (diaconissas) episcopum » consuluissent. Petere igitur maritum a vidua, est cum vidua communicare » (et per hanc cum episcopo) cui, aut qua de causa quaepiam nubere vellet. » In eamdem plane sententiam accipienda sunt, quae eodem libro leguntur ; » *et illi plane sic dabunt uxores et viros quomodo buccellas* ; dare enim uxores » et viros, nihil aliud est, quam nubendi potestatem facere. » Inter opp. Sirmondi ad calcem libri XII. Facundi Hermianens. pag. 48. et opp. Albaspinaei. Paris, 1623. pag. 175.

(4) Plerique eiusmodi ritus iamdiu obtinebant in nuptiis Hebraeorum et Ethnicorum, quos Ecclesia adscivit ac sanctificavit. Cf. Martene *De antiqu. eccl. ritib.* lib. I c. IX. not. 3 et 4. Goarium in *Euchologio* not. in *officium coronation.* p. 397 seqq. I. A. Fabricium in *Bibliographia antiquaria* cap. XX.

(5) Tertullianus in lib. I. *Ad uxor.* cap. IX iam meminit *oblationis* in cele-

sponsi per triduum in continentia se in tanti sacramenti obsequium ac reverentiam servarent (6).

Cum vero temporis tractu Ecclesia experimento didicisset abusus plures irrepere in nuptiarum celebratione , factum est, ut pluribus legibus eas communiret quavis aetate, ut ea qua par est sanctitate inirentur , adeo ut perenni usu Ecclesia potestatem suam in christianorum coniugia palam ostenderit.

Hinc quoties aliqua exorta est controversia circa alicuius coniugii naturam, valorem, legitimitatem , nec non circa sponsalia, separationem etiam quoad torum, aliaque eiusmodi, toties reperimus illam fuisse ab Ecclesia discussam atque definitam (7). Plura item antiquitus constituta sunt circa secundo , tertio ulteriusque repetitas nuptias, quae deinceps partim immutata sunt, partim obsoleverunt (8). Sic plura sancita sunt circa tempus et locum, quibus coniugium iniri posset (9).

Ab his singillatim afferendis abstinemus, cum nobis in praesenti articulo unice propositum fuerit ostendere generatim, Ecclesiam tum divinitus habere, tum iugiter sibi divino iure in christianorum coniugia potestatem vindicasse.

ARTICULUS II. — Potestas Ecclesiae in Matrimonium christianum suprema est et independens.

Optima ratio dignoscendi naturam potestatis ecclesiasticae, de qua disserimus , est diligenter inspicere materiam circa

bratione matrimonii dicens : *confirmat oblatio ;* quae verba omnino intelligi debere de sacrificio missae et communione ostendit Albaspinaeus in notis ad hunc locum.

(6) De qua continentia fuse scribit Martenius loc. cit. c. IV.

(7) Cf. Phillips *Du droit Ecclésiastique dans ses principes généraux*. Trad. Crouzet. Paris 1850. tom. deux. liv. I. §. CIX. pag. 403.

(8) Haec omnia collecta sunt apud Chardon *Hist. des sacremens* tom. VI. *Hist. du mariage* ch. IV. art. 1. et 2. ex quibus patet a nonnullis privatis et particularibus ecclesiis interdum erratum fuisse : quare quae ab ipsis perperam constituta sunt vel ab Ecclesia universa, vel a Rom. pontificibus sunt emendata.

(9) Ibid. chap. III

quam versatur, et modum quo in praxim deducta est. Si enim materia ipsa, utpote spiritualis omnino et sacra, supremam et independentem Ecclesiae potestatem suapte natura requirat; si Ecclesia a suis usque initiis hoc plane sensu sine ulla prorsus dependentia eam collatam sibi divinitus esse intellexerit, ac iugiter exercuerit: profecto nemo inficias ibit, eiusmodi potestatem iure meritoque dici independentem atque supremam.

At vero, si primo materiam, circa quam potestas versatur, inspiciamus, ea est matrimonium christianum verum propriumque sacramentum. Huic fundamento potestas Ecclesiae eaque suprema et independens innititur. Semel ac coniugium, quod antea in officium naturae, ac si placet, in societatis bonum constitutum erat, ad sacramenti dignitatem evectum est, eo ipso Christus Deus-homo ac supremus Dominus sine ulla prorsus ab hominibus dependentia in tota sua plenitudine supremam Ecclesiae suae potestatem contulit in sacramentum matrimonii, quod ipse instituit.

Nimirum eadem ratione Ecclesiae commissum est matrimonii sacramentum, qua caetera sacramenta eidem Ecclesiae administranda commissa sunt; scilicet ea est collata suprema potestas, quae necessario requiritur, ut Ecclesia Christi ipsius vice fungens decernat atque iudicet de conditionibus appositis aut apponendis, ut nil desideretur, quominus et ex parte tum materiae tum formae, et ex parte ministri, et ex parte suscipientis, rite sacramenta singula conficiantur ac suscipiantur.

Ecquis enim alius praeter Ecclesiam poterit iure decernere, ac sententiam ferre in iis, quae ad sacramentorum valorem, aut dignam collationem aut susceptionem requiruntur? Ridiculum plane atque absonum foret contendere, Ecclesiae non inesse supremam independentemque potestatem iudicandi de materia, forma, subiecto, ministro Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, aut Ordinis; deque aliis adiunctis, quae horum omnium sacramentorum administrationem ac susceptionem praecedunt aut comitantur. Hinc nunquam hac de re excitata quaestio est. Cum Donatistae

errorem rebaptizantium adoptantes contenderent, non solum ab haereticis, verum etiam a malis ministris administratum baptisma nullius esse valoris; cum Montanistae ac Novatiani nonnulla esse peccata docerent, quae virtute clavium remitti aut solvi non possent; cumque Callixtini necessariam ad salutem esse utriusque eucharistici symboli sumptionem effutirent : nonne iure ab Ecclesia supremo iudicio iudicati ac damnati sunt, perinde ac reliqui omnes, qui simili ratione Ecclesiam incusarunt circa aliorum sacramentorum administrationem? Nonne pari ratione reiecti ab Ecclesia sunt Montanistae ac Novatiani primis seculis, quaemadmodum medio aevo Cathari, Albigenses proscripti sunt, qui pariter circa sacramentum poenitentiae aut sacri ordinis turpiter errarunt? Quandonam principes aut seculares potestates sese hisce negotiis immiscuerunt, aut contenderunt, Ecclesiam haud posse absque dependentia a potestate civili suam exercere potestatem? Quandonam Ecclesiae auctoritatem in sacramenta obnoxiam suis legibus atque statutis principes laici autumarunt? Certe nihil eiusmodi in tota sacra antiquitate invenietur. Cur enim vero, nisi quia omnibus semper persuasum fuit, Ecclesiae potestatem in sacramentorum administratione ex Christi ipsius voluntate supremam atque independentem esse oportere?

Nisi igitur certis ac indubiis argumentis ostendatur aut aliquod interpositum esse discrimen inter sacramentum christiani coniugii ac caetera sacramenta, aut Christum Dominum aliquam pro hoc solo sacramento exceptionem fecisse, iure nos concludimus, eadem ratione independentem atque supremam esse Ecclesiae potestatem in connubii christiani sacramentum, ac suprema et independens est eiusdem Ecclesiae potestas in sacramenta reliqua.

Iam vero discrimen intercedere inter matrimonium, prout est sacramentum, ac sacramenta reliqua nequit ostendi. Etenim sacramenta signa sunt gratiae efficacia, pariter matrimonii sacramentum gratiae signum efficax est. Unicum quod urgetur discrimen illud est, quod matrimonium non modo sit sacra-

mentum, verum etiam contractus. Haec porro distinctio inter contractum sive naturalem sive civilem et sacramentum in connubio christiano explosa est in libro superiore, in quo ostendimus, quam inanis in concreto sit huiusmodi distinctio, quae nonnisi ratione et mentis conceptu admitti potest, minime vero in re, ita ut duae entitates reales contractus et sacramentum haberi debeant, cum iuxta catholicam doctrinam christianum coniugium nihil aliud sit in suo formali conceptu, quam ipse contractus evectus ad dignitatem sacramenti, seu pressius adhuc, quam ipse contractus effectus a Christo sacramentum aut in sacramentum conversus. Itaque eo ipso, quod Christus nuptialem contractum sacramentum effecerit, non amplius dispesci aut separari potest ratio sacramenti a ratione contractus, et viceversa, sed *re* duo haec unum idemque sunt (10); aut iuxta nonnullorum sententiam contractus nuptialis pars est essentialis ac materia proxima *ex qua* fit sacramentum, qui ex divina dispositione Ecclesiae reginini traditus est, in quem ipsa plenam supremamque exerceat potestatem. In qua cumque hypothesi, aut ipsemet contractus est sacramentum, ut nunc certo tenet vera sententia, et nullum dubium quin subsit Ecclesiae potestati, ut constat ex dictis; aut est materia proxima et essentialis sacramenti, et iterum patet ab ipso sacramento esse inseparabilem, adeoque Ecclesiae potestati subesse.

Neque realis poni potest distinctio relate ad personas, quae ad contrahendum conveniunt. Etenim licet antequam contractum faciant spectari debeant uti cives, ac propterea politicae subsint potestati, cum tamen actu ineunt coniugium per mutuum consensum, seu efficiunt contractum nuptialem, uni subduntur Ecclesiae, quum eo in actu eaedem personae, aut ipsum efficiant sacramentum per illum eundemque actum, quo contrahunt, aut per contractum ponant materiam proximam sacramenti, quod ad Ecclesiam unice pertinet. Ad eum nempe

(10) Vid. lib. I. sect. I. cap. I. art. 1.

modum, quo aqua, panis, vinum ac res caeterae, quae sacramentis conficiendis inserviunt, quamdiu non sunt nisi materia remota sacramentorum, profanae res sunt, atque hominum curae permissae: cum vero ex illis sacramenta conficiuntur, seu quum accedente forma materiam proximam sacramentorum constituunt, sacrae res sunt ad solam pertinentes Ecclesiam; sic contrahentes per actum, quo se coniugio copulant ac sibi invicem administrant sacramentum, sub regimine solius Ecclesiae, quatenus contrahentes sunt, constituuntur.

Nullo idcirco existente sive intrinseco, sive extrinseco discrimine inter caetera sacramenta et sacramentum christiani connubii, unde peti possit aut debeat diversus ecclesiasticae potestatis gradus relate ad hoc unum sacramentum, reliquum est, ut expendamus utrum Christus sacramentorum auctor et institutor aliquam fecerit exceptionem quoad sacramentum coniugii, unde inferri possit Salvatorem coarctasse Ecclesiae potestatem, ita ut respectu istius sacramenti independens non sit atque suprema. Verum huius exceptionis nuspiam in sacris litteris vestigium apparet. Quin potius, si ratio habeatur eorum, quae Christus ipse circa matrimonium constituit, inferre deberemus peculiarem in coniugia auctoritatem ipsum exercuisse. Siquidem Christus non modo naturalem contractum nuptialis foederis sacramentum effecit, verum etiam sustulit indultam veteribus polygamiam, nullo habito respectu ad politicam potestatem; abrogavit concessum a Mose repudii libellum; respuit omnes perfecti divortii faciendi causas, ut suo loco ostendemus. Nempe omnimodam plane ac supremam in coniugium auctoritatem patefecit, atque idcirco exemplo suo Ecclesiam docuit, ei plenam, independentem, supremamque competere in coniugium potestatem.

Concludamus igitur, sacramenta omnia uno eodemque modo Ecclesiae commissa a Christo fuisse; ac propterea, cum omnibus fatentibus, ita reliqua omnia Ecclesiae commissa fuerint, ut ipsa in illorum administratione ius plenum, supremum ac independens a quavis seculari potestate consecuta sit, eam-

dem plenam, supremam, ac prorsus independentem potestatem in christianum coniugium accepisse, quod non secus ac alia verum est propriumque sacramentum.

Sed ne forte haec ecclesiasticae potestatis independentia videatur abstracta tantum atque idealis conclusio ex natura sacramenti petita, rationem, qua in praxin tradita potestas deducta est ab Ecclesia, paulo diligentius investigemus. Prout enim ab initio constituimus, si Ecclesia, quae hanc potestatem a Christo obtinuit, vel a prima sua institutione eam et intellexit et exercuit uti supremam, independentem, iure optimo ut talis habenda est. Porro ita Ecclesiam intellexisse atque executioni mandasse potestatem sibi factam in coniugio christianorum, nullo negotio demonstrari potest.

Atque ut omittamus apostolum Paulum, qui in I. ad Corinth. VII. plura, auctoritate sibi a Christo tradita, circa coniugia constituit sive fidelium cum infidelibus, sive fidelium inter se, pluresque sibi propositas hac de re quaestiones diremit, nulla interposita potestatis civilis mentione; quia reponi posset, ipsum potestate extraordinaria fuisse potitum, utpote apostolum, alia iam in promptu habemus argumenta, quae nullam exceptionem patiuntur.

Compertum est, Ecclesiam per tria fere continenter secula sub Ethnicorum imperatorum politico regimine ac potestate extitisse. Haec vero est aptissima aetas, qua, quid Ecclesia potestate sibi insita, propria, suprema ac independente a regimine politico principum praestare possit, certo innotescat. Si constiterit, tota illa dirae ac immanis persecutionis periodo, plenam prorsus ac supremam et ab ethnicorum principum legibus atque statutis immunem potestatem in sacramentorum administratione, praesertim vero in iungendis nuptiis sibi vindicasse, evidens erit Ecclesiam uti supremam et independentem intellexisse semper eam potestatem, quam a Christo accepit; adeoque hanc esse Christi ipsius mentem, qui eam facultatem contulit. Porro ab haereticis quibuscumque et a regalistis inquirimus, ut ipsi nobis patefaciant, an Ecclesia

aliquando ad rite ac legitime sacramenta administranda a magistratibus illius aetatis facultatem aliquando petierit aut saltem fideles docuerit, ut eam ipsi exposcerent, ut legitime coniugia contraherent.

Proferant, si quod habent, Neronis, Decii aut Diocletiani diploma, quo Ecclesiae christianae facultas data fuerit aliquando quidpiam eiusmodi perficiendi, quod ad sacramenta, aut ad nuptias iungendas iuxta Ecclesiae leges referatur. Proferant libellum supplicem aliquem a christianis exhibitum principibus, aut magistratibus, ut sese legibus conformare possent, quibus ab Ecclesia obstringebantur. Quod si nihil eiusmodi proferre possunt, fateantur oportet, Ecclesiam toto illo tempore plena absolutaque potestate hac super re potitam fuisse.

Iam vero si Ecclesiae potestas sub ethnicis principibus circa sacramenta in genere, ac in specie circa coniugia, plena fuit ac independens, nulla assignari ratio potest, quare illam sub christianis principibus aliquando amiserit, cum scilicet principes in Ecclesiae sinum recepti et cooptati sunt, subditique eidem sunt facti, discipuli ac filii, non autem domini aut magistri. Illorum ad christianismum conversio accepta referri debet Dei gratiae, qui eos praevenit et in sortem vocavit filiorum Dei, atque Ecclesiae, quae eos admisit in sinum suum lustrali lavacro aluitque doctrina sua. Immutata quidem per hanc conversionem fuit illorum conditio, sed conditio Ecclesiae eadem permansit quoad naturam ac praerogativas suas perseveravitque. Nullum prorsus ius illi in Ecclesiam acquisiverunt, sed novas cum ea relationes adepti sunt, iuxta quas interdum legislationem suam temperare debuerunt ac harmonice cum legislatione Ecclesiae ordinare; quin Ecclesiae imperarent, eidem potius obtemperare debuerunt in iis, quae Ecclesia divinitus accepit, ac iugiter exercuit, ante quam principes ad christianam religionem converterentur.

Revera si veterum documenta consulimus, Ecclesiam tum ante tum post principum conversionem supremam atque inde-

pendentem potestatem circa nuptiale foedus christianorum exercuisse comperimus. Ac de prima quidem epocha sub Ethnicis imperatoribus testis est Tertullianus, qui perhibet prohibitas christianis nuptias cum paganis fuisse, dum scribit : « Coro- » nant et nuptiae sponsos, et ideo non nubimus Ethnicis, ne » nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiae » incipiunt (11). » Et iterum : « Fideles gentilium matrimonia » subeuntes, stupri reos esse constat, et arcendos ab omni » communicatione fraternitatis, ex litteris Apostoli dicentis, » *cum eiusmodi nec cibum quidem sumendum*. Aut, numquid » tabulas nuptiales die illo apud tribunal Domini proferemus ? » Et allegabimus quod vetuit ipse ? Non adulterium est, quod » prohibitum est, non stuprum est? Extranei hominis admissio » minus templum Dei violat : minus membra Christi cum » membris adulterae commiscet. Quod sciam, non sumus nos- » tri, sed pretio empti : et quali pretio ? sanguine Dei. Lae- » dentes igitur carnem istam, eum laedimus de proximo (12).» Quibus, ut patet, Tertullianus, cum agatur de disparitate cultus, non provocat ad leges civiles, quae profecto de hoc

(11) *De coron. milit.* c. XII.

(12) Lib. II. *Ad uxor.* cap. III. ad quae verba hoc adiecit Rigaltius commentarium « Erant scilicet, quae maritis non christianis nuberent, ac nihilomi- » nus in Domino nubere crederent : nuptiis videlicet iustis ac legitimis, et » liberorum quaerendorum, non libidinis causa ; verum hosce colores diluit » Tertullianus, conversusque ad uxorem : non satis est, inquit, rite ac legi- » time nupsisse, et coniugii fidem sancte coluisse : nec tibi causam ante » Domini tribunal dicenti, quicquam proderit tabulas nuptiales proferre ; nam » tabulas allegando, coniugium allegabis cum infideli, et allegatione tua » teipsam damnabis peccati, quod evitari Dominus per Apostolum iussit. Quid » enim his verbis : *Tantum in Domino* vetitum putas ? Stuprum ? adulterium ? » Haec alio quidem capite vetantur, non isto. Christianus seu vir, seu foe- » mina, templum Dei est. Foemina christiana, quae viro nubit non christiano » templum Dei contaminari et inquinari patitur ; imo turpius quam adultera. » Nempe alieni viri admissio templum illud minus violat, minus membra » Christi cum membris adulterae commiscet. Quod ut scias ac diligenter per- » pendas etiam atque etiam volo. Non sumus nostri, sed pretio empti, et » quidem sanguine Dei. Laedentes igitur carnem istam, Deum laedimus de » proximo qui carnem eius laedimus, carnem sanguine ipsius redemptam. » Haec omnino fuit mens Tertulliani. »

nihil statuerant, sed ad sacram Scripturam, et ad Ecclesiae consuetudinem legemque.

Testis praeterea est S. Basilius, qui agens de impedimento orto ex primo affinitatis gradu in linea collaterali iuxta supputationem canonicam, quam aliqui effutiebant vetitam haud esse in Levitico, eo quod ageretur de coniugio ineundo cum sorore uxoris defunctae, eos redarguit innixus consuetudine Ecclesiae *et antiquae Patrum traditioni atque statutis sanctorum virorum.* Sic enim scribit: « Primum quod in eiusmodi rebus maximum » est, *morem nostrum obiicere* possumus, ut vim legis haben- » tem, eo quod nobis *a viris sanctis traditae sunt regulae.* Mos » autem ille est eiusmodi, ut si quis impuritatis vitio aliquando » victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, » neque id matrimonium existimetur, neque omnino in Ecclesiae » coetum admittatur, priusquam a se invicem dirimantur. Quare » etiamsi nihil aliud dici posset, satis esset ipsa consuetudo ad » boni custodiam (13). » Haec consuetudo, haec regula, mos hic vim legis obtinens repetitur a S. Basilio ex antiqua traditione, seu ab aetate illa, in qua adhuc Ecclesia sub principibus Ethnicis degebat, alioquin recens fuisset eiusdem institutio ac proinde memoria. Hac de causa documentum istud retulimus veluti spectans ad epocham, quae praecessit principum conversionem. Porro in eo ne verbum quidem de principum legibus.

Aliud huius rei documentum nobis exhibet pro illa aetate concilium Illiberitanum, quod longe verisimilius an. CCCV. celebratum est, seu vigentibus adhuc persecutionibus (14). Hoc enim concilium can. LXI. constituit: « Si quis post obitum » uxoris suae sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quin- » quennium placuit communione abstinere (15). » Et in can. LXVI. severius adhuc ab eodem concilio vetitae fuerunt nup-

(13) Epist. CLX. ad Diodorum n. 2. ed. Maur. tom. III. pag. 249.
(14) Cf. card. De Aguirre *Concil. Hispan.* tom. II. diss. I. n. 18.
(15) *Acta conc.* Harduin tom. I. col. 256.

tiae inter ascendentes et descendentes in primo affinitatis gradu, siquidem illis, qui eas attentassent, Ecclesiae communio in perpetuum denegata est. « Si quis privignam suam duxerit » uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam » esse communionem (16). » Rursum can. XV. prohibetur coniugium christianarum virginum cum ethnicis : « Propter » copiam puellarum, gentilibus minime in matrimonium dan- » dae sunt virgines christianae, ne aetas in flore tumens, in » adulterio animae resolvatur (17). » Demum can. XVII. sub perpetuae excommunicationis interminatione prohibetur, quominus parentes filias suas nuptui tradant idolorum sacerdotibus : « Si quis forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerit, » placuit, nec in fine eis dandam esse communionem (18). »

Hic non contendimus, in his aliisque documentis, quae afferri facile possent ex primaeva illa aetate agi de impedimentis matrimonium dirimentibus, hanc quippe controversiam nunc seponimus, cum alias de ea singillatim sermo fieri debeat ; sed illud unum asserimus, quod nemo inficiari poterit, quin omnia respuat aut in dubium revocet, quae allata sunt documenta, primis rei christianae seculis, seu sub ethnicis imperatoribus, Ecclesiam nomine et auctoritate propria, adeoque plena, suprema ac independente plura circa matrimonium fidelium constituisse, illudque ut rem suam, seu sibi a Christo traditam ab initio spectasse. Asserimus praeterea, ex iisdem documentis constare, Ecclesiam suis in sanctionibus nullam iniecisse de civilibus legibus, et de politica potestate mentionem ; sed constanter provocasse aut ad sacras litteras, aut ad apostolicam traditionem, aut ad consuetudinem maiorum, aut denique ad sanctorum virorum statuta, ad honestatem sanctitatemque christiani coniugii, ac se plane autonomam in christiano coniugio regendo patefecisse.

Quod demum vetustissimis illis temporibus iam Ecclesia

(16) Ibid. col. 257.
(17) Ibid. col. 252.
(18) Ibid.

fidelium coniugia ritibus, precibus benedictionibusque communiverit quibus, significaret connubialem fidelium coniunctionem, gratiam utpote novae legis sacramentum, conferre, testis est iterum locupletissimus Tertullianus dum eius matrimonii celebrat felicitatem, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, seu eucharistiae celebratio, et obsignat benedictio (19); quique alibi inter caeteros nuptiarum ritus velum etiam commemorat, quod sponsa de sacerdotis manibus accipiebat, quodque distinguit a velo quod christianis virginibus dabatur, scribens: « Et desponsatae quidem habent exemplum Rebeccae, quae » cum ad sponsum ignotum ignota duceretur... si autem ad » desponsationem velantur etc. (20). » Quod clarius postea expressit S. Ambrosius dum ait: « Ipsum coniugium velamine » sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat (21). » Poenis vero ecclesiasticis sancita fuisse, quae constituta fuerant circa coniugia, ex allatis concilii Illiberitani canonibus apertum fit.

Et haec de prima aetate sub imperatoribus infidelibus; eadem autem ratione se gessisse Ecclesiam in altera periodo, quae coepit sub imperatoribus christianis, ita ut propria auctoritate, eaque plane independente ab ipsorum politica potestate connubia christiana moderata sit, adhuc luculentiora documenta evincunt. Nam in concilio Neocaesariensi, quod celebratum est ante concilium Nicaenum, vetatur iniri coniugium a muliere cum defuncti coniugis fratre sub interminatione excommunicationis usque ad mortem; neque indulgentia delinquenti in vitae exitu conceditur, nisi sub expressa conditione, quod si supervixerit, vinculum solvat eiusmodi incesti coniugii. En canonis II. verba: « Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur » usque ad mortem. Veruntamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, huius con- » iunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae conse-

(19) Lib. II. *Ad uxor* cap. VIII.
(20) *De virginibus veland.* cap. XI.
(21) Epist. XVII. ad Vigil. ed. Maur.

» quatur (22). » Et in conc. Ancyrano pariter ante Nicaenum habito statuitur, ut puellae alicui iam desponsatae, quae postea ab altero raptae fuerint, e raptorum manibus eripiantur, restituanturque illis, quibus fuerant desponsatae, quamvis a raptoribus violatae fuissent : « Desponsatas puellas, et postea ab » aliis raptas, placuit erui et his reddi, quibus fuerant ante » desponsatae, etiamsi a raptoribus florem pudoris sui amisisse » constiterit (23). » De eodem raptus crimine egit S. Basilius in epist. canonica ad Amphilochium. « Qui ex raptu, inquit, » mulieres habent, siquidem aliis iam desponsas abripuerint, » ante admittendi non sunt, quam ab eis ablatae sint, et eorum » quibus ab initio desponsae erant, potestati redditae, utrum » eas velint accipere, an desistere ; si quis autem vacantem » acceperit, auferre quidem oportet, suisque restituere, et » ipsorum voluntati permittere, sive sint parentes, sive » fratres, sive quivis alii puellae moderatores ; ac si ei quidem » tradere velint, oportet matrimonium constituere, sin autem » renuerint, nequaquam vim inferre (24). »

In eadem epistola, ac in altera quam prius ad eumdem Amphilochium dederat S. Basilius alia plura constituit circa coniugia, quae successive contrahebantur a trigamis et polygamis, ac circa canonicarum matrimonium, de quo in specie statuit : « Canonicarum stupra pro matrimonio non reputentur, sed » earum coniunctio omnino divellatur. Hoc enim et Ecclesiae » ad securitatem est utile, et haereticis non dabit adversus » nos ansam, quasi per peccandi libertatem ad nos attraha- » mus (25). » Caetera, quae de variis coniugiis disserit S. Pater in utraque canonica epistola, silentio praetereo. Plura item con-

(22) Ex interpretat. Dionysii Exigui apud Harduin. *Acta concil.* tom. I. col. 282. Celebratum est autem. an. 314.

(23) Can. XI. ex vers. Dionys ibid. col. 276. eodem an. 314. celebratum hoc concilium est.

(24) Epist. II. canon. ad Amphiloch. n. CXCIX. can. 22. ed. Maur. Opp. tom. III.

(25) Epist. CLXXVIII. can. 6. De eodem argumento disserit in altera epist. cit. can. 18. Quid *canonicarum* nomine S. Basilius significet, ambiguum

stituerunt Rom. pontifices circa nuptias, inter quos S. Syricius in epistola ad Himerium, episcopum Tarraconensem, irritum declarat coniugium monachorum, prout iamdiu receptum erat sive in orientali sive in occidentali ecclesia (26), nec non sacerdotum ac levitarum (27), perinde ac in epistola ad Afros (28). Ita etiam se gessit S. Innocentius I. (29), et S. Leo M. (30); ut omittam, quae statuerunt concilia, quae quarto et quinto seculo celebrata sunt, cum de his postea recurrat sermo quando de impedimentis dirimentibus, eorumdemque statuendorum potestate disseremus (31).

Ex his nihilominus, quae hactenus protulimus aut indicavimus, satis apparet veritas eorum, quae affirmavimus, tum nempe a prima Ecclesiae periodo, quae sub principum persecutione decurrit, tum in altera, quae ipsorum conversionem subsecuta est, Ecclesiam suo nomine, suaque auctoritate, ac sine ullo ad politicam potestatem respectu legislationem propriam constituisse circa fidelium coniugium, quod iugiter uti sacramentum sibi administrandum ac moderandum a Christo traditum spectavit, quin ullo modo civili potestati subiiceretur.

### Articulus III. — Potestas in Matrimonii christiani vinculum solius est propria Ecclesiae.

Non hic agimus de omnibus, quae quomodocumque ad matrimonium referuntur, sed de ipso agimus tantum vinculo, quo matrimonium constituitur. Iam vero potestatem in vin-

videtur. Zonarus et Balsamon contendunt sub hac appellatione designari clericos, monachos ac virgines Deo consecratas; at Maurinus editor solas virgines sacras ostendit designari.

(26) Epist. VI. apud Coustant. *Epist. Rom. pontific.* col. 629.

(27) Ibid. cap VII.

(28) Ibid. Epist. V. cap. II. n. 3. col. 635.

(29) Epist. ad Probum col. 909.

(30) Epist. ad Rusticum Narb. ed. Ballerin. CLXVII. c. 3. col. 1415. seqq.

(31) Interim Cf. Bianchi *Della potestà e della polizia della chiesa.* Roma 1750. tom. V. par. II. cap. 6. §. 1.

culum matrimonii christiani ad solam pertinere Ecclesiam, tum a priori, tum a posteriori facile probatur.

Etenim, uti ostendimus, matrimonium christianum nihil aliud est quam contractus naturalis ad sacramenti dignitatem a Christo evectus; aut clarius adhuc, quam contractus coniugalis sacramentum a Christo effectus. Vinculum illudque perpetuum ac indissolubile *res est sacramenti*, saltem prout est perfectum et consummatum, atque eo pertinet, ut significet indissolubilem divini Verbi cum humana natura et cum Ecclesia unionem. Sane deme a coniugio rationem sacramenti, et omnis aut praecipuus saltem titulus perpetuitatis matrimonii in quolibet eventu, in qualibet rerum difficultate, adiunctorumque complicatione, sublatus est. Argumenta, quae pro dissolutione in nonnullis casibus pugnant, non minimam vim habent, ac proinde si coniugium spectaretur tantummodo sub contractus sive naturalis sive civilis ratione, sua perpetua firmitate destitueretur. Hinc Bellarminus adstruere non dubitavit, insolubilitatem matrimonii in causam *primariam et certissimam* referri non posse, *nisi in signum coniunctionis indissolubilis Christi cum Ecclesia*, in quam S. Augustinus eam perpetuo refert (32). Quocirca in nulla legislatione humana, imo neque in veteri lege divina, at solum in evangelica perpetuitatem illam reperimus in matrimonio, quae adstruitur et servatur in Ecclesia Christi, eo ipso quod Ecclesia tanquam verum propriumque sacramentum fidelium suorum coniugium habuerit referens perpetuam Christi cum Ecclesia coniunctionem. Quod si vinculum nuptiale effectus immedia-

(32) Lib. *De matrim.* c. IV. in quam sententiam cum Sanchez praeter D. Thomam allegasset S. Bonaventuram, Burgensem, Durandum, D. Antoninum, Caietanum, Medinam aliosque novemdecim subdit: « Hinc infertur » omnimodam indissolubilitatem non competere matrimonio *consummato* ex » iure naturae, sed ex Christi praecepto positivo divino: *quos Deus coniuxit* » *homo non separet*, ubi elevavit matrimonium ad esse sacramenti, et ut re- » praesentaret indissolubilem Christi per carnem cum Ecclesia unionem. » Lib. II. *De matrim.* disp. 13. Verum de hoc argumento plenius agemus in lib. III.

tus est ac res sacramenti, patet illud nulli subiacere potestati nisi illi, cui a Christo commissa est sacramenti ipsius moderatio atque administratio, nempe Ecclesiae. Hinc videbimus a sola Ecclesia dirimentia impedimenta constitui posse; ipsum quandoque vinculum ab Ecclesia solvi in matrimonio, non quidem consummato, quod omnino est indissolubile, sed in matrimonio rato, ob solemnem religiosae vitae professionem, atque alia ab Ecclesia praeterea fieri posse, et facta esse, quae ipsum vinculum respiciunt.

Insuper vinculum coniugale ob mysticam significationem, quam prae se fert, quaeque iugiter completur per legitimum coniugii usum (33), haberi debet, ut *res sacra*, quae unice a spirituali potestate, cuiusmodi est potestas Ecclesiae, potest attingi. Quapropter invenimus, quod sola Ecclesia de coniugii vinculo decreverit ac iudicaverit. Ipsa enim conditiones apposuit, quibus firmum illud permaneret atque consisteret; ipsa, cum exorta quaestio est utrum subsisteret nec ne, rem expendit ac sententiam tulit; ipsa, causa expensa, sive circa legitimitatem contrahentium, sive circa consensum eiusve

(33) Licet theologi omnes doceant, ad essentiam matrimonii sufficere solum contrahentium consensum verbis de praesenti utrimque expressum, fatentur tamen eiusdem consummationem conferre ad pleniorem significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia ob naturae conformitatem. Hinc communi calculo tradunt scholastici, matrimonium dignitate minus quidem esse caeteris sacramentis, significatione tamen aliis praestare. Quapropter in Commentariis in dist. 26 libri. IV. Sentent. quaerunt utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii, eamque quaestionem resolvunt affirmative. Nobis satis sit conclusionem afferre S. Bonaventurae in cit. Dist. 2 3. « Copula carnalis » non est de integritate sacramenti matrimonii, *quantum ad esse necessitatis*, » *sed solum quantum ad esse completionis*. In matrimonio considerantur haec » tria, scilicet signum, officium, remedium. Quantum ad significationem, » dicendum quod duplex est eius significatio: significat enim coniunctionem » Christi et Ecclesiae per charitatem: et coniunctionem eorumdem per naturae » conformitatem.... Primum igitur signatum, et primum officium, et primum » remedium sunt in sacramento matrimonii quantum ad coniunctionem ani- » morum. Secundum est solum quantum ad coniunctionem corporum. Et pri- » mum est de substantia matrimonii *quantum ad esse necessarium*. Secundum » *quantum ad esse plenum*. »

defectum, sive circa conditionum omnium concursum, quae ad coniugii valorem requiruntur, iudicavit de ipso coniugio; imo constituit in suis ecclesiasticis tribunalibus cum, qui data opera vinculi patrocinium susciperet, cum causae agitarentur, nec ullam unquam rationem habuit illius sententiae, quae in laico foro pronunciata fuisset, quasi conscientiae satisfaceret.

Ex qua postrema animadversione tertio adiicimus, vinculum, quod ex consensu et sacramento oritur, esse rem internam atque conscientiae, cuius propterea iudex alius esse nequit praeter eum, qui conscientias moderatur, nempe potestas spiritualis, cuiusmodi Ecclesia est. Ipsa sola potest in conscientiae foro de re morali iudicium instituere, eo vel magis quod interdum ea celebrentur coniugia, quae *conscientiae* nuncupantur, quorum Ecclesia sola conscia est, neque ad forum externum ac politicum ullo modo perveniunt (34). Possunt praeterea intervenire causae latentes, quae ex occulto impedimento oriuntur, quaeque efficiunt, ut vinculum non subsistat, quo in casu, putati coniuges separari ab invicem debent. Contra vero fieri potest, ut in foro externo aliquod coniugium tanquam illegitimum habeatur ac irritum, cum tamen in Ecclesiae foro ea omnia concurrant, quae ad validum ac legitimum connubium constituendum requiruntur ac sufficiunt. Iam vero in his rerum adiunctis, in quibus agitur de honestate vel inhonestate morum, ecquis nisi Ecclesia poterit causam inspicere, sententiamque proferre, utrum vinculum existat nec ne, adeoque licita vel illicita sit personarum, de quibus agitur, congressio?

(34) Egregium opus hoc de argumento scripsit Franc. Mazzei cui tit. *De matrimonio conscientiae liber singularis*, vol. un. in-4. Romae 1766. illudque ita definit cap. I. § 2. « Matrimonium, quod contrahitur coram parocho, aut altero » sacerdote ab eo, cui facta sit potestas destinato, duobusque testibus, ea lege » ut occultum semper sit, atque ideo contrahitur omissis, auctoritate tamen » superioris ecclesiastici, iis, quae praecedere debent, proclamationibus, tum » illa, quae subsequi debet descriptione in ordinario matrimoniorum libro. » Quam definitionem seu potius notionem enarrat ac vindicat cum suis consectariis in totius operis decursu.

Age vero, si coniugium, prout sacramentum est, soli Ecclesiae a Christo concreditum est, hoc ipso constat, solam Ecclesiam ius habere in coniugii christiani vinculum, quod ei intimum est ac inhaeret, quatenus ex sacramento exurgit. Principes idcirco nullam possunt sibi in illud auctoritatem vindicare, alioquin attingerent sacramentum ipsum, remque prorsus spiritualem atque internam, sive conscientiae.

At magis etiam directe ostendimus, principibus civilibus nullo modo hanc in vinculum coniugii christiani potestatem convenire posse. Profecto si quod ipsi ius in vinculum haberent, vinculum ipsum matrimonii non quatenus ex sacramento est, sed quatenus ex mero contractu sive naturali sive civili profluit, respicerent. At vero uti in praecedente libro evicimus, in coniugio christiano, eiusmodi realis distinctio admitti nullo pacto potest, cum una eademque res sit contractus et sacramentum; ergo si ipsi ius nullum habent in matrimonium, prout sacramentum est, nec ullum habent in idem, prout est contractus.

Praeterea, vel hoc ius ipsis adscribi deberet prout principes sunt, nimirum ratione principatus ac imperii, quo fruuntur, vel prout sunt principes christiani, scilicet ratione christianae professionis. At neutrum affirmari potest. Si enim ideo ius habent, quia sunt principes, tunc ipsi etiam principes infideles possent aut impedere aut dissolvere coniugia christiana, sive obsistendo quominus vinculum coniugale contraheretur, sive contractum dirumpendo per divortia, quod nemo dicet. Alioquin rei christianae hostes viam sibi amplissimam patefecissent ad Ecclesiam destruendam. Absurdum praeterea est asserere potestatem aliquam principes infideles sibi vindicare posse in sacramentum Ecclesiae christianae. Haec tamen omnia fluerent, si ratione imperii ac principatus aliquid efficere valerent super vinculum christiani matrimonii; principatus enim natura eadem est in christiano principe ac in ethnico.

Quod si spectentur ut principes christiani, multo minus ea

facultate gaudent : ut enim paulo ante adnotavimus, cum principes Christi religioni nomen dederunt, et in Ecclesiae coetum cooptati sunt, effecti sunt Ecclesiae filii, atque in spiritualibus eidem subditi evaserunt, nec ius ullum in sacra ex eorum conversione sunt adepti. Quum vero hic agatur de re sacra, cuiusmodi est vinculum perpetuum ex sacramento proveniens, patet ius nullum in ipsum acquisivisse principes, quo antea destituti erant.

Hinc historia ecclesiastica universa tradit, Ecclesiam passim principum leges, quae attigerant vinculum nuptiale, ex quo oritur unitas et indissolubilitas coniugii, respuisse, immo vero docet Ecclesiam leges eiusmodi nusquam et nunquam ratas habuisse. Quoties proinde casus accidit, in quo contra Ecclesiae legislationem alterutra ex his proprietatibus per legem aliquam affecta est, toties Ecclesia uti nullius plane valoris eam habuit. Notae illae Patrum sententiae sunt, quibus leges divortii, aut divortio saltem faventes ab imperatoribus latas perpetuo reiiciunt respuuntque, utpote quae iure divino, atque legibus Ecclesiae adversarentur, ut patet ex iis omnibus testimoniis Patrum, quae alias congessimus, quin ea iterare hic debeamus.

Huic doctrinae conformis semper fuit praxis Ecclesiae. Atque ut unum saltem documentorum genus hac de re exempli causa afferamus, sufficiat innuere Romanos pontifices insurrexisse, ac poenis etiam et comminationibus in illos principes animadvertisse, qui ius sibi in matrimonii proprii vinculum arrogarunt, tentantes suum ipsi dissolvere coniugium contra Ecclesiae leges. Ita se gessit Stephanus IV. cum Carolo M. (35), Nicolaus I. cum Lothario (36), Gregorius V. cum Ro-

(35) Apud Duchesne *Historiae Francorum scriptores*, tom. III. pag. 761. et Le Cointe *Annal. ecclesiast. Francorum* ad an. 770. n. XIII.

(36) Apud Harduin *Acta concil.* tom. V. col. 539. concil. Aquisgranens III. a quo concessum est Lothario novum coniugium; ast eidem restitit summus pontifex.

berto (37), Alexander III. cum Henrico II. (38), Urbanus II. cum Philippo I. (39), Innocentius III. cum Philippo Augusto (40). Iam vero si eiusmodi iure principes potiti essent, profecto non hac se ratione gessissent Romani pontifices, neque eorum comminationibus aut poenis illi cessissent, sed ius suum vindicassent; quod tamen non fecerunt, atque ad multiplices potius technas confugerunt, ut eiusmodi facta aliquo saltem modo seu pallio cohonestarent. (41).

Sive igitur intima rei spectetur natura, sive secularis principatus conditio, sive doctrina et praxis christianae antiquitatis universae, constat, solam Ecclesiam potestatem habere in christiani matrimonii vinculum, ac proinde nullatenus ad potestatem politicam pertinere posse, sub quovis respectu spectetur.

Haec autem non minimum robur accipiunt, si cum nonnullis haud spernendis auctoribus quispiam inficiaretur matrimonium etiam in se spectatum, seu praecisione facta a sacramenti ratione, esse vere ac rigoroso sensu *contractum* sive naturalem sive civilem. Ili enim contendunt matrimonium quoad naturam ac substantiam suam nulla prorsus ratione esse contractum, siquidem deest obiectum seu res de qua contrahi possit. Substantiam quippe matrimonii efficit mutua obligatio coniugum ad amorem et fidelitatem in ordine ad prolem procreandam instituendamque, quae omnem contrahendi ac paciscendi naturam refugit (42). Quapropter nonnisi improprie ac latiori quadam significatione matrimonium contractus ex isto-

(37) Ibid. tom. VI. part. I. col. 755. in concilio Rom. an. 998. celebrato.

(38) Cf. Rogerium de Hoveden. *Annal. pars poster.* pag 170. apud *Rerum anglicanar. scriptores* Francof. 1601.

(39) *Duchesne Hist. Francor.* tom. IV. ad an. 1100. pag. 13. seqq.

(40) Cf. Hurter *Histoire de la vie d'Innoc. VIII.* in qua de hac re fuse per agitur.

(41) Cf. Roscovàny *De matrim. in Eccles. cathol* tom. II. Augustae Vindelic. 1840. § 171.

(42) Sedulo quaestionem hanc pertractavit aetate hanc nostra D. Moy in op. Germanico *De iure matrimoniali christianorum in Ecclesia Orientali et Occidentali. Regemsburgi* 1833.

rum sententia dici posset, quatenus scilicet verbum *contrahere* usurpatur ad ea exprimenda, quae per matrimonium intenduntur, usuque quodammodo consecratum est, quo sensu a concilio Tridentino vocabulum hoc adhibetur (43), quin tamen idcirco conclusio ad veritatem sententiae, quae matrimonium in caeterorum contractuum civilium classem refert, deduci possit.

Verum quidquid de hoc verisimilius tenendum sit, quod suis auctoribus dimittimus, illud ratum exploratumque esse debet, coniugium contractum quemdam esse sui generis a reliquis omnibus plane diversum ac immane distantem. Ut enim loquitur Moser : « matrimonialis contractus, abstractione etiam facta a » ratione sacramenti, quoad naturam ac substantiam suam a » reliquis contractibus toto coelo differt.... Qui matrimonii » naturam atque originem attenta mente consideraverit, statim » fateri cogetur, contractum esse vere singularem, non ab » hominibus sed a Deo ipso immediate institutum, circa quem » varias quoque ipse praescripsit regulas a nulla potestate » humana immutandas, aut relaxandas : v. g. circa eius unita- » tem, indissolubilitatem aliasque proprietates ; item circa » personas, quae ad hunc contractum valide ineundum habiles » aut inhabiles non existerent. Gen. II. 28. Levitic. XVII-XX. » Deut. XX. 22, 26.... Hinc matrimonium a S. Thoma con- » tractus *spiritualis* appellatur;... hinc quoque fit, quod publica » potestas, quae alios contractus etsi valide initos quandoque » rescindere, item requisitum in contrahentibus consensum » certis in conditionibus supplere valet, nihil tamen horum » circa contractum matrimonialem praestare possit, nec unquam » potuerit (44). »

Cui doctrinae assentitur pariter card. Gerdilius, dum adversus apostatam Spalatensem ostendit ingens quod interponitur discrimen inter contractus reliquos et contractum connubialem.

(43) Sess. XXIV. cap. I. *De reform. matr.*

(44) *De impedim. matrim. cap. XXIII.* §. 8. 9. 10. 11.

Quod quidem duplex est, alterum intrinsecum, extrinsecum alterum. Intrinsecum illud est, quod oritur ex ipsa rei natura, quatenus consensus ex parte contrahentium coniugium sic debeat liber esse, ut huic defectui nulla humana lex supplere possit, secus ac respectu caeterorum contractuum pluribus in casibus contingat. Extrinsecum vero illud censetur quod provenit ex iure divino positivo, quatenus Deus in ipsa coniugii institutione a mundi primordiis duas apposuerit conditiones contractui matrimonii, quae a nulla humana potestate pendeant, cuiusmodi sunt unitas et indissolubilitas, quas cum Deus ipse iure suo in veteri lege mitigaverit, Christus in nova ad pristinam sanctitatem revocavit (45). Quod quidem in reliquis contractibus sive naturalibus sive civilibus non evenit.

Quid plura? inter ipsos philosophos non defuere, qui analogiam inter matrimonium et civiles contractus iusta crisi perstringerent (46). Quod si ratio spectetur sacramenti, quae contractui inhaeret matrimonii christiani, iam per se patet, vinculum, quod ex ipso enascitur, nullo modo principibus sed Ecclesiae dumtaxat subesse, cuius potestatis generalem hactenus ideam exhibuimus, deinceps evolvendam.

(45) *Trattato del matrimonio* part. I. §. 1. opp. ed. Rom. tom. XV.

(46) Ipse Hegel carpsit notionem matrimonii a Kant exhibitam, et a recentioribus nonnullis, praesertim vero a Saur defensam, vi cuius matrimonium pure civilis contractus exponitur. Itaque Hegel Saurum perstringens in *Principiis philosophiae junioris* Berolini 1821. statuit : « Matrimonium non est con-» tractus, quia 1. ad naturam contractus pertinet, ut ex libero arbitrio prodeat ; » quia 2. id quod ex contractu prodit, volitum est *ex arbitrio contrahentium*, » ergo volitum quidem est *ex communi* contrahentium consensu, non vero » volitum ex *universali* quadam lege, non est effectus τοῦ communis *idealis*, » logici ; quia 3. obiectum contractus res externa esse debet, quae alterius » fieri potest Essentialia matrimonii non possunt dependere ab arbitrio pri-» vato, sed in morali hominis natura posita sunt, ita ut coniuges, non tam vi » contractus, quam spirituali quadam unione, religione et pietate obligen » tur. » Ita quidem hic rationalista licet ex pravo fine, atque etiam perperam disserit; hac enim ratione plures alii contractus negari possent.

## CAPUT II.

### De Ecclesiae potestatae constituendi impedimenta matrimonium Dirimentia.

#### Articulus I. — Historica controversiae totius expositio.

Si sibi cohaerentes christiani omnes esse vellent, nunquam dubium excitarent, Ecclesiae ne an vero principibus insit potestas constituendi impedimenta, quae fidelium connubium nullum ac irritum reddant. Semel ac enim firmatum est, contractum connubialem christianorum esse novae legis sacramentum, suapte natura consequitur ad Ecclesiam eamque solam, cui sacramentorum administratio divinitus commissa est, eam pertinere. Si praeterea sola Ecclesia ad laicorum principum exclusionem ius habet in *vinculum* coniugii christiani, utpote quod intrinsecum sit ipsi coniugio, atque a natura sacramenti dimanans; si denique principibus nulla alia convenit potestas in christianorum nuptiis quam directio earum extrinseca ad bonum societatis, pronum est deducendo colligere, ipsos nullo modo attingere posse huius contractus substantiam, atque adeo impedimenta dirimentia constituere.

Attamen non defuerunt aliquot ab hinc seculis, nec hodiedum adhuc desunt, qui connisi fuerint et connitantur potestatem hanc instituendi impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiae eripere, eamque in principes transferre, aut saltem communem utrique ecclesiastico et politico regimini efficere.

Primo quidem novatores sec. XVI. Lutherus et Calvinus cum suis asseclis, negata huius sacramenti veritate, ius statuendi impedimenta irritantia coniugium cuicumque humanae potestati, nempe *ecclesiasticae* seu *pontificiae*, ut paulo post ostendemus, denegarunt, contenderuntque, non alia esse agnoscenda praeter illa, quae in Levitico cap. XVIII. constituta sunt,

ubi prohibentur connubia cum consanguineis et affinibus in primis propinquitatis gradibus (1).

At deinceps non pauci hic illicque surrexerunt, seu potius pullularunt, qui ad politicum regimen potestatem hanc constituendi impedimenta detulerunt. Marcus Antonius de Dominis inter caeteros eminet, nec non Ioannes Launoius, qui illius apostatae non modo sententiam adoptavit, sed ut plurimum argumenta etiam exscripsit (2). Censuit enim hic Lutheranus larvatus ius statuendi impedimenta, quae dirimant matrimonium, ita propria ac nativa potestate ad solos reges ac principes civiles pertinere, ut Ecclesia nequeat sine usurpatione, aut indulgentia et concessione principum illud exercere (3). Cum vero dissimulare non posset concilium Tridentinum sess. XXIV can. III, et IV. anathema in eos tulisse, qui dixerint : « Eccle- » siam non posse constituere impedimenta matrimonium diri- » mentia, » ipse eos negavit esse dogmaticos; tum novo plane ac antea inaudito paradoxo effutiit, Tridentinos Patres Ecclesiae

(1) Ita Lutherus in lib. *De captivit. Babylonica. De matrimonio*, ubi non aliam potestatem constituendi impedimenta praeter *divinam* admittit, cuius verba postea afferemus; item in *Serm. de matrim.* edito an. 1525. Calvinus, ut solet, nihil novi attulit, sed solum exornavit, quae Lutherus scripserat. Item Bucerus et Melanchthon, qui Lutheri placita sequuntur. Cf. Bellarm. *De matrim.* cap. XXV.

(2) In op. *De Regia in matrimonium potestate* an. 1674. vulgato. Quam expilationem a Launoio factam ex op. M. A. De Dominis Lhullierius Dr. Sorbonicus, collato utriusque textu, in propatulo posuit.

(3) Sic enim scribit op. cit. art. 4. c. 5. Colon. Allobrog. 1734. opp. tom. I. pag. 749. seq. « Spiritualem potestatem ab seculari pendere quoad naturam » civilis contractus matrimonii, cui iam legitime facto divinitus accedit ratio » sacramenti, secularem potestatem a spirituali pendere quoad ministerium » sacramenti matrimonii, qua sacramentum est : hanc mutuam civilis et » spiritualis potestatis subordinationem doctam fuisse a Gelasio et Nicolao » pontificibus; impedimentum matrimonium dirimens ex se suoque genere » esse civile, non spirituale : seculares principes impedimenta matrimonium » dirimentia statuere posse, secluso sacerdotalis ordinis consensu, qui secu- » larium principum legibus obediendi necessitatem addat, quasi leges illae ex » se non idoneam vim obligandi haberent; sacerdotalem ordinem, sacram pon- » tificum auctoritatem non posse sine consensu principum impedimenta diri- » mentia statuere. »

nomine reges ac principes significasse, quorum dumtaxat nomine et auctoritate potest Ecclesia statuere impedimenta. Temerario huic auctori sese opposuerunt non pauci, iique doctissimi scriptores, inter quos eminuerunt Dominicus Galesius, Rubensium episcopus (4), quem impugnare Launoius aggressus est (5); nec non Lhullierius, qui malam Launoii fidem in afferendis textibus foede depravatis apprime detexit (6).

Launoii vestigiis institerunt non pauci causidici, canonistae, atque theologi tum in Austria, tum in Galliis, in Belgio atque in Italia, rerum novarum cupidi atque animo in Ecclesiam hostili, regiminis politici assentatores, qui ut illi plus aequo faverent nihil moliti non sunt, ut politicae potestati soli assererent ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Hi quidem inauditam absurdamque canonis IV. Tridentini Launoianam interpretationem deseruerunt, rationem nihilominus invenerunt sese ab anathemate, ut ipsis videbatur, subducendi. Siquidem animadverterunt concilium in praefato canone minime declarasse utrum ex Christi institutione, an vero ex principum indulgentia Ecclesia asserta potestate polleat. Qua praemissa animadversione, toti in id incubuerunt, ut adstruerent Ecclesiam non proprio ac nativo iure, sed ex principum concessione potestatem hanc exercuisse anteactis seculis, atque ex eorumdem conniventia adhuc dum exercere.

Itaque in imperio Austriaco hanc potestatem exclusive principibus iuxta nativum ac proprium ius inesse docuit Benedictus Oberhauser, iuris canonici professor, Ecclesiae vero non-

(4) In op. *Ecclesiastica in matrimonium potestas. Apologema pro vetustissima et catholica doctrina de iure Ecclesiae in sanciendis legibus matrimonium impedientibus et dirimentibus.* Romae 1677. vol. un. in 4.

(5) In lib. iam cit. *Ioannis Launoii contentorum in libro Galesii erratorum index locupletissimus.* Paris. 1677. inter opp. Launoii ed. et loc. cit. pag. 883-1000.

(6) *In librum Magistri Launoii theologi Parisiensis, qui inscribitur : Regia in matrimonium potestas observationes, auctore theologo Parisiensi.* Paris. 1678. ac reperitur in collectione opp. Launoii ed. cit. tom. IV. part. II. pag. 149-501.

nisi ex beneficio iuris alieni (7). Hunc cum impugnavisset alter iuris canonici professor Ludovicus Beck atque haereseos insimulasset, Oberhauser duplici libello notam hanc a se amovere conatus est (8). In his libellis Oberhauser, separatione facta inter contractum matrimonialem et sacramentum, potestati civili ius tribuit in matrimonium, prout est contractus civilis, et ius Ecclesiae in matrimonium tribuit, prout est sacramentum; ex qua theoria intullit ad principes spectare impedimenta veri nominis seu dirimentia constituere, ad Ecclesiam vero ea, quae referuntur ad sacramenti sanctitatem, nempe impedientia. Ad hanc doctrinam porro evolvendam propugnandamque in subsidium hic auctor adscivit argumenta ipsa, quibus usus iam fuerat Launoius (9).

Huic pariter principio de distinctione inter contractum civilem praevium atque ei superveniens sacramentum tanquam basi, matrimonialis legislatio Austriaca Iosephi II. innixa erat, qua ius omne in coniugium christianum principatui adscribebatur, ac propterea ius statuendi impedimenta dirimentia, itaque hac in re abrogabatur totum ius canonicum, neque Ecclesiae aliud concedebatur nisi celebratio sacramentalis (10).

Ex quo tempore nova haec atque eversiva legislatio data

(7) In op. Fuldae 1763. hoc de argumento edito.

(8) Prior inscriptus est: *Systema historico-criticum divisarum potestatum in legibus matrimonialibus impedimentorum dirimentium ex avitis principiis sanae theologiae et iurisprudentiae canonicae.* Francofurti 1771. Posterior vero: *Apologia historico critica divisarum potestatum* etc. Ibid.

(9) Cumque iterum Oberhauser expostulatus haereseos fuisset, ipse novum edidit libellum cui titulum fecit: *Causa decisa divisarum potestatum in legibus matrimonialibus.* Francof et Lipsiae 1777. Iterum lacessitus a M. A. Hochstad in *Disquisitione canonica.* Moguntiae 1780. rursum se defendit in opusc. *Pagellae volantes de causa decisa pro studio iuris regii integri illustrando.* Francof. et Lips. 1782.

(10) De Moy, vir apprime catholicus, quemque merito August. Roskovany magni facit ac laudat in op. cui tit. germanice fecit: *De matrimonio et de statu, quem obtinet in Germanica ecclesia catholica circa hoc disciplinae caput.* Landshut. 1830. legislationem matrimonialem Iosephi II. e natura rei et principiis catholicismi critico examini subiecit.

fuit, nempe an. 1783. undique canonistae surrexerunt ad exclusivum politicae potestatis ius adstruendum in contractum civilem coniugii ipsius, ut loquebantur, impedimenta apponendi, causas matrimoniales iudicandi, dispensandi, aliaque id genus plurima peragendi. Quidam enim pene dixerim furor animos canonistarum et theologorum illius aetatis incesserat. Inter eos autem eminuerunt Le Plat in Belgio (11), et Petzek in Brisgovia (12).

Iosephinam de matrimonio legislationem adoptavit sanxitque pseudo-synodus Pistoriensis, dum in decreto, quod *fidei* inscribitur, titulo *De matrimonio* n. 7. constituit « Ad su» premam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, » contractui matrimonii adponere posse conditiones eius ge» neris, quae ipsum nullum reddant, dicunturque impedi» menta dirimentia: Ecclesiam contra, supposito solum as» sensu vel conniventia principum, impedimenta huiusmodi » sancire potuisse: ius porro civitatis originarium constituendi » impedimenta dirimentia cum iure dispensandi essentialiter » connexum esse (13). » Hisce principiis cohaerens episcopus Ricci supplicem libellum dedit Leopoldo, magno Etruriae Duci, quo eum rogat, ut de numero impedimentorum cognationem spiritualem et publicam honestatem, tollat, et cognationem seu affinitatem ad secundum gradum coarctet.

Hac eadem aetate tum paulo ante tum paulo post Austria-

(11) De quo loquuntur Ephemerides Viennenses ecclesiastice 1785. n. 44.

(12) In op. *De potestate Ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis*. Ubi affirmat statuitque « Ecclesiae ius solum regulas quasdam circam adminis» strationem sacramenti matrimonii rogandi, seu sic dicta impedimenta im» pedientia constituendi competere; impedimenta vero dirimentia tantum » a civili imperio poni posse, quippe cui unice insit auctoritas quoslibet con» tractus aut approbandi aut irritandi; idque ex tota antiquitate, quamdiu » utraque potestas intra suos limites, ipsaque civilis maiestas illaesa et integra » perstitit, clare patere. »

Alios plures per id temporis auctores id ipsum adstruentes cf. apud eruditissimum Roscovàny op. cit. tom. 1. §. 11-12 seqq.

(13) Atti e Decreti del sinodo di Pistoia an. 1786. cf. etiam Potter *Vie de Scipion de Ricci, évêque de Pistoie et Prate*. Bruxelles 1825.

cam legislationem ac synodi Pistoriensis celebrationem insurrexerunt etiam ex Italia non pauci ad impugnandam Ecclesiae potestatem circa matrimonium. Quos inter non infimum locum tenet Aloisius Litta Mediolanensis (14), item Petrus Tamburini professor Ticinensis (15); quibus accessit Thomas Nestius Pistoriensis (16), qui ut praecedentes, Pauli Sarpii ac Launoii incredibili audacia principia tuetur.

Supremum vero attigit gradum antireligiosa de matrimonio doctrina in legislatione matrimoniali Gallicana postquam vix per publicam rerum omnium eversionem vel ipsa religio christiana in florentissimo illo regno e medio sublata non est, per novum codicem, qui tunc temporis editus fuit. In hoc enim codice lex promulgata est an. 1792., quae coniugium spectans ut mere civilem contractum, sanctitatem omnem ab eo removit, nullam omnino de impedimentis canonicis rationem habuit, dissolutionem connubialis vinculi pluribus in casibus adstruxit (17). Deinde Napoleonis opera magna quidem ex parte reipublicae codex emendatus est, verumtamen et ipse omnem auctoritatem ecclesiasticam a matrimoniali legislatione penitus abstulit, magistratusque civiles huic negotio unice praefecit, nullamque rationem habuit de consensu coram parocho ac duobus testibus ex catholica doctrina praebendo ad legitimum celebrandum coniugium, adeoque pure civile, quod vocant, coniugium sanxit, quod etiamnum in Galliis, haud levi religionis detrimento, aut saltem vulnere, viget (18).

(14) In. op. *Del diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio e di dispensare.* Cremona 1784.

(15) *Praelect. De iustitia christ. et sacram.* vol. II.

(16) *De dirimentibus impedimentis liber singularis.* Florentiae 1785.

(17) Staudlin in op. germ. *Historia opinionum et doctrinarum, quae de matrimonio prolatae sunt.* Gottingae 1826. *praefat.* pag. VIII. scribit: Pa» risiis prioribus 27. mensibus post legem an. 1792. de matrimonio 5994. ma» trimonia dissoluta sunt.»

(18) In emphemerid. germanic. Ecclesiae Darmstatdiens. an. 1829. n. 17. circa legislationem de matrim. gallic. animadversum iure est: « legislatio Gal» licana matrimonium purum esse contractum civilem rata, civilem actum

Haec eadem principia Launoiana et Pistoriensia in regio Taurinensi athenaeo adoptarunt ac propugnarunt passim iuris canonici professores, praecipue vero Bon (19), et ex eo Io. Nepomucenus Nuytz (20), qui agmen claudit. Easque doctrinas eo in regno invaluisse penes iuristas plures et canonistas, patet ex iis, quae in primo libro ex sententiis de matrimonio civili tum in conventu electivo Subalpino, tum in regio senatu prolatis attulimus.

Ex synoptica hac historica expositione pronum est colligere genesin et progressum novae huius doctrinae circa impedimenta. Ex ea enim constat, hanc nos in acceptis referre debere in primis Luthero et Calvino eorumque sectariis protestantibus, deinde vero apostatae insigni Marco Antonio de Dominis, postea eius pedissequo Ioanni Launoio, demum turbae iuristarum, canonistarum, ac theologorum iansenistarum aut regalistarum, inter quos recensuimus Pistorienses, qui omnes nihil aliud effecerunt, quam diversa ratione exponere, illustrare, atque explicare priorum argumenta; demum a rationalistis et atheis practicis atque pseudopoliticis ad perfectionem res perducta est separato omnino sacramento a con

» praescribit. Benedictio ecclesiastica non est praescripta, neque ullo modo » ante actum civilem fieri debet. Res theoretice spectata, nil periculi habere » videtur, sed si practice spectetur negari non potest, dignitatem et sancti- » tatem matrimonii maximam fecisse iacturam. Matrimonium si nil est nisi » contractus civilis, institutum tantummodo erit ad explendam voluptatem » et ad procreandam prolem; nihilque habebit, quod animum efferre ad » altiora possit in ipso actu matrimonii ineundi. »

Caeterum historiam legislationis Napoleonicae uberius exposuit recensuitque Küstner, *De matrimonio, atque ratione, quae ei cum civitate et Ecclesia intercedit*. Lipsiae 1810. pag. 76 seqq.

Cf. Roskovàny op. cit. *De matrim. in Ecclesia cath.* tom. I. qui fuse exponit, quae nos in compendium redegimus, spectantia ad praesens argumentum historicum de origine ac progressu novae doctrinae circa impedimenta dirimentia.

(19) In thesibus editis ad an. 1768. ad an. 1797. cf. Avogadro *Teorica del matrimonio*. part. I. Torino 1855.

(20) *In ius ecclesiasticum universum tractationes*. Taurini 1849. *De matrimonio*.

tractu civili, ac omni sublata a coniugio etiam christiano sanctitate ac firmitate.

At misericors Deus iugiter praesto fuit Ecclesiae suae, exsuscitatis undique pro opportunitate strenuis viris, qui sese opposuerunt perniciosis his omnibus erroribus et machinationibus fortiter constanterque. Quod enim attinet ad Austriacam Iosephi II legislationem eidem restitit episcopatus et clerus prope universus sive in Austria sive in Belgio sive in Italia. Lucta siquidem inter utramque potestatem ex illa aetate perseveravit, dum ex una parte magistratus civiles urgerent legis executionem, ex altera vero parte episcopi et parochi, immo et religiosae, ut aiunt, conscientiae laici canonicas sanctiones opponerent. Ob frequentes, quae insurgebant, difficultates factum est, ut politicum regimen *dispensationum matrimonialium* systema quinquaginta annorum spatio pluries immutare coactum fuerit (21). Postremo demum piissimus Austriae imperator Franciscus Iosephus omnem hac de re difficultatem plane sustulit in conventione facta cum apostolica Sede an. 1855, revocatumque fuit matrimonium ad canonicas sanctiones una cum causis omnibus ad illud spectantibus, sicque factum est ut Iosephina matrimonialis legislatio de medio penitus tolleretur (22). In Galliis pariter, non obstante legum condice sive

(21) Historiam dispensationum iuxta varias epochas texuit Thomas Dolliner in op. germ. *Compendium de legislatione matrimoniali Austriaca* II. pars. Viennae 1814. pag. 12-34.

(22) Placet verba hic describere quae summus pontifex Pius IX. protulit in allocutione habita in consistorio secreto die 3. Novemb. 1855. quae huc spectant: « Iam vero, inquit, omnes ecclesiasticae causae, et illae praesertim, » quae fidem, sacramenta, et sacri ministerii iura respiciunt, atque ad Ecclesiae » forum unice spectant, ab ecclesiasticis iudicibus erunt cognoscendae; qui » ad sacrorum canonum normam et concilii Tridentini praescripta de matri- » monialibus etiam causis sententiam ferent, remissis tantum ad laicos iudices » iis rebus, quae civiles dumtaxat matrimonii effectus attingunt. Atque ab » eadem ecclesiastica auctoritate iudicium quoque erit proferendum de spon- » salium existentia, deque effectibus ad matrimonium impediendum, iis ta- » men sedulo servatis, quae idem Tridentinum concilium, et apostolicae felicis » recordationis Pii VI, decessoris nostri, litterae, quarum initium, *Auctorem* » *fidei*, provide sapienterque constituunt. »

reipublicae sive Napoleonico, agente clero universo, fideles coniugia sua contrahere consueverunt ad canonicarum sanctionum normam; et plures ex iis, qui secus se gessissent, defervescente primo aestu, a Rom. pontific. *sanationem*, quam vocant, illegitimorum coniugiorum petere cnixis precibus non abnuerunt.

Sic nec unquam defuerunt docti catholici scriptores, qui vindicias sumerent proculcatae undique ecclesiasticae potestatis. Etenim praeter eos, quos paulo ante commemoravimus, qui sese strenue opposuerunt Launoio, perstrinxit Petzeckium celebris in universitate catholica Argentinensi iuris canonici professor Franciscus Georgius Dieterich (23); Launoianis et professori Taurinensi Bon sese opposuit Petrus Deodatus, qui canones Tridentinos strenue defendit (24); sic adversus Neapolitanum Petrum Giannone, qui sectatus est Launoii theoriam et errores, praeclare scripsit P. Io. Ant. Bianchi Lucensis (25), atque aliis omissis, praecipuam laudem sibi comparavit in propugnanda catholica doctrina cl. card. Gerdilius tum in defensione constitutionis dogmaticae *Auctorem fidei*, tum praesertim in apposito tractatu de matrimonio, quo solide et docte, prout solet, omnes potestatis ecclesiasticae osores, initium sumens ab omnium ducibus M. A. de Dominis et Launoio, refutavit atque devicit (26). Novissime egregium ac eruditum opus de hoc ipso argumento vulgavit Augustinus de Roscko-

(23) In duplici diss. *De potestate Ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis*. Argentorati 1784.

(24) In op. *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta adversus Launoium, Tamburinium aliosque scriptores*. Hierapoli 1786. Tum in alio op. *Nuova difesa de' canoni* III. e IV. della sess. XXIV. *del concilio di Trento*. Nell' anno della salute 1788. Item *Epistola ad anonymum antecessorem Taurinensem* (Bon.), *qua illustrantur eius editae propositiones, de potestate Ecclesiae in matrimonia*. Megalopoli an. 1789.

(25) Op. pariter cit.

(26) *Trattato del matrimonio, ossia confutazione de' sistemi contrarii all' autorità della chiese circa il matrimonio*. Opp. ed. Rom. 1819. tom. XV.

vany, nunc episcopus in Hungaria, in quo adversarios ecclesiasticae potestatis exagitavit atque refellit (27). Impios vero seu rationalistas, seu sectarios et pseudo-politicos matrimonii civilis assertores aggressi sunt cll. Audisio (28), Rosmini Serbati (29), Iac Margotti (30), et Avogadro (31).

E censu eorum, qui impugnarunt ecclesiasticam potestatem secernere prorsus debemus catholicos illos auctores, qui eam quidem dirimentium impedimentorum sanciendorum potestatem ultro Ecclesiae tribuunt, eamque propriam, nativam ac originariam, attamen eamdem pariter etiam circa coniugia christianorum communem faciunt secularibus principibus. Inter quos est Sanchez, qui statuit « posse principem secularem » *ex genere et natura suae potestatis* matrimonii impedimenta » dirimentia fidelibus sibi subditis, ex iusta causa suis legibus indicere, eo pacto quo id Pontifex summus potest (32). » Limitat tamen immediate subdens: « nisi sibi (Pontifex) hanc » potestatem reservasset. » Atque hac ipsa de causa statuit « non esse integrum hodie principi seculari fideli disponere » aliquid circa matrimonia fidelium impedienda aut dissol- » venda (33). » Hanc ipsam sententiam pluribus evincere connissus est Gerbaesius, ac late extendere, dempta Sanchezii limitatione (34). Petrus Soto docuit posse quidem principes

(27) In saepe laud. opp. *De matrimonio in Ecclesia catholica* duob. vol. quorum primum prodiit Augustae Vindelic. alterum an. 1857. an. 1840. Qui praeterea bene meritus est de re catholica hac in parte ob tria volumina quae edidit de matrimoniis mixtis, et quatuor quae inscripsit: *Monumenta catholica*.

(28) In op. *Quistioni politiche- Il matrimonio e la ragion di stato.* ecc. Napoli 1854.

(29) *Delle leggi civili, che riguardano il matrimonio de' Christiani.* Torino 1851.

(30) *Prosesso di Nepomuceno Nuytz.* Torino 1852.

31) *Teorica del matrimonio* cuius prima pars edita est typis Taurinens. an. 1855. altera vero an. 1854.

(32) *De matrim.* lib. V. disp. 3. n. 2.

(33) Ibid. n. 4.

(34) In op *Traité du Pouvoir de l'église et des princes sur les empêchemens du mariage.* Un vol. in 4. Paris 1696. ubi seconde part. ch. II. sta-

proprio iure statuere de impedimentis irritandis vel non; sed ex sua pietate et in Ecclesiam propensione ab usu et exercitio huius potestatis a multis iam seculis abstinuisse, ut iam nullum censeatur matrimonium christianum, quod Ecclesia tale non iudicat (35). Tournelyo haec Soti sententia valde arrisit, tenetque proinde et ipse, principes seculares posse impedimenta matrimonium irritantia ac dirimentia etiam relate ad christianos subditos constituere; ast temperat doctrinam suam adiiciens iam multis ab hinc seculis christianos principes aut nulla, aut saltem nonnisi approbante et concurrente Ecclesia, statuisse impedimenta sacramentum matrimonii dirimentia (36). Eidem sententiae adstipulatus est eius continuator Petrus Collet, qui plures alios recenset, qui eam adstruxerunt (37).

Demum caeteris praetermissis, D. Ioseph Carriere, theologiae professor in celebri seminario Sulpiciano Parisiensi, in tractatu de matrimonio quaestionem hanc de ecclesiastica, deque civili potestate constituendi impedimenta coniugium fidelium dirimentia copiose expendit. Constituta porro, ut decet theologum catholicum eumque pium, potestate quae Ecclesiae convenit, inquirit utrum eadem potestas nativo ac originario iure seculari principatui pariter tribui debeat. Excussisque hinc inde rationum momentis theologorum exterorum, ut ipse loquitur, qui eam denegant, et gallorum, qui eam vindicant, denique veluti probabiliorem cum Baston posteriorem sententiam amplexus est; quia galli felicius sese expediunt ab aucto-

tuit. Prop. I. « Le pouvoir de mettre des empêchemens au mariage subsiste » dans les princes chrétiens à l'égard de tous sujets tant baptizés, que non » baptizés Prop. II. - L'Église n'a pas dépouillé non plus les princes du pou- » voir qu'ils ont naturellement sur le mariage, en se le réservant à elle seule. » Prop. III. - L'Église n'a pas même interdit aux princes l'usage ou l'exercice » du pouvoir qu'ils ont naturellement sur les conditions du mariage. »

(35) *De institutione sacerdotum. Tr. de matrimonio.* Sectio IV. Dilinge 1558.

(36) *De sacram. matrim.* Quaest. VII. art. 2. conclus. I. et II.

(37) *Tract. de Matrim.*, cap. VII. art. II. conclus. n. 66. refert pro hac ipsa opinione Petrum de Marca, Carol. Merinvillium, Carol. d'Argentrè, etc.

ritatibus, quibus potissimum innituntur theologi extranei, qui eam potestatem negant, quam isti theologica argumenta solvant, quibus pugnant theologi galli ad eam tuendam. Adeoque constituit non modo *theoretice* probabiliorem esse gallorum opinionem, qui docent posse principes impedimenta statuere, quae irritent ipsum naturalem contractum matrimonii etiam post eius evectionem ad sacramenti dignitatem auctoritate sibi innata ac propria; verum etiam *practice* hanc dicit esse tutiorem, sive quoad principes, sive quoad Ecclesiam, sive quoad societatem, sive quoad nubentes ipsos (38).

Ita quidem hic auctor annis elapsis in primis operis sui editionibus, nunc vero in quinta huiusce tractatus compendii editione, a sententiis, quas prius adstruxerat, recessit, doctrinamque suam doctrinae apostolicae Sedis ad amussim conformavit publice declarans se nil aliud sentire ac tenere velle, nisi quod ab hac veritatis magistra tenetur atque docetur (39). Quae quidem agendi ratio penes omnes bene sentientes eidem clarissimo auctori laudem non minimam comparavit, nosque ipsi ei ex animo gratulamur.

Opportunum duximus sub ipsum tractationis nostrae exordium totam huius controversiae historiam brevi proponere. Quamquam enim quaestiones multiplices, quas in historica

(38) Part. III. sect. II. cap. II. art. 2. ed. Paris 1837.

(39) Etenim in praefatione ad hanc quintam editionem an. 1857, Compendii tractatus de matrimonio refert varia rescripta prodiisse a Sede apostolica post prioris operis sui publicationem de hoc argumento, quibus Rom. pontificum mens declarata magis ac magis est; hinc praemissis S. Innocentii I. verbis ex epistola ad concilium Carthaginiense, quod a sancta Sede Romana « velut de » natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi » regiones puri latices capitis incorrupti manarent, » ita praeclare subdit: « Nous avons pris soin *de réformer* nos opinions, dès que nous avons vu » qu'elles n'étaient pas assez conformes aux traditions du Siége apostolique. » Nous devons donc avertir le lecteur de modifier ce qui a été dit dans notre » grand cours, et dans les premières éditions de notre Abrégé, d'après ce » que nous consignons dans ce *Compendium*. Si nous avions encore laissé » échappé à notre attention quelque point d'une doctrine moins approuvée, ou » moins conforme à la foi de l'Eglise, nous voulons qu'on le tienne pour nul. » v *Univers* 23. Ianv. 1857.

hac adumbratione attigimus, partim in hac prima libri sectione, partim in altera, prout ordo rerum ac idearum postulabit pertractandae sint, iuvat tamen generali quodam modo totius controversiae ambitum primo complecti, deinde suis locis singula persequi. Itaque primo canones Tridentini, qui huc pertinent, quique sunt veluti cardo quaestionis, expendendi sunt.

ARTICULUS II. — Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta dirimentia *dogmatice* definita censeri debet in Concilio Tridentino Can. III. et IV. Sessionis XXIV.

Tridentini porro canones, de quibus agitur, ita se habent: III. « Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis » gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matri- » monium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse » Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, » ut plures impediant et dirimant; anath. sit. » IV. « Si quis » dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta ma- » trimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; » anath. sit. » Hisce canonibus controversia omnis penitus sublata videbatur, saltem penes catholicos, qui in rebus fidei ac morum auctoritate Ecclesiae reguntur. At quas technas pervicaces homines excogitaverint, ut se ab ea subducerent, nuper diximus. Ut eas itaque ex ordine, distincte et per partes disiiciamus, duo efficere hoc in articulo aggredimur: *primo* ostendemus, praefatos canones esse dogmaticos, non autem mere disciplinares; *secundo* veritatem dogmaticam in iis assertam vindicibamus. Prior pars est adversus Launoium, posterior adversus novatores sec. XVI.

Launoius itaque, ut adstruat canones, de quibus agimus, minime esse dogmaticos, adnititur ostendere, id colligi non posse ex anathemate, quo communiti sunt. « Porro, scribit, non ante » tollam manum de tabula, quam observaverim, eos falli gra- » viter, qui propter dictum anathema, Tridentinos canones non » ad disciplinam tantum, sed etiam ad fidem pertinere do- » cent: quasi vero canon in disciplinae causa editus anathe-

» mate muniri non possit. Nescierunt Gregorium Iuniorem , » cum quasdam circa matrimonium leges negligi perspiceret, » ut illae diligentius custodirentur quam antea , in Romano » concilio decreta haec condidisse : *si quis commatrem spi-* » *ritualem duxerit in coniugio, anathema sit : si quis conso-* » *brinam suam duxerit in coniugio, anathema sit.* Quis au- » tem propter denuntiatum anathema duplex , dogma fidei » duplex a Gregorio constitutum assereret ? Spectandum est » in primis , utrum canonis materia fidei dogma ferat : non » enim potest quidlibet in dogma catholicum evadere (40). »

Optime quidem , si verum esset, quod ipse assumit, nempe theologos asserere canonem aliquem ideo esse dogmaticum, quia anathemate munitum cernunt. Ast hoc est falsum. Nec enim ignorant theologi plures reperire canones disciplinares, qui anathemate sanciti sint. Verum criterium secernendi canones dogmaticos a disciplinaribus desumunt theologi catholici ab obiecto canonis , a fine, quem sibi praestituit Ecclesia in canone edendo , ab Ecclesiae ipsius mente. Iam vero si criterium istud applicemus canoni IV, de quo potissimum nunc est sermo, statim apparebit ex triplici hoc capite, illum vere esse dogmaticum.

Nam obiectum canonis IV non est merum *factum*, quod aut praecipiatur aut vetetur, ut in canonibus recensitis concilii Romani sub Gregorio Iuniore coacti, sed est *ius* sive potestas, qua pollet Ecclesia , et quidem tale ius , ut in eo sanciendo minime *errasse* Ecclesia dicatur. Id vero constat ex verbis ipsis canonis : « Si quis dixerit Ecclesiam *non potuisse constituere* . . . vel in iis constituendis *errasse*. » Ergo agitur de *iure* , de *potestate* , de *veritate*. Potestas autem et veritas in Ecclesia sunt quid dogmaticum; ergo obiectum canonis ostendit, illum vere esse dogmaticum. Quod quidem magis planum fit ex ratione, qua canon editus est : in eo enim anathema dicitur ei *qui dixerit*. Nam in aliis canonibus

(40) *Regia* etc part. I. art. 4. § 4. edit. cit. pag. 759. Loquitur autem de can. Trid. III. et IV.

ab adversario obiectis anathema dicitur iis, qui aliquid commiserint; sed si anathema dicitur ei qui *dicat*, idem est ac si dicatur, ei qui opinetur et doceat; proinde agitur de fide tenenda et tradenda.

Praeterea id ipsum efficitur ex fine, quem sibi proposuerunt Tridentini Patres in illis canonibus condendis sess. XXIV. Hic autem finis patefit ex ipsa inscriptione praefixa huic sessioni: *Doctrina de sacramento matrimonii*. Patefit ex declaratione praemissa a concilio his ipsis canonibus editis adversus novatorum errores; en synodi verba: « quorum (impiorum homi-» num) temeritati sancta et universalis synodus cupiens occur-» rere, insigniores praedictorum schismaticorum *haereses et* » *errores*, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, » exterminandos duxit. hos in ipsos haereticos, eorumque » *errores* decernens anathematismos. » Si igitur ad exterminandas haereses et errores canones editi sunt, profecto non disciplinares, sed vere dogmatici sunt habendi; tot enim sunt veritates dogmaticae, quot errores et haereses proscriptae.

Quae quidem confirmantur ex eo, quod contigit in lectione canonis IX. sess. XIII. *de sacrosancto eucharistiae sacramento* his verbis expresso: « Si quis negaverit, omnes et singulos » Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis » pervenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate, ad » communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; » anath. sit. » Siquidem nonnulli theologi adnotarunt, quod cum eo in canone non de praecepto divino, sed tantum de ecclesiastico ageretur, contrarius error potius ut *schismaticus*, quam ut haereticus videretur damnandus. Attamen, ut scribit Natalis Alexander: » reliquus consessus anathemate damnandum » putavit, in quod postea omnes convenere: quod negans christi-» fideles hoc Ecclesiae praecepto obligari, neget consequenter » traditam Ecclesiae a Christo potestatem leges condendi ad fide-» lium salutem promovendam: quod certe haereticum est (41). »

(41) Dissert. XII. in sec XV. et XVI. *De sacrosancta synodo Trident.* art. VIII. de sess. XIII. decretis n. 1.

Idque merito unanimi consensu declaratum fuit, quia licet praeceptum de communicando semel in anno ex se sit disciplinare, potestas tamen Ecclesiae condendi praeceptum et obligandi, veritas dogmatica est, adeoque hoc canone adserta (42). Multo vero id magis dicendum de canone IV. de quo disserimus, per quem expresse definitur, Ecclesiam *potuisse* statuere impedimenta, et in his constituendis *non errasse;* nam licet conditio impedimentorum sit quid disciplinare, potestas nihilominus ea statuendi est veritas dogmatica, et negatio huius potestatis in Ecclesia *haeretica* est. Ex animadversione praeterea illorum theologorum circa canonem IX. sess. XIII. evidenter patet pro certo omnes habuisse, canones constitutos a Tridentinis Patribus, apposita anathematis nota, totidem esse dogmaticos canones (43).

Quod demum attinet ad Ecclesiae mentem, seu ad ecclesiasticum sensum horum canonum III. et IV. (quos ideo coniungimus, quia eodem referuntur et ex aequo impugnantur a Launoio), quod nempe eos iugiter uti dogmaticos habuerit, duplici ratione ostenditur, *negative* et *positive*. Negative, quatenus nemo unquam usque ad Launoium in dubium id revocaverit, ita ut ante illum nemo unus proferri possit, qui cum Launoio consentiat; positive autem ex conciliis provincialibus, quae magno numero sec. XVI. celebrata sunt toto pene orbe terrarum post concilium Tridentinum, quaeque recensentur a Natali Alexandro et a Io. Dominico Mansi (44). Haec concilia omnia in duas ut plurimum partes divisa sunt, quarum prior complectitur decreta fidei, posterior decreta disciplinae, quae comprehenditur in concilii Tridentini capitibus de reformatione. Iam vero unanimi consensione memorata concilia profitentur, se habere uti dogmaticas, ac propterea ad catholicam fidem spectantes eas definitiones, quas in suis canonibus Tridentina

(42) Id ipsum contigit in non paucis aliis canonibus editis a conc. Tridentino, quos in *Praelectionibus theologicis* diximus agere *de facto cum iure coniuncto.*

(43) Cf. Gerdil *Trattato del matrim.* part. I. §. V.

(44) *Hist. eccles.* sec. XV. et XVI. art. cum nota Io. Dom. Mansi.

synodus sancivit; deinde vero ea amplectuntur, quae circa disciplinam in eadem fuerunt constituta. Ecclesia igitur universa solemniter professa est, se tanquam dogmaticos habere canones III. et IV. sess. XXIV. de Matrimonio.

Si itaque criterium, quo omnium catholicorum suffragio distinguuntur canones dogmatici a disciplinaribus, spectato obiecto, fine, et intelligentia seu mente Ecclesiae, canonibus III. et IV. applicemus, reperimus, in his omnes adimpletas esse conditiones, quae ad canones dogmaticos constituendos requiruntur, nec proinde, qui catholicam profiteantur fidem, eos dogmaticos esse inficiari posse.

Quae a Launoio afferuntur, ut contrarium suadeat, partim falsa sunt, ut patet ex iis, quae de adiecto anathemate disseruimus, partim ab hac quaestione sunt prorsus aliena, cuiusmodi sunt, quas profert leges de manumissione servorum ex episcoporum placito facienda ac de testamento, quas tulit Constantinus imperator, et quas canonibus confirmarunt synodi Arausicana I. Arelatensis II. et Matisconensis II. (45); Neque enim in iis agitur de Ecclesiae potestatae, sed de executione legum imperialium, de quibus in his conciliis sermo est.

Vindicata dogmatica auctoritate canonum Tridentinorum, reliquum est, ut eorumdem vindicemus veritatem prout secundo loco proposuimus. Id autem efficiemus tum ex rei natura et a *priori*, tum a *posteriori*.

Ex rei quidem natura multiplex emergit probatio, eaque plane ineluctabilis; ac 1. ex ratione sacramenti, quae inhaeret coniugio legitime inter fideles celebrato. Ex demonstratis enim, in connubio christiano inseparabilis est ratio contractus a ratione sacramenti, quia sacramentum ex institutione Christi ab illo rite inito exurgit, immo et conficitur. Porro sacramentorum administratio ac moderatio ita a Christo Ecclesiae concredita est, ut ipsa possit decernere, quae ad eorum validam aut invalidam confectionem spectant et concurrere debent. Cum igitur

(45) Laun. op. cit. part. I. cap. XIV. pag. 745. seqq.

in matrimonii sacramento conficiendo requiratur legitimus contractus, qui oritur ex contrahentium consensu, si contractus nullus fuerit nullum pariter erit sacramentum ipsum; aut rectius etiam: Ecclesiae est personas habiles aut non habiles declarare seu efficere ad legitime contrahendum, atque idcirco ad conferendum aut recipiendum valide sacramentum matrimonii cum de re mortali eique obnoxia agatur. Quapropter potest Ecclesia apponere conditiones sine quibus personae legitime contrahere non valeant nec proinde sacramentum efficere, et quibus deficientibus sacramentum nullum sit, adeoque et contractus. Hae autem conditiones illae sunt, quae impedimenta appellantur. Nam penes potestatem publicam est conditiones, sine quibus contractus valide fieri non possunt, apponere et nominatim certas personas ad contrahendum inhabiles reddere; sed potestas publica hoc non potest nisi in contractibus, qui ad suum tribunal pertinent. Atqui contractus matrimonialis, quia sacramentum est, ad Ecclesiae tribunal exclusive pertinet; ergo ipsa sola potest eas ponere conditiones coniugio christiano, seu penes ipsam est impedimenta dirimentia constituere.

2. Nemo negaverit, Ecclesiam ius ac potestatem habere in res spirituales; sed inter eas praecipuum locum obtinent sacramenta; cum igitur matrimonium sacramentum sit, hoc ipso in illud potestate pollet Ecclesia. In eius proinde potestate sunt conditiones apponendae ad validam sacramenti matrimonii collationem ac susceptionem; seu in Ecclesiae potestate est constituere impedimenta, quae nullum reddant contractum ad dignitatem sacramenti evectum, seu potius sacramentum constituentem; aut declarare et efficere, ut personae idoneae sint sacramento conficiendo aut non idoneae.

3. Quotquot catholico nomine ac professione censentur, fateri debent, Ecclesiam a Christo potestate praeditam esse condendi leges ad spirituale filiorum suorum bonum, eorumque actiones ita dirigendi, ut, si ad normam a se praestitutam non exigantur, ineptae ac nullius valoris sint ad finem, quem ipsa

intendit (46); potest igitur Ecclesia leges sancire, quae ita spiritualem contractum coniugalem christianorum, quo sacramentum efficitur, attingant, ut ineptum reddant ad sacramentum; aut si placet, personas ipsas attingant ita, ut eas reddant inhabiles ad contrahendum. Sane, ut vidimus, tum novatores, tum regalistae, qui tribuunt principibus potestatem in coniugium suorum subditorum, contendunt, imo adstruunt, posse principes ad bonum societatis tales condere leges, quibus nullum et irritum fiat coniugium, idque ob auctoritatem, quam habent in personas et contractus civiles; igitur eiusdem auctoritatis vi poterit Ecclesia personas sibi subditas afficere, et nullum reddere contractum spiritualem coniugii; seu quod idem est, potest statuere impedimenta coniugium irritantia.

Id, quod hactenus a priori ostendimus, a posteriori iam efficimus, nimirum ex perpetuo huius iuris exercitio. Nam si semel constiterit, quovis tempore Ecclesiam hac potestate in constituendis matrimonii impedimentis usam esse, hoc ipso constabit, ipsam revera posse id efficere. Iam vero quemadmodum Christus Matth. XIX. Marci X. et Luc. XII. iam constituerat impedimentum, quod vocant ligaminis, ita ut nemo possit vivente adhuc uxore sua aliam ducere, sic Apostolus, accepta a Christo potestate I. Cor. VII. non modo declarat uberius Christi mentem circa memoratum ligaminis impedimentum, verum etiam vv. 12-15. aliud constituit dirimens matrimonium quoad fidelem, a quo religionis causa infidelix coniux discesserit, facultatem tribuens aliud ineundi coniugium (47); nec desunt, qui contendant, eumdem Apostolum impedimentum constituisse disparitatis cultus II. Corinth. VI. 14. illis verbis: « Nolite iugum ducere cum infidelibus; » saltem ex iis certum est prohiberi ab Apostolo fidelibus nuptias iungere cum infide-

(46) Hic, ut patet, pro certo assumimus, pollere Ecclesiam divinitus potestate condendi leges, quam theologi suo loco ostendunt adversus novatores saeculi XVI. Nosque evicimus in *Praelect. theolog.* in tract. *De loc. theolog.* part. I. *De Ecclesia* cap. IV. art. III. prop. unic.

(47) Cf. *Praelect theolog. tract. de matrim.* cap. II. prop. II.

libus (48). Atque hinc factum est, ut eiusmodi nuptiae, quamvis non semper irritae, illicitae saltem apud christianos habitae fuerint, ut patet ex iis, quae scribit Tertullianus in lib. *De corona militis:* « Coronant, inquit, et nuptiae sponsos; ideo non » nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a » qua apud illos nuptiae incipiunt (49). » Verisimilius nihilominus censeo, neque ab Apostolo, neque ab Ecclesia sex plus minus prioribus seculis disparitatem cultus fuisse impedimentum dirimens constitutum, sed solum prohibitas fuisse nuptias fidelium cum infidelibus, lege saltem generali. Nam quod spectat ad peculiares synodos, extra dubitationem est alicubi eiusmodi impedimentum constitutum fuisse; in concilio Illiberitano can. XVI. hoc decernitur: « Haereticis, si se transferre noluerint ad » Ecclesiam catholicam, nec ipsas catholicas dandas esse puellas; » sed neque Iudaeis, neque schismaticis dari placuit, eo quod » nulla possit esse societas fidelis cum infideli (50); » et can. XVI. « Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, » placuit nec in fine dandam esse communionem (51). » Alios eiusmodi canones inferius dabimus.

Interim ex his deprehendimus, vel ab ipsis Ecclesiae primordiis leges latas ab ea fuisse, quibus nonnulla coniugia

(48) In hanc sententiam consentiunt interpretes catholici Cornelius a Lapide, Estius, Calmet, Bernardinus a Piconio aliique. Et recte; siquidem per coniugia societas oritur omnium arctissima, quae non sine magna fidei iactura esse potest. Animadvertunt praeterea hi ipsi, quod Paulus I. Cor. VII. permiserit quidem fidelibus iam nuptis cum infidelibus permanere cum iisdem, quando id fieri posset sine Creatoris iniuria; in hac vero secunda epistola vetuerit, ne innupti ducerent aliquem infidelem in coniugium. Rationem diversae huius agendi rationis exhibet Estius in hunc loc.

Iam S. Hieronymus in lib. I. contra Iovinian. n. 10. et in epist. ad Ageruchiam, quae in edit. Vallarsii est CXXIII. n. 6. scripserat: « Quodque addi- » dit (Paulus) *tantum in Domino*, amputat Ethnicorum coniugia, de quibus » in alio loco dixerat: *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* » Neque abnuunt ipsi interpretes protestantes, ut videre est in *Criticis sacris* ad hunc loc.

(49) Cap. XII. ed. Rigalt.

(50) Apud. card. de Aguirre *Collect. maxim. concil. Hisp.* tom. I. pag. 435.

(51) Ibid. pag. 436.

vel prorsus dirimerentur vel prohiberentur ne fierent, idque statutis poenis. Ergo Ecclesia sibi plenam a Christo moderandi coniugia filiorum suorum potestatem legislatricem tributam fuisse pro certo habuit, atque executioni mandavit pro ratione temporis, locorum ac personarum. Haud dubia legiferae huius supremae potestatis vestigia, immo vero et probationes occurrunt in documentis trium priorum seculorum. Etenim in canonibus apostolicis tres prostant, qui versantur circa coniugia nempe XVII. (52), quo bigami repelluntur ad ordinatione; XIX. quo arcentur a clero, qui duas sorores duxerint; XXVII. quo prohibentur coniugia clericis innuptis, exceptis tantum lectoribus et cantoribus, seu constituitur impedimentum *ordinis* cuius canonis, utpote qui propius ad rem nostram faciat, verba haec sunt: « Innuptis autem, qui ad clerum provecti » sunt, praecipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed » lectores, cantoresque tantummodo (53). » Hi porro canones, saltem usque ad quinquagesimum, a viris apostolicis, hoc est, secundo labente, et ineunte tertio a Christi nativitate seculo constituti sunt ac magno semper in pretio in Ecclesia habiti (54). Origenes supponit latam ab Ecclesia legem, cum affirmat eam non admittere digamos in clerum scribens: « Sicut ab ecclesiasticis dignitatibus, non solum fornicatio, sed » *et nuptiae* repellunt; neque enim episcopus, nec presbyter, » nec diaconus, nec vidua (diaconissa) *possunt esse diga-* » *mi* (55). »

(52) Iuxta version. Dionysii Exigui; nam alias est XIII.

(53) In versione cit. alias est XIX.

(54) Cf. Guillelmum Beveregium *De canonibus apostolicis iudicium de numero et auctoritate canonum apostolicorum* §. X. qui ostendit, iam a maioribus fuisse receptos canones istos, et seculo II. labente et tertio ineunte fuisse collectos. Apud Cotelerium *Sanctorum Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt.* Antwerpiae 1698. vol. I. pag. 431. cf. etiam ibid. pag. 424. eiusdem Cotelerii de his canonibus *iudicium.*

(55) Hom XVII. in Luc. opp. ed. de La Rue tom. III. pag. 953.

Huc pariter referuntur, quae scribit Tertullianus in lib. *De monogamia*, cap. XII. in quo legem iamdiu in Ecclesia constitutam ac firmam supponit; dum enim vult, indiscriminatim omnibus monogamiam esse communem, urget

Ad has Ecclesiae leges aperte alludit S. Ignatius, dum in epist. ad Polycarpum praescribit, ut sponsi et sponsae *de sententia episcopi* coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum. Alia documenta ex tribus prioribus seculis praetermitto, cum ea, quae attulimus, sufficiant ad ostendendum quod proposuimus, nempe Ecclesiam iugiter hanc potestatem exercuisse, sive in dirimendis, sive in prohibendis nonnullis fidelium coniugiis.

Exinde receptum est, ut nunquam interruptum eiusmodi potestatis exercitium fuerit seculis insequentibus. Iam supra (cap. 1. art. 2.) verba descripsimus S. Basilii, quibus adstruit, consuetudinem seu morem, *qui legis vim* obtinet, repetendum a sanctionibus, quas viri sancti circa nuptias tradiderunt. Quandonam vero eiusmodi sanctiones a viris sanctis constitui potuerunt, nisi tribus prioribus seculis, vigente adhuc in Ecclesiam persecutione, cum ipse S. Basilius floruerit sec. Ecclesiae IV. (56)? ad minimum alludere potest ad ea, quae sancita fuerunt a conc. Illiberitano sub initium quarti seculi, ut vidimus, celebrato, vel a synodo Ancyrana, a qua editus est canon adversus raptores (57). Sic etiam concilium Neocaesariense reapse statuit impedimentum affinitatis cuius pariter canonis verba attulimus.

Sed pergamus alia ex sec. IV et V. documenta afferre. S. Siricius impedimentum *publicae honestatis* in epist. ad Hi-

exemplum cleri, qui illam profiteri tenebatur antequam ad ecclesiasticos gradus ascenderet « Unde enim, inquit, episcopi et clerus? nonne de omnibus? » Si non omnes monogamiae tenentur, unde monogami in clerum? An ordo » aliquis seorsum debebit institui monogamorum, de quo adlectio fiat in » clerum? »

(56) Vita enim functus est an. 378. vel 379. cf. Baronium ad an. 378. et Tillemont *Mémoires pour servir à l'hist. écclesiast.* tom. IX. pag. 278.

(57) Celebratum est hoc concilium an. 314. cf. apud Harduinum *Acta concil.* tom. I. col. 275. Etsi daremus quod nonnulli contendunt, hoc canone Patres Ancyranos non tam impedimentum constituere, quam quod ius naturae ob datam fidem postulat, declarare, non tamen sequeretur, vere legem non fuisse latam ad ius naturae confirmandum. Caeterum erat in sponsi potestate raptam virginem sibi restitutam sive recipere, sive recusare.

merium, Tarraconensem episcopum, aperte statuit scribens : « De coniugali autem violatione requisisti , si desponsatam » alii puellam alter in matrimonium possit accipere ? Hoc ne » fiat, modis omnibus inhibemus ; quia illa benedictio, quam » nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii in- » star est,si ulla transgressione violetur (58). » Qui insuper in eadem epistola de personis agens voto obstrictis scribit : « Prae- » terea monachorum quosdam atque monacharum abiecto pro- » posito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, » ut prius clanculo, velut sub monasteriorum praetextu illicita » ac sacrilega se contagione miscuerint ; postea vero in ab- » rupta conscientiae desperatione perducti de illicitis com- » plexibus libere filios procreaverint, quod et publicae leges » et ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas de- » testabilesque personas e monasteriorum coetu, ecclesiarum- » que conventibus eliminandas esse mandamus (59). »

De hoc ipso voti impedimento extat can. CIV. concilii Carthag. IV. « Ut si quae viduae... se devoverunt Domino... » postea vero ad nuptias seculares transierunt... tales per- » sonae sine christianorum communione maneant, quae etiam » nec in convivio cum christianis communicent. Nam si adul- » terae coniuges reatu sunt viris suis obnoxiae ; quanto magis » viduae, quae religiositatem mutaverunt, crimine adulterii » notabuntur, si devotionem, quam Deo sponte, non coactae, » obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, atque ad se- » cundas nuptias transitum fecerint (60) ? » Quo quidem canone adulteriis comparantur viduarum Deo devotarum transgressiones. Dixi eiusmodi violationes adulteriis comparari ,

(58) Cap. IV. apud Coustant. col. 628. Nonnulli disputant , de qua benedictione loquatur hic summus pontifex ; ast Coustant. in obvio sensu de alia benedictione, haec verba intelligi non posse ostendit, nisi de benedictione, quae in prima desponsatione, seu in sponsalibus dabatur. Declaravit propterea virum et sponsam alterius ad valide contrahendum inhabiles esse.

(59) Ibid. cap. VII. col. 629.

(60) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. I. col. 985. Celebratur autem est hoc concil. an. 436. eique interfuit S. Augustinus cum episcopis 214.

quia, etsi vere ac proprie adulteria non sint, prout iamdiu adnotaverat S. Augustinus, tamen ipsemet affirmare non dubitat « lapsus et ruinas a castitate sanctiori, quae vovetur Deo, adul- » teriis esse peiores (61). »

Verum quod ut illicitum damnatum est in consilio Carthaginiensi IV, ut invalidum decernitur ab Innocentio I. scribente : « Quae Christo spiritaliter nupserunt, et velari a » sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel » se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agen- » dam poenitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo reces- » serit. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quocum- » que vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei » agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis » defunctus fuerit : quantó magis de illa tenenda est, quae » ante immortali se sponso coniunxerat, et postea ad humanas » nuptias transmigravit (62) ? » Id ipsum constituit conc. Chalcedonense can. XVI. his verbis; « Sancimus virginem, » quae se Deo consecravit, similiter et monachum, non licere » nuptialia iura contrahere. Quod si hoc inventi fuerint per- » petrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevi- » mus, ut habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus miseri- » cordiam eis, humanitatemque largiri (63), » et can. XV. de diaconissa iam sanxerat, quod « si aliquandiu temporis in » ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiae » Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiusmodi cum » eo, qui eidem copulatur (64). »

(61) Lib. *De bono viduitatis* cap. X. et XI. Iuxta S. Doctorem eiusmodi nuptiae erant illicitae sed non invalidae. Utique ; attamen lege Ecclesiae, saltem graviter prohibitae ac damnatae.

(62) Epist. II. ad Victricium Rotomagensem cap. XII. apud Coustant. col. 734. ubi apertissime et ineluctabilibus documentis ductis a conc. Toletano I. can. 16. Turonensi II. can. 20 Arelatensi II. can. 52. Aurelianensi V. can. 19. Maticonensi I. can. 12. cl. editor ostendit Innocentium de vera coniugii dissolutione disserere, atque idcirco de dirimente impedimento, quod ipse constituit.

(63) Harduin. *Acta Concil.* tom. II. col. 607.

(64) Ibid.

Rursum Innocentius I. in epist. ad Probum impedimentum ligaminis sin minus instituit, quia ipsum iuris divini est, saltem applicat ad peculiarem casum de quo agebatur, eiusque vim declarat illis verbis : « Statuimus, fide catholica suffragante, illud » esse coniugium, quod primitus erat gratia divina fundatum, » conventumque secundae mulieris, priore superstite, nec » divortio eiecta, nullo pacto esse legitimum (65). »

Et haec quidem ex quatuor prioribus seculis documenta in rem nostram attulisse sufficiat. Quae enim a nonnullis praeterea exhibentur, non satis firmae auctoritatis nobis esse videntur (66).

Progredientes ad quatuor insequentia secula reperimus Ecclesiam in iuris sui possessione constantem in impedimentis sanciendis. Ita S. Symmachus papa in epistola ad Caesar. c. IV. ubi de raptoribus ita constituit : « Raptores igitur viduarum, » vel virginum pro immanitate tanti facinoris detestamur, » illos vehementius persequendo, qui sacratas virgines, vel » volentes, vel invitas, matrimonio suo sociare tentaverint : » quos pro tam nefandi criminis atrocitate a communione sus- » pendi praecipimus (67). » Concilium Turonense II. can. XX. de iis, qui post consecratam Deo castitatem matrimonium at-

(65) Apud Coustant col. 910.

(66) Etenim afferri consueverunt inter caetera epistola S. Callisti ad Gallicanos episcopos data, nec non epistola S. Iulii I. quibus impedimentum statuitur consanguineitatis ; at certum est has epistolas spurias esse, ac depromptas ex collectione Isidoriana. Cf. Berardi in op. *Gratiani canones ab apocryphis discreti*. Taurini 1754. tomi I. part. II. pag. 106 seqq. item pag. 183 seqq. Sic etiam adduci solet auctoritas S. Leonis M. decernentis impedimentum criminis. Verum et hoc documentum apocryphum est, ac desumptum a Gratiano ex conc. Triburiensi in Germania celebrato. Neque admittimus verba S. Augustini desumpta ex eius lib. I. *De nupt. et concupiscentia* cap. X. legenda esse cum particula negante : « Mortuo viro, cum quo verum connu- » bium fuit, fieri verum connubium *(non)* potest cum quo prius adulterium » fuit, » ut patet ex scopo S. Doctoris ; ac reipsa sine hac particula legunt editores Maurini.

(67) In *Collect. maxima conc.* Venet. tom. VIII. col. 212. Floruit porro Symmachus ab an. 501. ad an. 511.

tentare praesumpserint ita decrevit : « Perimendi sunt oris » gladio et a communione privandi, si relicta sibi decreta se- » niorum observare noluerint, et pastorem suum audire des- » pexerint, et esse separati noluerint. Qui ergo in hac perti- » nacia durare voluerint, et plus in volutabro malae conversa- » tionis permanere, quam se de vetito coniugio separare, pe- » renni excommunicatione damnentur (68). » Ita quidem de impedimento voti Patres Turonenses, qui innituntur tum auctoritate Innocentii I. tum concilii Arelatensis II. id ipsum sancientium. De impedimento criminis ita sanxit conc. Tribu- riense can. LI. « Illud vero communi decreto secundum ca- » nonum instituta definimus, et praeiudicamus, ut si quis cum » uxore alterius, vivente eo, fornicatus fuerit, moriente ma- » rito, synodali iudicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulte- » rius ei coniungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. » Nolumus enim, nec christianae religioni oportet, ut ullus » ducat in coniugium, quam prius polluit per adulterium (69). »

Plures alias sive constitutiones pontificias, sive conciliorum sanctiones praetermittimus, quae magno numero per idem tem- poris proferri possent, quae rem nostram penitus conficiunt (70). Interim ex iis, quae speciminis gratia in medium attulimus, pronum est colligere, Ecclesiam ab aetate apostolica ad conci- lium usque Tridentinum in pacifica ac plena possessione fuisse exercitii illius potestatis, quam ei adstruimus ac vindicamus, in constituendis impedimentis matrimonium dirimentibus. Ex quo rite concluditur iure optimo Tridentinam synodum can. III. et

(68) Apud Harduin tom. III. col. 363. celebratum est an. 567.

(69) Harduin *Acta Concil.* tom. VI. part. I. col. 434. celebratum est an. 895.

(70) Cf. Gerbais op. cit. qui ex quinto, sexto, septimo, octavo ac nono se- culo, ac deinceps usque ad seculum XVI. seu usque ad concil. Tridentinum ostendit concilia tum oecumenica tum provincialia, tam in oriente quam in occidente, seu universam Ecclesiam constanter hanc potestatem circa impe- dimenta impedientia ac dirimentia exercuisse, cuius exercitii documenta illuc recoli possunt a sect. I. ad VII. inclusive partis primae. Deinde a sect. VIII. ¡dipsum confirmat luculentissimis factis, quae ipsi suppetunt a saec. IX. ad XVI.

IV. definivisse, Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, nec in iis constituendis errasse. In hoc quippe statuendo concilium normam universae ecclesiasticae traditionis secutum fuisse dicendum est.

Effecimus proinde, quae hoc in articulo proposuimus, ostendimus scilicet, canones III. et IV. Tridentinae synodi vere esse dogmaticos, secus ac autumaverit Launoius, et evicimus ejusdem Tridentinae definitionis veritatem adversus saeculi XVI. novatores.

Verum parum adhuc profecissemus, nisi simul ostenderimus, Tridentinos Patres, dum definiverunt Ecclesiam posse constituere impedimenta, *Ecclesiae* nomine vere significasse clericalem coetum, seu ecclesiasticam hierarchiam, non autem principes seculares, prout omnium primus Launoius contendit, quod quidem insequenti articulo praestabimus.

ARTICULUS III. — Concilium Tridentinum canonibus III et IV. sess. XXIV. *Ecclesiae* nomine clericalem coetum, seu ecclesiasticam hierarchiam, prout a laicis ac secularibus principibus distinguitur, significavit.

Iam superius animadvertimus novum Launoii figmentum, quo adstruere adnisus est, Tridentinos Patres in adductis canonibus *Ecclesiae* nomine significare voluisse civiles principes, adeo paradoxi instar esse, ut nullum adstipulatorem nactus sit. Attamen Tamburinius eidem favere visus est (71). Quare ut hoc etiam effugium eripiamus ecclesiasticae potestatis adversariis, haud nos pigebit et hoc commentum evertere. Idque efficiemus 1. ex ipsa rei natura; 2. ex scopo Tridentinorum Patrum; 3. ex absurdo; 4. ex facto.

Quod antequam praestemus, aliquid de Launoii doctrina praemittamus necesse est. Probaturus igitur Launoius principibus ius competere, et quidem exclusive, constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, praeter caetera argumenta, quae fusius evolverat ad hanc suam doctrinam persuadendam, tandem

(71) In op. cit. *Praelect. de iustitia christiana, et de sacramentis* vol. II. §. LXXXVIII.

se vertit ad concilii Tridentini auctoritatem. Quum enim concilium duobus canonibus definivisset, Ecclesiam potuisse ac posse constituere eiusmodi impedimenta, Launoius contendit concilium *Ecclesiae* nomen usurpasse ad significandam *alteram Ecclesiae personam*, nimirum principes, qui sunt nobilior Ecclesiae pars. Quod quidem triplici ex capite repetit, tum nempe, quod *Ecclesia* in amplissima sui significatione universum fidelium coetum referat ; tum quod hoc ipso in sensu Ecclesiae nomen usurpaverit Tridentina synodus in hac ipsa sessione XXIV. cap. I. *De reform.* dum constituit matrimonium celebrandum esse *in facie Ecclesiae,* id est fidelium, sive clerici isti sint, sive laici ; tum denique, quia error Lutheri, quem sibi configendum proposuit synodus, versabatur circa principum potestatem in condendis legibus ad irritanda coniugia (72). Quam interpretationem ideo verisimilem Tamburinius existimavit, quod « nullus ab initio erat conflictus in hac re inter » sacerdotes et principes, et vix aliquod huius quaestionis vesti- » gium inveniatur in Tridentina synodo (73). » Quod certe non contigisset, si coarctata *Ecclesiae* vox fuisset ad ecclesiasticum coetum significandum. Hoc postea expendemus. Interim ut Launonianum paradoxum evertamus, ita progredimur.

I. A *rei* ipsius *natura* auspicantes, multiplex argumentum suppetit ad verum sensum evincendum, in quo *Ecclesiae* nomen a Tridentinis Patribus usurpatum sit ex concilii ipsius actis.

Ac 1. quia in concilio agebatur de potestate ac doctrina, ut patet ex ipsis verbis utriusque canonis, quibus definitur Ecclesiam *potuisse* ac *posse* constituere impedimenta, et in iis constituendis non *errasse*. Porro ubi agitur de potestate cum *doctrina* coniuncta, nunquam potest sermo esse de *altera Ecclesiae persona*, seu de laicis fidelibus, qui docendi sunt,

(72) *De regia etc.* part I. art. IV. cap. IV. cit. ed. pag. 757 seqq.
(73) Op. cit. *De matrimonio* cap. IV. §. 87.

seu de Ecclesia *discente* ac passiva, sed unice de Ecclesia activa seu *docente* disseritur, quae constituitur ex coetu hierarchico.

2. Agebatur de definienda illa potestate, cuius pacifica possessione fruebatur Ecclesia, et concilii aetate, anterioribusque seculis ; jam vero, ipsis fatentibus adversariis, ecclesiasticus coetus exclusive in hac erat possessione.

3. Quia hi canones relativi sunt ad canonem XII. in quo concilium decernit, causas matrimoniales ad iudices spectare ecclesiasticos ; porro omnibus fatentibus, *Ecclesiasticorum* nomine concilium in eiusmodi canone coetum clericalem designat ; adeoque et in canonibus nostris voce *Ecclesiae* eumdem ordinem significat.

4. Ex demonstratis, potestas, de qua hic agitur, versatur circa obiectum spirituale, nempe circa materiam idoneam ad sacramentum constituendum. At obiectum spirituale exclusive pertinet ad sacerdotalem ordinem : ergo sacerdotalem ordinem Ecclesiae nomine concilium designat.

II. Nec minus luculenter idipsum ostenditur ex scopo, quem sibi praefixit Tridentina synodus in iis canonibus condendis. Siquidem scopus, quem sibi proposuit concilium fuit Lutheri errores configere (74). Error autem huius haeresiarchae hac in re fuit denegare Ecclesiae potestatem constituendi alia impedimenta praeter illa, quae in Levitico statuta leguntur, non autem, ut nonnulli autumant, denegare principibus potestatem legislatricem, seu potestatem leges circa coniugium ferendi. Etemin mens Luteri deprehenditur :

1. Ex verbis ipsius Lutheri in libro *De captivitate babylonica* : « Coniunctio viri et mulieris est finis divini, quae tenet, quo» cumque modo contra leges hominum contigerit, debentque » leges hominum ei cedere sine ullo scrupulo. » Hoc quidem generale est Lutheri principium. Sed quid ipse intelligit per *leges hominum* ? Leges ne principum ? Minime ; ut patet ex

(74) Fatentur enim Tamburinius et Nestius cum Launoio proscriptum in iis canonibus fuisse Lutheri errorem.

antecedentibus et consequentibus, seu ex totius orationis contextu.

Praemiserat enim : « Quid autem dicemus de impiis legibus » hominum, quibus hoc vitae genus divinitus institutum, est » irretitum, sursum ac deorsum iactatum ? Deus bone, horror » est intendere in *temeritatem Romanensium tyrannorum ;* » adeo pro libidine sua dirimentium, rursum cogentium ma- » trimonia (75). » Homines igitur, Luthero interprete, sunt *Romanenses tyranni,* nimirum Rom. pontifices eorumque, ut ipse loquitur, officiales. Pergit deinde et improbata *Summa Angelica,* quae ad confessariorum instructionem confecta fuerat, et in qua XVIII. recensebantur impedimenta, « Verum gaudeo, » inquit, istis dedecorosis legibus suam tandem contigisse glo- » riam ; nempe earum beneficio hodie *Romanenses* facti sunt » nundinatores... O digna *pontificibus nostris* negotiatio, quam » pro evangelii ministerio, quod prae avaritia, et ambitione » contemnunt (76) ! » Ergo illi homines sunt *pontifices.* Sed rursum prosequitur Lutherus : « Dico tamen, et quod in me » est facio, monens et rogans omnes sacerdotes et fratres, si » viderint aliquod impedimentum, in quo *Papa* potest dis- » pensare, et quod non est in Scriptura expressum, ut ea ma- » trimonia confirment, quae contra *ecclesiasticas, tyrannicas* » *vel pontificias leges* fuerint contracta (77). » Hic non egemus commentariis ad germanam Lutheri mentem assequendam. Sed pergamus insequentia verba afferre : « Et *Papa,* scribit, » *vel episcopus vel officialis,* si dissolverit aliquod matrimo- » nium *contra legem papalem* contractum, antichristus est, et » violator naturae et reus laesae maiestatis divinae (78). » Demum singula impedimenta percurrens, de impedimento impotentiae ita subdit : « Quod si urgeat amor iuventutis, et » quaevis alia necessitas propter quam *dispensat Papa,* dis-

(75) Fol. 295. ed. cit. *recto.*
(76) Ibid.
(77) Ibid. *verso.*
(78) Ibid.

» penset etiam quilibet frater cum fratre, aut ipse cum seipso,
» rapta per hoc consilium uxore de manu tyrannicarum legum
» utcumque poterit.... aut si pro pecunia *Papa* dispensat, cur
» non ipse pro meae salutis commoditate mecum aut cum fratre
» dispensem ? *Statuit leges Papa?* Sibi statuat, mea salva liber-
» tate, vel occulte surrepta (79). » Post haec profecto nullus relinquitur tergiversandi locus de eo, quod sibi furiosus hic haereticus praestituerit , dum invehitur in *leges hominum*. Non modo enim constanter de Papa, de pontificiis legibus , de episcopis loquitur , sed de laicis seu secularibus principibus ne verbum quidem habet, adeoque per *leges hominum* non potuit leges principum significare , neque ullo modo significare intendit.

2. Hoc ipsum efficitur ex eodem Luthero suimetipsius interprete. Cum enim collectores articulorum, qui desumpti sunt ex eius libro *De captivitate Babylonica*, inter caeteros hunc notassent : « Christianis nihil ullo iure posse imponi legum
» sive ab homine sive ab angelis , nisi quantum volunt ; »
Resp. « Hoc non de civilibus legibus, sed *de ecclesiasticis* dixi
» (80). » Sermo vero erat in illo articulo de matrimonii impedimentis. Rursum, cum iidem collectores inter caeteras eiusdem haeresiarchae impias propositiones hanc retulissent :
« Nullo impedimento prohiberi matrimonium, aut contractum
» dissolvi, praeterquam primo affinitatis ac secundo consan-
» guineitatis gradu, neque tamen universaliter ; » pariter respondit Lutherus : « Hoc dixi quoad praeceptum Dei, qui sic
» ordinavit, licet papa aliud ordinet (81). » Si igitur Lutheri

(79) Ibid.

(80) In op. *Responsio extemporaria ad articulos, quos magistri nostri ex Babylonica* (captivitate) *excerpserunt*. Opp. Luth. tom. II. fol. 441. *tergo*. ed. Ienae 1557.

(81) Ibid. fol. 442. *recto*.

Non est hic sine animadversione dimittenda Lutheri incohaerentia, dum non alios gradus sive affinitatis sive consanguineitatis contendit posse aut impedire, aut dirimere coniugium, quam qui divino iure in Levitico sunt constituti, attamen ipsemet devovit diris Moysen legemque Mosaicam universam.Sic enim

Lutherum adhibeamus interpretem, evidens est ipsum per *leges humanas* seu *leges hominum* intellexisse leges ecclesiasticas seu pontificias.

3. Demum cum Facultas Parisiensis duas has propositiones, quae habentur num. 14. et 15. *Coniunctio viri etc.* et *Debent sacerdotes etc.* prout nuper retulimus, excerpsisset ex lib. *De captiv. Babylon.*, illas hac censura notavit : « Utraque » harum propositionum est falsa : *Ecclesiae potestati* impie » derogativa , et ex damnato Waldensium errore procedens » (82).» Nemo porro sanus inficias ibit, longe melius illius aetatis theologis Parisiensibus perspectam fuisse Lutherii mentem, quam Launoio ejusque asseclis, qui non alium in finem et hoc invexerunt commentum, nisi ut suum paradoxum aliqua ratione cohonestarent (83).

scribit in *Serm.de Moyse* :«Mallem nunquam concionari quam aliquid ex Moyse » proponere : allegare Moysen est Christum ex cordibus hominum auferre. » Moysen non admitto : quia, si eum in uno articulo recipio , recipere etiam » oportebit in omnibus ceremoniis Iudaicis. Nolumus admittere Moysen, quia » mortuus est, et regimen eius finitum.Stulti patiuntur se induci in Moysen, » sicut porci in stabulum. Moyses non pertinet nisi ad Iudaeos, non ad chris- » tianos,non ad gentiles. Nullus ergo apex aut *punctum* ad nos pertinet... ex » textu clare patet, quod etiam decem praecepta ad nos non pertinent ; non » enim nos,sed solum Iudaeos Dominus ex Aegypto eduxit.» Et tamen impedimenta admittit, quae in Levitico continentur , quasi nempe Moyses Leviticum non scripsisset ! En quid sint haeretici, quam sibi bene cohaereant !

Neque illud praetermitti debet, quod cum prius nullam admiserit auctoritatem in coniugium nisi divinam, deinde cum coniugium in classem rerum profanarum relegasset , principum in illud auctoritatem agnovit. Cf. Cochlei *Miscellanea in causis religionis* Ingolstadii 1545. lib. II. tom. I. n. 185. Seckendorf *Historia lutheranismi* lib. III. sect. XV. pag. 49. Tantum abest, ut voluerit Lutherus eripere principibus potestatem statuendorum impedimentorum !

(82) Ita in opusc. *Propositiones ex libro Lutheri, qui De captivit. Babylon. inscribitur, collectae , et per theologorum Parisiensium facultatem damnatae.* Insertus est autem hic elenchus opp. Lutheri ed. cit. tom. II. fol. 445. seqq.

(83) Ipsa verba propositionis 15. rem aperte declarant : « Debent sacer- » dotes ea omnia matrimonia confirmare, quae contra *ecclesiasticas* vel *pon- » tificias* leges fuerint contracta, in quibus papa potest dispensare, et quae » non sunt in Scriptura sacra expressa. » Apud d'Argentré *Collectio iudiciorum de novis erroribus.* Lutet. Paris. 1728. tom. I. part. II. p. 368.

III. Ex *absurdis* praeterea, quae consequerentur in systemate Launoiano, excluditur eiusmodi interpretatio, quod *Ecclesiae* nomine concilium significare intenderit principes laicos in praefatis canonibus.

1. Etenim si vera foret Launoii interpretatio, sequeretur, concilium voluisse *collectioni principum*, qui dominantur orbi catholico, tribuere potestatem circa impedimenta matrimonii. Cum enim *Ecclesiae* vox universalitatem fidelium complectatur, non possent principes *alteram Ecclesiae personam* referre, ut Launoius loquitur, nisi quatenus Ecclesiam universalem repraesentant; iam vero eam nemo principum singillatim sumptus referre potest, ut dici possit *Ecclesiam* hoc vel illud efficere aut constituere.

2. Sequeretur contra Launoii mentem, nullum principem in suis respective Statibus potuisse aut posse legem condere ad matrimonia dirimenda. Nec enim quispiam singularis princeps posset caeterorum omnium nomine legem ferre; atqui tamen hac solum sub conditione tali polleret potestate.

3. Sequeretur, principes infideles, aut haereticos nullam posse legem eiusmodi statuere relate ad subditos suos christianos; cum potestas illa eis non competeret, nisi quatenus sunt *altera Ecclesiae persona*, quales profecto non sunt principes sive infideles, sive haeretici.

4. Sequeretur, principes non propria ac originaria potestate hac in re frui, seu iure principatui insito, sed solum iure adscito, quatenus membra Ecclesiae catholicae sunt, eamque prae se ferunt. Quod pariter est contra Launoii eiusque asseclarum hypothesim.

5. Absurdum est voluisse concilium se coetumque omnem sacerdotalem expoliare iure constituendi impedimenta dirimentia, illudque transferre dogmaticis canonibus in illam idealem principum collectionem veluti in *alteram Ecclesiae personam*, et ita eis vindicare, ut sub anathematis interminatione eos coerceret, qui dicerent illos errare in constituendis impedimentis coniugium dirimentibus.

IV. Quid ? quod *facto* ipso concilium ostendit, quid significaretur eo nomine *Ecclesiae*, cui ius asseritur impedimenta constituendi ? In ipso enim Tridentino concilio Ecclesia, nimirum ecclesiastica hierarchia, non autem *altera Ecclesiae persona* novum impedimentum clandestinitatis constituit, eademque Ecclesia noluit principibus acquiescere postulantibus, ut irritaret filiorum familias matrimonia inita contra parentum voluntatem. Quod quidem argumentum ita clarum est, ut eo maxime permotus vel ipse anonymus auctor operis *De iure constituendi impedimenta dirimentia* (84), quamquam in caeteris Launoio faveat, hic a duce suo dissentiat, eiusque interpretationem fateatur esse prorsus intentioni concilii contrariam.

Ergo sive ipsa rei natura, sive scopus concilii, sive absurda spectentur, quae sequerentur ex opposita sententia, sive demum inspiciatur *factum* ipsius concilii, vere constat fuisse et esse paradoxum, quod effutiit Launoius, dum contendit, Tridentinam synodum in adductis canonibus III. et IV. vocem *Ecclesiae* usurpasse ad laicos principes significandos.

Verum quid dicendum de Launoii exceptione, quod concilium in *Decreto De reform.* vocem Ecclesiae adhibuerit in sensu collectionis fidelium : *in facie Ecclesiae ?* Dicimus reipsa Ecclesiae nomen duplici sensu adhiberi posse, et sensu generalissimo et sensu specifico. Primo sensu Ecclesiae nomine significatur fidelium omnium coetus sub pastoribus suis ; posteriori vero sensu ac veluti antonomastice solus significatur pastorum coetus,

(84) *Del diritto de stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio* ed. di Pavia 1783. e Cremona 1784. qui vol. II. *Ragionam.* I. pag. 14. ed. Ticinens. scribit fuisse *contrariam intentionem concilii* « Mentre esso in *pratica*, nessuna menzione fatta di sovrani, e colla semplice frase di *Sancta synodus praecipit etc.* ha fatti nuovi impedimenti dirimenti, altri ne ha modificati e ristretti, ed ha ricusato di praestarsi a stabilir nulli i matrimonii de' figli di famiglia senza il consenso de' parenti. Ora una tale condotta del concilio ben dimostra, quale sia stata la sua intenzione usando nelle dette definizioni della parola *Chiesa*. Infatti dopo aver definito che alla chiesa compete un tal diritto, sottentra il sinodo ad usarne. Dunque per *chiesa* intender si dee il *sinodo*, vale a dire l'unione e l'assemblea de' pastori ecclesiastici, il che poi significa la *persona sacerdotale*. »

seu ecclesiasticus ordo. Ex substrata proinde materia dignosci debet, utro sensu Ecclesiae vox adhibita sit, aut adhibeatur. Si sermo sit de iis, quae ad communitatem fidelium spectant, illico deprehenditur latiori significatione Ecclesiae nomen usurpari ; si vero sit sermo de muniis, quae ad solos pastores pertinent, cuiusmodi essent docere, praecipere, regere, vetare, constituere etc. ad solum hierarchicum coetum designandum vocem eamdem coarctari perspicuum est.

Has vocis Ecclesiae diversas significationes iamdiu cancellarius Parisiensis Gersonius animadverterat, qui *Consideratione III. De regiminis perfectione* haec habet : « Ecclesia significat » principaliter universalem congregationem fidelium.... Nomen » tamen istud vulgaris usus restrinxit ad clerum (85) » et alibi : » Quamvis domus ista (Ecclesia) sit generaliter omnium in una » vera Christi fide coadunatorum, usitatiori tamen nomine illo- » rum, quasi autonomastice, dicitur, quos duces in ea, cus- » todes, et speculatores summus paterfamilias instituit, unde » eos, et non sic passim alios, ecclesiasticos appellamus (86). »

Huiusque distinctionis fundamentum praebent ipsae sacrae litterae : in prima significatione legitur Matth. XVI. *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, id est, fideles omnes, qui eamdem cum Petro fidem profitentur eique subsunt ; in altera vero ibidem cap. XVIII. dicente eodem Christo : « *Si eos non audierit, dic Ecclesiae ;* » nempe ut interpretatur S. Io. Chrysostomus : « Dic Ecclesiae, id est *praesidibus*, » seu Ecclesiae praelatis (87).

Quapropter dum concilium Tridentinum constituit coniugium celebrandum esse *in facie Ecclesiae*, cum nihil sit quod ad coarctandam huius vocis significationem compellat, in amplissimo sensu sumi potest (88). Quum vero in nostris canonibus

(85) Opp. ed. Antwerp. 1706. tom. II. col. 683.

(86) *Serm. in Dominic. XIX. post Pentecost. tert. consid.* tom. III. col. 1500.

(87) Τοῦτ' ἔστι τοῖς προεδρεύουσιν. Hom. LX. in Matth. n. 2.

(88) Non desunt tamen, qui contendant etiam hic per Ecclesiae nomen fuisse designatum clericalem coetum, quatenus Tridentinum statuit celebrandum esse matrimonium coram episcopo, parocho, aut alio sacerdote a parocho electo,

omnia evincant, arctiorem sensum postulare Ecclesiae vocem, eo quod de potestate agatur atque doctrina, nullum potest dubium esse, quin ad sacerdotalem coetum designandum eam Tridentini Patres acceperint. Hinc apposite rursum Gersonius scribebat: « *Ecclesia* contracte sumitur, dum loquimur hic de » potestate ecclesiastica, pro illis videlicet, qui speciali quodam » signaculo dedicati sunt ad divinum servitium (89). » Atque hoc eodem sensu adhibetur a conc. Tridentino sess. XIII. can. 9. sess. XIV. can. 15. sess. XXI. cap. 2. sess. XXII. cap. 5. et 6. et in hac ipsa sess. XXIV. can. 7. 8. e 9. Quinimo eodem hoc sensu vel ab ipso Luthero, uti ostendimus, adhibitum Ecclesiae nomen est, cum eidem denegat potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia (90).

Ex eo vero, quod nulla hac de re excitata fuerit quaestio, eo melius ostenditur ignotum fuisse tunc temporis Launoii commentum, ac novum prorsus, adeoque falsum esse hoc eius effugium.

Articulus. IV. — Canones Tridentini III. et IV. sess. XXIV. de potestate propria ac originali Ecclesiae intelligi debent, non autem de potestate adventitia, quae ex principum sive expresso sive tacito consensu proveniat.

Nonnisi pauci theologi, aut canonistae cum Launoio eo devenerunt, ut Ecclesiam de *usurpato* principum iure incusarent, dum sibi ius tribuit circa impedimenta matrimonium dirimentia (91). Plerique neoterici contenti fuerunt affirmare, concilium Tridentinum in memoratis canonibus locutum fuisse de potestate Ecclesiae, at ea non insita, sed adscita ex principum expressa aut tacita consensione, quatenus pro sua erga Ecclesiam pietate ac favore a pluribus seculis exercitium huius potestatis Ecclesiae concesserunt aut permiserunt (92). Ex quo principio nonnulli

(89) In *Considerat. I. De potestate ecclesiastica* tom. I. col. 227.

(90) Cf. Deodatum *Defensio Tridentin. canon* cap. I. §. 3.

(91) Attamen paucis ab hinc annis, nempe an. 1852. non defuerunt, qui inverecunde asserrent, potestatem, de qua agimus, fuisse *usurpationem Ecclesiae* medio aevo. Ita in comitiis Subalpinis. Ved. *Il parlamento-Senato regio.* p. 189.

(92) Primus, quod sciam, qui affirmaverit principes christianos pro sua erga Ecclesiam pietate, eidem aut potestatem aut potestatis exercitium circa im-

intulerunt, posse principes suam hanc concessionem revocare, praesertim cum agatur de iure, ut ipsi loquuntur, *maiestatico* atque idcirco inalienabili, utpote quod principatui ipsi inhaereat (93). Iniuriosam, immo vero blasphemam Launoii semi-lutherani hominis criminationem dimittentes, nos hic caeterorum tantum refellemus sententiam, argumentis petitis ex pontificia auctoritate, ex concilii ipsius Tridentini mente in his canonibus edendis; ex falsitate eorumdem canonum in adversariorum hypothesi; atque ex adiunctis. Hoc pacto, non dicam gratuitam ac falsam, sed plane erroneam et haereticalem esse eiusmodi doctrinam apertissime ostendemus (94).

I. Ac primo ex auctoritate. Cum enim archiepiscopus Trevirensis certiorem fecisset per litteras suas Pium VI. de nonnullorum recentium pseudo-politicorum et canonistarum sententia, quod Ecclesia ex principum indulgentia, non autem ex propria ac originaria auctoritate constituerit impedimenta matrimonium dirimentia, summus pontifex pro munere suo his verbis ad eum rescripsit: « Auctoritatem sane constituendi matrimonialia » impedimenta penes Ecclesiam esse, dubitari nullo modo a » catholicis potest, *cum id definierit*, Tridentinum concilium » sess. XXIV. can. IV. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse* » *etc.* ex quo catholici doctores, illi etiam, qui plurimum laicae » potestati favent ac tribuunt, minime dubitarunt agnoscere » Ecclesiae eam auctoritatem a Christo Domino esse datam, ip-

pedimenta connubialia cessisse, fuit Petrus Soto, qui in op. cit. *De institut. sacerdotum* lec. IV. postquam etiam principibus ius adscripsit constituendi impedimenta, subdit circa finem « Quamquam civiles leges in his omnibus » *ex pietate* certe et voluntate principum facile cesserint Ecclesiae, ut iam nul- » lum censeatur matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non iudicat. » Caeteri deinde eum exscribunt ac sequuntur.

(93) Prout passim loquuntur theologi et canonistae, qui non ita pridem in Germania et Austria potissimum pro principum hac in re potestate steterunt.

(94) Cf. Diodati *Nuova difesa dei canoni* III. e IV. della sess. XXIV. del concilio di Trento. Gerapoli 1788. Auctor est pseudonymus ac pseudonyma Hierapolis ubi primum haec defensio excusa est; vix enim ea aetate fas erat quibusdam in locis huiusmodi operibus proprium nomen apponere. Cf. etiam card. Gerdilium *Trattato del matrimonio* part. II. §. VI his enim ducibus potissimum utemur.

» samque illa a primis seculis ad haec usque tempora usam fu-
» isse. . . . Hinc tanto magis efficitur , ab Ecclesia *proprio iure*
» constituta esse impedimenta planeque locum eripi cavillationi,
» qua quidam Tridentinae synodi definitionem eludere contendunt,
» cum dicunt , concilium non definivisse, utrum haec auctoritas
» ex Christi institutione, an ex principum indulgentia tacita vel
» expressa in Ecclesiam manaverit (95). Quoniam cum ea apostoli
» sancirent , quae ad fidelium coniugia pertinerent , eorumque
» proximi successores, certe illam non ex hac indulgentia tenuisse
» dicendi sunt, sed usi eadem cum fuerint, nonnisi a Christo una
» cum clavibus ipsam se recepisse iudicarunt. Quod si a Domino
» non recepissent , profecto in ea sibi tribuenda errassent , ac
» in legitima principatus iura invassissent. Id quam sit absur-
» dum quisque facile intelliget. »

« Notum est etiam , pergit summus pontifex , quod can. III.
» eiusdem sess. XXIV. definitum est , posse Ecclesiam consti-
» tuere ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo
» unquam tempore dogma fidei falsum esse potuerit aut esse
» possit ; necesse est , ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto
» tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futu-
» rum sit , Ecclesiam ea , quae in concilio asseritur , potestate
» pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam
» habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Eccle-
» siae temporibus , sub principibus nimirum ethnicis , verum

(95) Inter quos recensetur Zegerus Van-Espen qui in op. *Ius canonicum* tom. I. tit. XVII. c. 7. §. XII. scribit : « Concilium (Tridentinum) non definit ,
» utrum ex Christi institutione , vel utrum ex principum indulgentia tacita vel
» expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiae compe-
» tat. » Ast non ex propria sed ex aliorum potius sententia Van-Espenium haec protulisse certum videtur ex iis quae idem auctor ibid. Scripsit §. XVI.
» Quidquid sit (de aliorum sententiis) hoc constat iam a pluribus seculis Eccle
» siam , et quidem *privative et cum exclusione principum secularium*, impedi-
menta dirimentia inter catholicos ordinasse » Quod cum adductis documentis ostendisset, concludit §. XX. iure Tridentinam synodum definivisse, Ecclesiam potuisse et posse constituere impedimenta. Cuius verba postea afferemus. Itaque nimis festinanter Tamburinius ac Nestius illam sententiam Van-Espenio tribuerunt.

» esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse iis in
» locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium domina-
» tione ; et si ob aliquam, ut vocant, rationem Status, principes
» revocata ea , quae obtenditur , indulgentia et concessione ,
» abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset,
» ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque
» portenti existeret , ut aliquando dicendum foret , Ecclesiam
» non posse , quod Ecclesiam posse Spiritus sanctus oecumeni-
» cae synodi oraculo declaravit (96). »

Hactenus quidem Pius VI. in litteris datis an. 1782. hac super re, qui deinde in Constitutione dogmatica *Auctorem fidei* edita an. 1794. adversus pseudo-synodum Pistoriensem , quae eamdem de adventitia Ecclesiae auctoritate doctrinam adoptavit insequentes propositiones confixit: LX. « Doctrina synodi asse-
» rens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie*
» *spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius ge-*
» *neris, quae ipsum nullum reddant, dicunturque* dirimentia ;
» *quod eius originarium*, praeterea dicitur *cum iure dispen-*
» *sandi essentialiter connexum*, subiungens, *supposito assensu,*
» *vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere*
» *impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii.* Quasi
» Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matri-
» moniis *iure proprio* impedimenta constituere, quae matrimo-
» nium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vin-
» culum , quibus christiani obstricti teneantur , etiam in terris
» infidelium , in eisdemque dispensare. *Canonum* 3. 4. 9. 12.
» sess. 24. *Concilii Tridentini eversiva, haeretica.* » Prop. LXI.
« Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impe-*
» *dimentorum tollat cognationem spiritualem*... tum ut *restringat*
» *impedimentum affinitatis etc.* - Quatenus civili potestati ius
» attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae
» auctoritate constituta vel comprobata : item qua parte supponit
» Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse *iure suo* dispen-

(96) Breve Pii VII quod incipit: *Post factum tibi.* Ad archiep. electorem Trevirens. die. 2. Feb. 1782.

» sandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis, » —libertati ac potestati Ecclesiae subversiva, *Tridentino contra-* » *ria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*»

Cumque his damnatis propositionibus non obstantibus, Nepomucenus Nuytz eamdem doctrinam renovaverit, iterum Pius IX. eam proscripsit ita se habentem : « Ecclesiam non habere » potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, » sed eam civili potestati competere, a qua impedimenta existen- » tia tollenda sint (97). » Item in ea parte, qua idem auctor affirmat, « Ecclesiam sequioribus seculis dirimentia impedimenta » inducere coepisse *non iure proprio* sed illo iure usam, *quod a* » *civili potestate mutuata erat;* Tridentinos canones ( sess. 24. » De matrim. c. 3. et 4.) qui anathematis censuram illis inferunt, » qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae » negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel *de mutuata* » *potestate* esse intelligendos (98). »

Caeteris igitur omissis, quae ex auctoritate etiam gravium theologorum adduci possent (99), exploratum est sententiam adversariorum contrariam omnino esse Rom. pontificum auctoritati, a quibus eiusmodi doctrina uti *haeretica* proscripta est ; adeoque a nullo catholico defendi potest.

II. Non minus luculenter eadem adstruitur veritas spectata ipsius Tridentini concilii mente, quae patefit :

(97) *Damnatio et prohibitio operis cui titulus Iuris ecclesiastici etc.* Io. Nepomuceni Nuytz.

(98) Ibid. Mirum vero est in universitate catholica, et ab auctore catholico post solemne adeo iudicium latum in dogmatica constitutione adversus pseudo-synodum Pistoriensem, potuisse eiusmodi doctrinam publice in scholis tradi, propinari iuventuti, ac publicis typis committi, et quidem aetate hac nostra, in qua omnino ea antiquata ac obliterata videbatur penes omnes.

(99) Inter quos nominatim sunt Natal, Alexander *Theol. dogmat. et moral.* lib. II. c. IV. art. 1. qui aperte statuit proposition. « Ecclesiam potuisse ac » posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia *dogma fidei est.* » Drouin *De re sacramentaria* lib. IX. quaest VI. cap. I. §. 1. qui pariter adstruit « *tanquam dogma fidei* in concilio Tridentino nova definitione contra » Lutheri temeritatem assertum. » Ambo doctores Sorbonici adversus Launoium. Quibus addi debet Estius *Comment.* in lib. IV. sent. XXXIV. §. 1.

I. Ex fine, quem sibi praestituit, asserendae veritatis catholicae adversus Lutherum caeterosque illius temporis *haereses et errores*. Iam vero Lutherus ne suspicatus quidem erat, potestatem constituendi impedimenta matrimonialia fuisse in Ecclesia adscititiam, atque originario iure ad principes laicos spectare ; alioquin absque dubio pro furore, quo agebatur adversus apostolicam Sedem, hortatus principes christianos fuisset ad revocandam, sibique vindicandam potestatem illam , qua adeo tyrannice, iuxta ipsum, Rom. pontifex abutebatur.

2. Patefit ex eo, quod concilium *in Spiritu Sancto congregatum* nunquam sollicitum sit de adstruenda in adversariorum sensu dogmatice principum secularium potestate, seu potestate sibi extranea , sed de ea tantummodo, quam ex *divina revelatione* se accepisse novit. Eiusmodi autem est potestas ecclesiastica, seu Ecclesiae ministris a Christo data; non potuit igitur Tridentina synodus in binis recitatis canonibus loqui nisi de Ecclesiae *propria* potestate, eamque dogmatice definire.

3. Patefit ex usu, quem eiusdem potestatis fecit concilium tanquam sibi propriae in hac ipsa sessione ; ut enim paulo ante animadvertimus, in Decreto de reformatione legitur : « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero » contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, » quamdiu *Ecclesia* irrita non fecit.... Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii » licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt , eos *sancta synodus* ad sic contrahendum » inhabiles reddit, et huius modi contractus irritos et nullos » esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. » Porro nemo negaverit hoc in decreto Ecclesiae nomine ecclesiasticam hierarchiam seu sacerdotalem coetum designari, qui potestatem suam exercens novum dirimens impedimentum constituit. At vero potestas, qua usa est Ecclesia in reformationis decreto, eadem est illa potestas, quam in canonibus definivit. Cum itaque in decreto evidenter fiat sermo de potestate non quidem adscita atque adventitia , sed originaria ac

propria, manifestum fit in canonibus III et IV. de propria, nativa atque originaria potestate pariter concilium fuisse locutum.

III. Praeterea, data adversariorum hypothesi, falsitati obnoxia foret dogmatica definitio Tridentina, immo et aperte falsa. Etenim si esset adventitia Ecclesiae potestas in constituendis impedimentis connubialibus, seu proveniens ex principum conniventia ex tacito seu expresso eorum consensu; quemadmodum eam principes Ecclesiae communicarunt, sic possent eodem iure revocare, poscentibus praesertim rerum adiunctis. Porro hac in hypothesi, iam falsa omnino foret Tridentina definitio, quod Ecclesia potuerit et possit statuere eiusmodi impedimenta.

Si aliquis imperans pergeret hanc potestatem concedere, alter vero eam recusaret Ecclesiae; in regionibus, in quibus summus imperans eam adhuc concederet, sua veritas canonibus Tridentinis consisteret, in caeteris vero, in quibus denegaretur, non item; adeoque vera aut falsa esset pro locorum ratione haec dogmatica definitio.

Demum falsa prorsus dogmatica eiusmodi definitio fuisset quoad tria priora Ecclesiae secula, et falsa adhuc foret in illis omnibus regnis ac provinciis in quibus principes infideles, haeretici aut schismatici dominantur; cum hi profecto facultatem istam Ecclesiae nulla velint ratione concedere; quin potius, si possent, eidem illam eripere summopere contenderent.

Absonum porro est vel cogitare, veritatem dogmaticae definitionis, quae nempe divinae revelatae doctrinae innititur ac infallibili Spiritus Sancti adsistentia ac numine ex principiis catholicis emissa est, pendere a tempore, loco, personisque, eique posse falsum subesse. Fatendum est igitur absonam, absurdam, fideique catholicae contrariam illorum esse doctrinam, qui contendunt Tridentinos canones intelligi posse, immo et debere de potestate Ecclesiae adventitia, quaeque ex principum conniventia ac favore proveniat.

IV. Cuncta demum rerum adiuncta commentitium plane

eiusmodi placitum excludunt. Siquidem cum Tridentinae synodo interfuerint principum oratores oculatissimi, quique summo studio cavebant, ne minimum quid derogaretur principum suorum iuribus, aut ea viderentur laedi, profecto illico insurrexissent, fuissentque protestati contra propositos canones, si deprehendissent ac etiam suspicati solum fuissent, ita illos ambigue constitui, ut principum originarium ius aut excludi, aut in dubium revocari videretur. Nunquam enim fuissent passi, ut ita adstrueretur et quidem dogmatice Ecclesiae potestas in dirimentibus impedimentis matrimonii constituendis, si istiusmodi potestas non esset ei nisi adventitia ex suorum principum indulgentia; atque exegissent proculdubio, ut in redigenda eorumdem canonum formula fieret expressa mentio de originaria imperatoris, regum, caeterorumque principum potestate: ut patet ex constanti eiusmodi aulicorum agendi ratione, qui de iuribus principum magis se sollicitos ostendere consueverunt, quam principes ipsi. Atqui tamen ex tot oratoribus in concilio ne unus quidem extitit, qui vel mussitaret aut hisceret; quod argumento est ineluctabili, nondum eo tempore in aulicorum ac politicorum mentem subiisse sententiam nostrorum neotericorum de potestate Ecclesiae adventitia in constituendis impedimentis connubia christiana dirimentibus.

At quoniam adversarii tam praefidenter affirmant, potestatem hanc Ecclesiae adventitiam esse ex principum concessione, agedum adiuncta rei, temporis, loci, ac personarum inquiramus: proferant quo loco, quove tempore, et quibusnam principibus aut annuentibus aut conniventibus Ecclesia incoeperit hac uti potestate. Provocati saepius adversarii, ut edicerent, quandonam et a quibus principibus pro sua eximia pietate ac liberalitate tanti momenti concessio facta Ecclesiae fuerit, nil definitum certumque responderunt, nec respondere unquam poterunt. Quandoquidem ea concessio locum non habuit, quum piissimi principes imperium regerent, Constantinus Magnus, Valentinianus I. Theodosius senior, eiusque filii Arcadius et Honorius, deinde vero Valentinianus III. Gratianus, Marcianus.

aliique pii et catholici imperatores : nam iuxta adversarios principes isti auctoritate sua impedimenta dirimentia constituerunt : neque ea cessio locum habuit sequioribus seculis, sive quum Pipinus, Carolus M., Ludovicus Pius, sive quum Gothi, Longobardive imperarent; siquidem iuxta adversarios huiusce temporis principes iuris sui prorsus tenaces in suis codicibus impedimenta dirimentia pariter constituerunt.

Restat igitur ut tanta in Ecclesiam pietas ac liberalitas maxime emicuerit cum iurgia atque dissidia atrocia diuturnaque tum ob alia, tum etiam ob causas matrimoniales inter sacerdotium et imperium exarserunt, sub Philippo Augusto, Philippo Pulchro, Lothario, Ludovico Bavaro aliisque huiusmodi. Ecquis autem talia ferét absurda ?

Deinde, vel singillatim singuli, vel omnes simul principes consensione facta ius constituendi impedimenta dirimentia Ecclesiae ac potestatem contulissent. At neutrum dici potest ; non primum, scilicet singulos contulisse, alioquin illorum nomina cognosceremus, Romanique pontifices et concilia pro tali tantaque liberalitate grati animi significationem illis exhibuissent ; non alterum, seu non omnes simul ; quum ad instar miraculi huiusmodi conspiratio atque consensio haberi deberet, quum potius experientia diuturna patefecerit, principes seculares tentasse non raro in iura ecclesiastica invadere et Ecclesiae libertatem contra ius coercere, non autem de propriis iuribus Ecclesiae aliquando liberaliter ac facile aliquid concedere : imo, ut verbo dicam, principes ut plurimum Ecclesiae liberaliter cesserunt, quod eidem eripere non potuerunt (100). At-

(100) Apposite Guillielmus Durandus iunior, episcopus Mimatensis, in tractatu *De modo generalis concilii celebrandi*, iussu Clementis V. edito, de potestatibus secularibus agens part. II. tit. 70. scribit : « Quasi per quamdam alluvionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit, ita et per ipsos iurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur ; quidquid ad ecclesiasticam iurisdictionem, potissime quod ad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe vel indirecte per eos ecclesiastica iurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus, nec iam

tamen si adversarios audias, principes pro sua erga Ecclesiam pietate a pluribus saeculis ante concilium Tridentinum totum matrimonialis potestatis exercitium dimiserant ! Hinc contendunt, hoc tantum sensu Patres Tridentinos suis canonibus Ecclesiae potestatem vindicasse, vel certe nullatenus significasse an ea potestas, quae in canonibus asseritur, originaria sit atque Ecclesiae insita, an vero adscita ex expressa tacitave principum concessione. At quam absurde obvium canonum sensum contorqueant ex hactenus dictis abunde patet.

Ast praestat, antequam huic articulo finem ponamus, expendere vim illius formulae omnium aulicorum ac regalistarum non ita pridem ore tritae, *de expressa vel tacita principum consensione* Ecclesiam statuisse impedimenta matrimonium dirimentia ; adeoque illa supposita consensione concilium Tridentinum definivisse in memoratis canonibus Ecclesiam *potuisse* ac *posse* illa constituere. Vix legas auctorem aliquem superioris seculi ex iis, qui principum causam hac in re susceperunt patrocinandam, in quo eam phrasim, seu formulam non offendas *de expressa vel tacita principum consensione*. Siquidem receptum est, ut cum quis formulam ad finem aliquem idoneam invenerit, illico a scriptorum vulgo ea arripiatur, et quin eius valorem perpenderint atque ad trutinam revocaverint , alter ab altero eam exscribat ac repetat veluti axioma inconcussum.

Igitur pervulgata eiusmodi formula non est nisi pallium ad tegendam honestius turpitudinem alterius formulae quam primus adscivit Launoius, dum potestatem, de qua loquimur, vocavit audacissime *Ecclesiae usurpationem* (101). Cum vero nimium in ore catholici scriptoris *usurpationis* vox aures percelleret, mitiorem formulam substituerunt *taciti vel expressi principum consensus*. Verum res eodem recidit, neque minus iniuriosa

» constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet. » Post haec, longum attexuit catalogum casuum in quibus seculares potestates iam aetate sua iura ecclesiastica sibi adscribebant. Venet. 1661. vol. un. in-8. pag. 153 seqq.

(101) In op. cit. *De regia etc.* Cf. Deotatum op cit. *Defensio etc.* cap. V. §. 1.

Ecclesiae est, quam altera. Quod ut evincamus, satis est intimius istius formulae virtutem rimari ex adversariorum mente.

Nam cum intellexerint, se nulla prorsus ratione posse neque ex diplomate aliquo, non dicam omnium, sed ne unius quidem imperantis seu principis, neque ex actis aut Rom. pontificum aut conciliorum, sive historicis documentis ostendere, principes hanc cessionem Ecclesiae fecisse suae potestatis in matrimoniis dirimendis, aut etiam eiusdem exercitii, hinc se receperunt ad disiunctivam consensus *sive* expressi, *sive* taciti. Ast cum certum sit principes illam cessionem non fecisse consensione *expressa* reliquum est ut in istorum hypothesi consensio fuerit *tacita*. Quid porro importat seu significat *tacita* consensio ? Nihil aliud, quam silentium illius, qui loqui posset ac deberet, si quid ipse nollet fieri, quod ab aliquo fit. Duo igitur consensus ille tacitus flagitat, nempe auctoritatem in eo, qui silet, et alterius actionem, quae fieri legitime non posset sine illius auctoritatae (102). Ex qua notione patet, eos, qui urgent consensionem tacitam, tanquam probatum ac certum assumere , principes pollere potestate originaria ac propria statuendi impedimenta matrimonialia, atque Ecclesiam eadem hac potestate penitus esse destitutam. Assumunt praeterea, Ecclesiam coepisse veluti clanculum ac furtive sensimque sine sensu eamdem potestatem ad se trahere suamque facere , confisam principum aut indolentia in propriis iuribus vindicandis, aut suorum iurium ignoratione. Nisi enim alterutrum supponatur, locum habere nequit tacitus eiusmodi consensus. Ex his primum est iniuriosum principibus, perinde ac si omnes fuerint incuriosi, ignorantes aut plumbei, ita ut sub oculis suis paterentur tanti momenti iura sibi eripi ac eludi, quin cognoscerent aut adverterent. Alterum est summopore iniuriosum Ecclesiae, quasi nempe ipsa calliditate ac fraudulentia usa fuerit ad aliena iura sibi vindicanda.

Quid vero esset callida haec ac fraudulenta Ecclesiae agendi ratio , nisi pura putaque usurpatio , qualem conceptis

(102) Cf. Deodatum *Defensio Trident. canon.* Hierapoli 1786. cap. V. §. IV.

verbis eam vocaverat Launoius ? Merito propterea diximus, formulam hanc, penes neotericos regalistas vulgatam, esse substitutionem ad mitigandum horrorem, quem prior formula animis catholicis ingerebat, re autem unum idemque significare.

Sane quod adversarii sub hoc verborum involucro ac tegumento veram ex parte Ecclesiae alienorum iurium usurpationem significare intendant, patefit ex eo, quod omnes istiusmodi scriptores originem repetant potestatis, aut exercitii saltem, quod Ecclesia in matrimonia sibi tribuit, ab epocha illius tenebricosi medii aevi, quando ignorantia ac sopor universalis omnes mortales occupabat. Nam licet inter se non conveniant in determinando definiendoque praecise tempore, quo Ecclesia ita agere coeperit, cum alii sec XI. alii sec. VIII. alii alio contigisse confingant ; tamen plerique consentiunt id coepisse ex quo pseudo-Isidorianae epistolae vulgatae sunt. Inter hos Nestius veritus non est affirmare, his falsis decretalibus innixos Tridentinos Patres canones, de quibus agimus, edidisse (103). Quasi nempe 1. Ecclesia potuerit dogmaticas dare definitiones, quae non inniterentur divinae revelationi; 2. compertum non fuerit apud eruditos vel ante ipsius concilii celebrationem illam collectionem fuisse suppositititiam (104) ; 3. non constiterit, longe ante quam illa collectio ederetur, Ecclesiam constituisse impedimenta matrimonium dirimentia ; 4. notum non sit apud eruditos illas epistolas nihil innovasse circa fidem, immo neque circa disciplinam, sed sub falsis epigraphis veterem, aut saltem illa aetate, qua confecta illarum collectio est, receptam prae se

(103) Th. Nestii Pistoriensis *De dirimentibus matrimon. impedimentis liber singularis.* Neapoli 1786. cap. IX. pag. 77. « Cum tamen illud, inquit (supremum ius) ex adulterinis Evaristi, Fabiani, ac Callisti decretis, quae » *tunc temporis* (concilii Tridentini) *vera sinceraque habebantur* profluxerit... » perspici aptissime potest, Tridentinam illam definitionem, quippe quae commentitiis falsisque principiis ac fundamentis continetur etc. »

(104) Longe ante celebrationem concilii Trid. falsitatis accusaverant epistolas Isidorianas card. Cusamus, Henr. Kalthcisenius, card. Turrecremata, Erasmus, Io. Diedo, Claud. Espencaeus, Didacus Covaruvias, Ant. Contius, Io. Carol. Bovius Ostunensis episcopus, aliique passim.

ferre (105) : ut alia omittam, quae absurdam Nestii, Tamburinii aliorumque eiusmodi auctorum hypothesim excludunt. Verum, nobis hic satis sit ostendisse, quod proposuimus, de vi formulae *expressae aut tacitae principum consensionis* circa Ecclesiae potestatem.

## CAPUT III.

### De Ecclesiae potestate dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus.

Articulus I. — Romanus Pontifex pro suprema, qua pollet, auctoritate in Ecclesia, dispensare potest in ecclesiasticis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Mirari nemo debet si adstruimus Romano pontifici potestatem relaxandi impedimenta dirimentia, etsi Tridentinum concilium Ecclesiae potius quam Romani pontificis nomine utatur, dum agit de huiusmodi potestate (1). Nam concilium per Ecclesiam eos significat, qui Ecclesiam regunt, in eamque potestatem habent, tales vero sunt Rom. pontifex et concilium Oecumenicum, quia in iis est illius potestatis plenitudo. Quod igitur praestare potest ac efficere Ecclesia, id ipsum potest tum oecumenicum concilium, tum summus pontifex. Probatum autem superius est posse Ecclesiam impedimenta dirimentia constituere ; ergo eadem impedimenta potest Ecclesia relaxare ; adeoque id ipsum potest tum oecumenicum concilium, tum Rom. pontifex, qui suprema in Ecclesia potestate fruitur. Ideo vero de solo Romano pontifice singillatim agemus, quia cum hic sermo sit de exercitio iugi potestatis, neque concilium Oecumenicum possit esse permanens, ad removenda constituta impedimenta cum opus fuerit, nulla erat ratio quare de eo dissereremus.

(105) Cf. Petr. De Marca in *Concordia* lib. III. c. 5. n. 1. Nat. Alex. Diss. XXI. in sec. I. Hist. eccl., viros non suspectos. Sed praecipue Ballerinios in op. S. Leonis M.

(1) Sess. XXIV. can. III.

Dum autem Rom. pontifici asserimus eiusmodi potestatem *pro suprema eius in Ecclesia auctoritate*, hoc ipso liquet nos hanc illi potestatem vindicare in sensu, ut vocant *exclusivo*, quae scilicet nemini alii praeterea communis sit, prout nemini alii communis est suprema potestas, qua solus, uti Ecclesiae caput et supremus hierarcha, Rom. pontifex pollet.

Efficimus porro, quod proposuimus, non modo ex factis atque a posteriori, sed etiam ex rei natura, atque a priori. Si enim semel constiterit, ius istud dispensandi primatus auctoritati inhaerere, qua Rom. pontifices divino iure gaudent in Ecclesia universa, etiamsi ob peculiaria rerum adiuncta aut vigentem disciplinam nullum huius potestatis exercitium reperiremus, non ideirco dubium esse poterit, utrum pontifices id praestare potuerint, si occasio aut necessitas id tulisset, et iure praestiterint cum eam potestatem exercere opportunum existimaverint. Quam accommoda sit haec animadversio ex dicendis planum fiet.

Itaque ut iam ab argumentis in ipsa re insitis exordiamur, ea multiplici ex capite peti possunt. Siquidem exploratum principium in primis est, atque ab omnibus receptum, eadem potestate legi alicui derogari, qua est sancita; cum proinde ab Ecclesia, et quidem auctoritate propria, suprema atque independente constituta fuerint impedimenta christianorum coniugia dirimentia, hoc ipso constat, eamdem Ecclesiam posse illis derogare, seu ea removere ac relaxare. Cum vero suprema Ecclesiae potestas in summo pontifice resideat, iam patet posse Rom. pontificem, quemadmodum impedimenta constituere, ita et removere, seu in iis dispensare.

Praeterea, catholici omnes uno ore fatentur, Christum in B. Petro apostolorum principe contulisse Rom. pontificibus eius successoribus potestatis plenitudinem in Ecclesiae bonum atque utilitatem. Quocirca si necessitas aut utilitas postulet, ut in aliquo particulari casu Rom. pontifex dispenset in aliquo impedimento canonico, nullum potest subesse dubium, quin ipse hoc praestare valeat.

Tertio nemo inficias ibit, catholicorum causas, quas maiores vocant, reservatas esse in Ecclesia Romano pontifici, et nominatim causas matrimoniales ad Sedem apostolicam pertinere, uti expresse affirmant veteres Romani praesules, nemine contradicente. In his S. Innocentius I. in epist. ad Victricium ita scribit : « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad » Sedem apostolicam, sicut synodus ( Sardicensis ) statuit, et » beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale referan- » tur (2); » et S. Leo M. in epist. ad Metropolitanos per Illyricum constitutos : « Si quae vero causae, inquit, graviores... » emerserint, eas sub ipsius relatione ad nos mitti debere de- » crevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem senten- » tia finiantur (3). » Item Coelestinus III., qui in epist. ad archiepiscopum Senonensem haec habet : « Nonne hoc negotium » de praecipuis et magis arduis esse dignoscitur? Utpote quod » inter eximias regales personas... Quanta sit etiam matrimonii » dignitas et quam circumspecta debeat ad tractandum de eo » procedere gravitas, Dominus innuit, qui, quum interrogatus » fuisset, si licitum esset uxorem dimittere, et quaesitum esset » ab eo super haereditate duorum fratrum communiter divi- » denda, in uno tacens, et in altero sic respondens : *Quicum- » que* etc. per hoc nimirum ostendit, quod Ecclesia in cognitione » matrimonii, quasi caeteris difficiliori, cum maiori quam in » aliis procedere debeat gravitate (4). » Quamquam his opus non sit, cum non agatur de reservationibus apostolicae Sedis. Siquidem, uti recte animadvertit Devoti, ut summi pontifices ius illud exerceant, quod semper exercuerunt, laxandi dirimentia matrimonium impedimenta, nihil sibi praecipue reservare debuerunt, neque aliquid de iuribus episcopalibus dimi-

(2) Apud Coustant ep. II. cap. III. col. 749. n. 6.

(3) Apud Ballerin. epist. V. cap. VI.

(4) Epist. IX. apud Labbeum tom. XII. *Collect. conc.* col. 698. ed. Venet. His documentis addi possunt, quae suppetunt ex *Annalibus Bertinianis* ad an. 831. apud Echartum *Gallia orient.* tom. II. lib. XXVIII. §. 193. nec non ex Sigifrido Moguntino epist. ad Alexandr. III. *Concil. German.* Hartzeim. pag. 132.

nuere, ac detrahere oportuit. Res ipsa vetat ab inferiore abrogari legem, quae superioris imperio sancita est (5).

Ad haec, concilium Tridentinum satis aperte agnovit, relaxationum ius ad solum Rom. pontificem spectare, licet enim conceptis verbis id non expresserit, tamen sess. XXV. cap. XVIII. ref. postquam exactam canonum observationem commendasset, subdit : « Quod si urgens iustaque ratio et maior quandoque » utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id » causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis *a quibus-* » *cumque*, *ad quos dispensatio* pertinebit, erit praestandum. » Iam vero quum nemine contradicente, pluribus ante seculis, ad Romanos pontifices ius pertinuerit privative impedimenta dirimentia relaxandi, hinc merito intulerunt sacrorum canonum expositores habita historiae ratione, iuxta concilium Tridentinum, ad Rom. pontificem dispensationem in dirimentibus spectare. Siquidem Tridentini Patres haud ignorabant hoc privativum ius apostolicae Sedis fuisse.

Et sane auctor profecto non suspectus Van-Espenius fatetur, tempore concilii Tridentini dispensandi auctoritatem in pluribus materiis, ac signanter super impedimentis dirimentibus matrimonium fuisse ad apostolicam Sedem devolutam, sive Sedi apostolicae reservatam; nec sine fundamento docet, multisque probat dominus Du Casse in suo tractatu *De iurisdictione Ordinar.* tom. I. cap. 10. §. 6. post Thomam Sanchez, synodum Tridentinam regulas in materia dispensationis, ac notanter super impedimentis matrimonii praescriptas, ad Rom. pontificem praecipue direxisse (6).

Illud vero magis hoc ipsum confirmat de Tridentinorum Patrum mente, quod in eodem concilio contigisse referunt eius historici. Nam cum disputatum esset a Patribus num satius esset episcopis, quam summo pontifici facultatem laxandi impedimenta reservare, potissimum Pius IV. aequo animo assentic-

(5) *Institut. canonicar.* lib. II. sect. IX. §. 117.

(6) *Ius canon. univers.* part. II. tit. XIV. cap. II. n. 10.

batur, ut consanguinitas in quarto gradu, quia frequentior, a pontificiis reservationibus tolleretur, et episcoporum arbitrio permitteretur. At synodo magis placuit sententia M. Antonii Bobbae, Augustae Praetoriae episcopi et Sabaudiae ducis legati, qui animadvertit fore ut, data episcopis hac facultate, multo facilius et frequentius, quod Patrum studio et proposito adversabatur, huiusmodi veniae concederentur (7).

Haud multo post concilii Tridentini celebrationem ius impedimenta matrimonii removendi tantum in Rom. pontifice reipsa agnoverunt concilia Turonense tit. IX. de matrimonio et Tolosanum part. II. cap. VIII. (8); quorum plerique Patres concilio Tridentino interfuerunt, adeoque optime noverant, quid ipsum in illis regulis tradendis intenderit. Quapropter Pius VI. litteris datis die 26. Novembr. 1786. inter caeteros Eybel errores et hunc proscripsit, dispensationum reservationes indebitas esse atque episcopis iniuriosas (9).

Et haec de prima probatione; nunc praestat idipsum argumento *a posteriori*, seu ex factis confirmare. Quamvis porro aliquo sensu verum sit primis Ecclesiae seculis documenta istiusmodi relaxationum non reperiri, attamen negari haud posse videtur, earum vestigia non deesse in remotissima antiquitate, si fidem adiungimus iis, quae ad S. Anselmum scribit Paschalis II. qui illarum originem, saltem in genere ab apostolica ipsa repetit aetate dicens : « Dispensationis modus, sicut b. Cyrillus » in epistola Ephesinae synodi loquitur, nulli unquam sapien- » tum displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros, et ipsos

(7) Cf. Palaeotum in *Act. conc. Trid. ad diem* 17. *Augusti* an. 1563. et Pallavicinium *Hist. conc. Trid.* lib. XXIII. C. IX. n. 17. Devoti loc. cit. n. 7.

(8) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1405. et 1824.

(9) Cf. Mamachium in op. pseudonymo *Pisti Aletini* contra auctorem opusculi : *Quid est Papa?* an. 1787. cap. III, §§. 11. 18. 19. nec non auctor. anonymum *Dissertationis qua defenditur Rom. pontificis auctoritas in impedimenta matrimonium dirimentia.* Gerdilium in *Trattato del matrimonio* part II. §. 10. Zachariam in op. *Le storte idee raddrizzate.* Foligno 1784. cap. III. pag. 107 seqq.

» apostolos, pro temporum articulis et qualitatibus persona-
» rum, dispensationibus usos (10). »

Vulgo traditur primum relaxationis exemplum occurrere aetate Innocentii III. qui dispensatione data, indulsit Othoni IV. ut posset in uxorem ducere filiam Philippi, qui cum eo de Germanico imperio contendebat, idque non sine enixis precibus procerum, nobilium, episcoporum, ipsorumque pontificiorum legatorum, a quibus politica exposita fuere motiva eaque gravissima huic pontifici ad ipsum permovendum, ut eiusmodi dispensationem concederet, cuius sin minus necessitas, summa saltem utilitas ostendebatur. Huic tandem licet aegre, nec sine onerosis appositis conditionibus cessit summus pontifex (11).

Attamen ex accuratiori historiae ecclesiasticae studio non defuerunt, qui contenderent longe ante Innocentium III. eiusmodi dispensationum exempla reperiri. Ac reipsa afferunt S. Gregorium M. qui seculo Ecclesiae sexto exeunte, ac ineunte septimo ad S. Augustini, Angliae apostoli, postulationem indulsit Anglis recens ad christianam religionem conversis, ut permanerent in coniugiis, quae ante susceptam fidem contraxerant in tertio consanguineitatis gradu. Sic enim ad S. Augustinum res-

(10) Epist. XLII. ad S. Anselmum ap. Labbeum *Collect. concil.* tom. X. ed. Paris. col. 665.

(11) De hac dispensatione ita scribit D. Héricourt in op. *Les lois ecclésiast. dans leur ordre naturel* 1729. « Monsieur Gerbais, dans son traité pacifique » du pouvoir de l'Église et des princes sur les empêchements du mariage rap- » porte à ce sujet cet exemple mémorable. Après la mort de Philippe, qui » avait disputé l'empire gérmanique à Othon IV. on proposa (l'an 1208) pour » terminer les troubles d'Allemagne de marier Othon avec la fille de Philippe, » qui était héritière de ces prétentions. La princesse était parente de l'empe- » reur au cinquième degré, qui faisait alors un empêchement diriment. Le » pape n'en accorda la dispense qu'à condition, qu'il fonderait deux grands » monastères, qu'il ferait des aumônes considérables aux pauvres de tout » l'empire, qu'il se déclarerait protecteur de l'Église, et que les abbés de » Clugny et de Citeaux s'engageraient à faire redoubler les prières et les péni- » tences de leurs religieux, pour faire compenser en quelque manière, » par tous ces moyens, la plaie que la dispense ferait à la discipline écclé- » siastique. »

cripsit pontifex : « Unde necesse est, ut iam tertia vel quarta » generatio (gradus) fidelium licenter inter se iungi debeat. » Nam secunda, quam diximus, a se omnimodo debet absti- » nere (12). » Cumque eiusmodi indulgentiam aegre tulisset Felix, Messanensis episcopus, vehementioresque ea de causa ad eumdem S. Gregorium litteras dedisset, respondit pontifex, se non omnibus universim, sed solis Anglis, nec nisi ad tempus veniam hanc iustis de causis concessisse. Haec enim ipsa verba sunt sancti pontificis : « Quod autem scripsi Augustino, Anglo- » rum gentis episcopo.... de consanguinitatis coniunctione : » ipsi et Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a » bono quod coeperat, metuendo austeriora recederet, *specia-* » *liter*, et *non generaliter caeteris* me scripsisse cognoscas.... » Ista illis *modo*, *non posteris temporibus* tenenda indulsimus, » ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, erue- » retur, sed coeptum firmaretur, et usque ad perfectionem cus- » todiretur (13).

Ex quibus hi ipsi inferunt hic agi de vera dispensatione personali ac temporanea non autem de plena legis abrogatione, adeoque haberi luculentum dispensationis factae a Rom. pontifice exemplum circa impedimenta matrimonium dirimentia spectans ad remotissimam illam sexti seculi Ecclesiae aetatem. Nos non abnuimus in hoc facto vestigium reperiri dispensationum, attamen nec illud dissimulare debemus, in eo agi non de dispensatione ad matrimonium contrahendum, sed de iam contracto, et quidem in infidelitate, ac proinde data est facultas perseverandi in coniugio iam inito recens baptizatis, non obstante canonico impedimento.

Aliud, quod affertur exemplum relaxationum eiusmodi, petitur ex. S. Gregorio II. qui sec. VIII. facultatem fecit Germanis

(12) Epist. LXIV, lib. XI. ed. Maur. tom. II. col. 1154.

(13) Lib. XIV. ep. XVII. Equidem haud ignoro a nonnullis negari, aut saltem in dubium revocari has litteras S. Gregorii esse. Verum Maurini ostenderunt editores egregie ex omnibus sanae critices fontibus, eas genuinas omnino esse, in notis utrique epistolae praeviis.

recens pariter ad christianam religionem conversis opera S. Bonifacii, iungendi nuptias cum consanguineis post quartum gradum, videlicet in quinto, sexto et septimo, qui tempestate illa impedimentum dirimens constituebant : « Concedendum est, » inquit S. pontifex, ut post quartam generationem iungan- » tur (14). » Eiusmodi autem dispensationem quoque localem ac temporaneam fuisse colligitur ex epistola Gregorii III. qui ad eumdem archiepiscopum Moguntinum Bonifacium paulo post rescripsit : « Progeniem vero suam unumquemque *usque ad* » *septimam generationem* observare decernimus (15). » Iam vero hac in relaxatione non solum agitur de iis, qui in infidelitate nuptias inierant, sed de facultate data iam conversis ac baptizatis ducendi in uxorem consanguineam in tribus recensitis gradibus prohibitis, ut patet ex pontificis verbis *ut post quartam generationem iungantur*, non autem ut in nuptiis anteactis permaneant. Vera igitur ac presse dicta a S. Gregorio II. dispensatio data est, seu in sensu, quo eam hic accipimus; etsi id factum fuerit ex peculiari oeconomia quoad illos populos, qui nuper fidem complexi erant, ne ex nimia severitate ab eadem retraherentur, cum quibus propterea aliqua prudente indulgentia opus erat.

Quoad christianos vero iam, ut ita loquar, in fide adultos eiusmodi dispensationum exempla non suppetunt nobis per id temporis ex ecclesiastica historia, sed solum nobis aliquot praesto sunt de venia data perseverandi in coniugio inito cum aliquo impedimento. Ita seculo X. ineunte, nempe an. 906. Sergius III. dispensatione usus perhibetur erga imperatorem Graecum Leonem cognomento sapientem, qui contra consuetudinem et canones Ecclesiae Graecae nuptias cum impedimento consanguinitatis in quarto gradu contraxerat (16). Aliud exemplum in

(14) Epist. XIII. ad Bonifacium episcopum n. 11. in *Collect. ampliss. concilior.* Venet. tom. XII. col. 245.

(15) Epist. V. ad Bonifac. archiepisc. n. 5. Ibid. col. 278.

(16) Cf. ap. card. Mai in *Spicilegio Rom.* tom. X. Ast et hoc incertum est, sed potius actum est de quartis nuptiis, ut suo loco videbimus.

imperio occidentali praebuit Nicolaus II. dum ratum habuit coniugium initum a Guillelmo Normanno cum Matilde, Baldovini Flandriae comitis filia, cum qua in tertio gradu coniunctus erat consanguinitatis, vetitumque id ipsis fuerat a S. Leone IX. Idque praestitit Nicolaus ob imminentia bella inter Flandrios et Normannos, damnaque spiritualia in subditos ingruentia, sed ea conditione, ut pro eiusmodi canonum relaxatione duo exaedificarent coniuges monasteria, prout reipsa ab ipsis factum Cadomi Normanniae urbe (17).

Sic etiam Paschalis II. an. 1106. fertur aliquo sub respectu relaxasse cum Philippo I. Francorum rege; istius enim coniugium cum Bertrada irritum declaratum fuerat in concilio Pictaviensi, atque ea de causa excommunicationis sententiae a pontificis legatis indictae ambo erant obnoxii, nisi ab invicem separarentur, prout se facturos iureiurando interposito polliciti sunt in concilio Parisiensi an. 1105. Ast vero, ut postea expendemus, res est valde incerta; nec verisimilius dispensatum est (18).

Id ipsum praestitisse praesumitur Alexander III. ad intercessionem Petri Cellensis respectu Guiscardi Ruzeiensis et comitis Recensis, atque Hugonis Petripontensis, qui inter se consanguinitatis gradu coniuncti erant, quique « Interventu tandem » bonorum, inquit Petrus Cellensis, et sapientum et religiosorum, matrimonia inter se contrahere disposuerunt; ut saltem » isto nexu confoederati inter se pacem tenerent et haberent. » Penset itaque vestra discretio, ut si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis et pro tantorum malorum recompensatione, quaecumque fieri potest, a domino papa non recusetur dispensatio (19). » Nec legimus Alexandrum repugnasse. Verum res incerta est; prout incerta aut saltem obscura sunt, quae perhibentur de Urbano III. cui tribuitur dispensatio data

(17) Zacchariam op. cit. *Le storte idee raddrizzate* pag. 97.

(18) Cf. tamen Natal. Alex. *Hist. eccles.* in saec. XI. et XII. cap. II. art. II.

(19) Lib. VI. epist. III. *Uni cardinalium* ed. Sirmondi. Paris. 1615. pag. 234.

Ioanni postea Angliae regi, ut duceret filiam comitis Glocestriensis « Quam ipse tempore Patris (Henrici) *et permissione* » *Romanae Ecclesiae* duxerat (20). » Nam ignoratur quo gradu fuerint illi inter se coniuncti et qua ratione data fuerit dispensatio.

Quidquid porro de his sit, in dubium revocari nequit, prae caeteris celeberrimam relaxationem extitisse, quam dedit Innocentius III. sub initium seculi XIII. sive ob eorum, quibus concessa est conditionem, sive ob caetera rerum adiuncta ac documentorum copiam. Ex ea comperimus persuasum tunc temporis omnibus fuisse, potestatem hanc in solo Rom. pontifice residere, alioquin non tanta procerum, nobilium ac episcoporum fuisset apud pontificem sollicitudo ad illam obtinendam; nam si receptum iamdiu fuisset illius potestatis exercitium in relaxandis impedimentis praeviis matrimonii celebrationi, tantam apud pontificem haud invenisset difficultatem haec dispensatio.

Sane ex hac epocha, nempe ab anno 1209. frequentiores esse coeperunt auctoritate Rom. pontificum dispensationes ad ineunda coniugia in gradibus per canones constitutis, cum antea, ut plurimum saltem, relaxatio non fieret, nisi quoad coniugia iam inita cum aliquo impedimento. Cuius quidem diversae disciplinae ratio in promptu est, quod nempe abusus invaluerit, quo fiebat ut non pauci initi iamdudum coniugii pertaesi, ut solutionem rite obtinerent, obtenderent aliquam cognationis affinitatem in gradu prohibito; vel etiam eadem coniugibus obtenderetur ab aliis, ut iis molestiam crearent, eosque ad separationem adigerent (21).

(20) Ut scribit Rodulphus a Diceto apud Zacchariam loc. cit.

(21) Apposite Chardon *Hist. des sacremens* tom. VI. ch. X. *Du mariage* pag. 327. affert hanc in rem testimonium Mezerai *Abrégé chronol.* tom. I. pag. 274. « Dès qu'un mari ou une femme étaient dégoutés l'un de l'autre ou » qu'il prenait envie à quelqu'un de les troubler, on n'avait qu'à articuler et » jurer qu'ils étaient parents au degré prohibé, et à produire sur celà des » témoins (au nombre de neuf, que je crois) dont on ne manquait pas; et il » fallait, que l'évêque diocésain, ou une assemblée d'évêques, s'il y avait » quelque difficulté, prononçat là-dessus : » Quae quidem Chardonius confirmat exemplo Philippi Augusti et reginae Ingelburgae, ac pluribus aliis adhuc possent illustrari.

Quapropter Rom. pontifices, ut firmitati nuptiarum prospicerent, constituerunt, ut priusquam illae celebrarentur, inquisitio fieret, utrum aliquod impedimentum intercederet, ac si iusta gravisque causa relaxationis deprehenderetur, recursus interponeretur ad apostolicam Sedem, quae omnibus rite perpensis, illam concederet aut denegaret, prout expedire visum esset. Quam quidem agendi rationem libenter probavit Ecclesia universa. Eo vel magis quod a sec. XII. ac deinceps poenitentia publica coeperit in desuetudinem abire, donec omnino defecerit; hinc canonum transgressiones eiusmodi canonica poenitentia mulctari amplius non poterant. Quapropter ne penitus disciplina enervaretur statuerunt Rom. pontifices, ut ad obtinendam praeviam dispensationem ab impedimentis Sedes apostolica adiretur. Interdum vero iidem pontifices nonnullis episcopis facultatem dederunt dispensandi praesertim cum pauperibus in quarto gradu; rarius vero in tertio.

Caeterum quamvis olim minime darentur relaxationes *praeviae* ad connubii celebrationem, non semel tamen eas datas esse novimus anteactis seculis *postquam* cum aliquo impedimento coniugium contractum erat. Etenim praeter exempla S. Gregorii M., ac forte Sergii III. Nicolai II. atque, ut aliqui volunt, Paschalis II. ac Alexandri III., reperimus hunc canonem sancitum in concilio Vermeriensi, quod an. 742. fuit celebratum : « In tertio genu ( seu ut alii legunt *geniculo*, nempe generatione aut gradu ) coniuncti separentur, et post poenitentiam » actam, si ita voluerint, licentiam habeant aliis se coniungere. In quarta autem coniunctione, si inventi fuerint, eos » non separamus, sed poenitentiam eis indicimus. Attamen si » factum non fuerit, nullam facultatem coniungendi in quarta » generatione damus (22). » Ex quo quidem canone deprehendimus agi de dispensatione in coniugio iam contracto cum impedimento in quarto cognationis gradu, firma permanente lege quoad coniugia contrahenda.

(22) Can. I. apud Harduin. *Acta concil.* tom. III. col. 1190.

Quadam, ut ita loquar, dissimulatione usos hac in re esse deprehendimus episcopos, dum Conrado imperatori indulserunt, ut coniugem retineret, quae ei affinis erat in secundo gradu, etsi prius huius coniugii dissolutionem praecepissent (23). Idem contigit quoad coniugium comitis Antonii Rainerii, qui se copulaverat cum agnata sua, comitis cuiusdam Erimanni filia; quod licet aegre ferret Gerardus, episcopus Cameracensis, tamen episcopi in concilio congregati ei pro bono pacis suaserunt, ne ullam hac de causa Rainerio molestiam afferret, quibus Gerardus acquievit (24).

Verum maxima hisce in causis Romanorum pontificum auctoritas elucet, quippe qui non semel episcoporum, interdum vero et conciliorum provincialium nimiam facilitatem cohibuerunt, ac nimis leves sententias irritarunt, ne disciplina enervaretur. Sane duo concilia Aquisgranensia iam publicae poenitentiae addixerant Theutbergam reginam veluti incesti ream; post aliquot menses tertium concilium pariter Aquisgranense regi Lothario indulsit, ut repudiata Teutberga, Waldradam uxorem duceret, nec aliam sententiam tulit concilium Metense Nicolai I. iussu convocatum an. 863. Quod cum accepisset Nicolaus, coacto eodem anno 863. Romae concilio sub initium mensis novembris, non modo horum omnium conciliorum acta irritavit, sed praeterea dignitate episcopali plane destituit archiepiscopos Trevirensem et Coloniensem, Waldradam excommunicatione muletavit, aliaque summo vigore praestitit, ut coniugium Lotharii cum Theutberga restitueretur (25).

Sic etiam Gregorius V. an. 998. in concilio Romano anathema inflixit Ermanbaldo, archiepiscopo Turonensi, caeterisque

(23) Cf. Rodulphum Glaberum in praef. ad lib. IV. *Historiarum sui temporis*. Inter *Histor. francor. scriptores* Francisci Duchesne Lutet. Paris. 1641. tom. IV. pag. 59 et 40.

(24) Prout refert Baldericus in *Chronica Cameracensi* lib. III. cap. X. Duaci 1615.

(25) Cf. Baron. *Annal. eccles.* ad an. 863. n. XVIII. seqq. una cum notis Pagi. Cf. insuper Nat. Alexand. diss. IX. in sec. IX. et X. *De divortio Lotharii regis et Theutbergae reginae.*

episcopis, qui Roberto, Francorum regi, facultatem fecerant, ut Berthae consanguineae nuberet, districteque praecepit, ut coniuges separarentur, eosque septem annorum poenitentiae publicae subiecit (26). Alia nonnulla eiusmodi exempla silentio praetereo, in quibus Rom. pontifices severos se exhibuerunt in canonum rigore servando quoad coniugia cum aliquo inita impedimento, adeo ut constanter eiusmodi nuptiarum solutionem urgerent.

Constat igitur sive *a priori* sive *a posteriori*, nempe tum *iure* tum *facto*, prout constituimus, posse Rom. pontificem pro suprema sua in Ecclesia auctoritate dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, idque tum quoad matrimonia iam contracta, tum quoad adhuc contrahenda (27).

Tandem priusquam hoc absolvam argumentum, animadverto, prout iam innui, haud esse permiscendam auctoritatem cum auctoritatis exercitio. Siquidem auctoritas, utpote a Christo Ecclesiae collata, eadem semper in se permanet firma atque immutabilis; exercitium autem potest vel prorsus deesse, si supremus legislator pro temporum, personarum aut locorum diversa conditione censet, eam non esse exercendam: expedire etiam quandoque potest, ut mutetur exercendae potestatis ratio, siquidem legislator, mutatis rerum adiunctis, etiam disciplinam immutandam esse iudicaverit, quin ex his quidpiam contra potestatem ipsam colligi possit.

Ex his pronum est inferre, quo in censu haberi debeant, quae identidem ab apostolicae Sedis osoribus obiici consueverunt, quod scilicet nuspiam legatur eiusmodi dispensationes Rom. pontifici reservatas esse, qui ut quaestum faciat, sibi soli ius relaxandi impedimenta adscripserit, nec nisi ingenti collata pecuniae summa consueverit eas concedere dispensa-

(26) Cf. Nat. Alexandr. *Hist. Eccl.* sec. IX. et X. art. XXV.

(27) Cf. de toto hoc argumento Ludov. Thomassinum *Vetus et nova disciplina* tom. II. lib. III. a cap. XXIX. ad XXX., ubi rem hanc de dispensationibus late versat.

tiones, secus ac praescripserit Tridentina synodus, dum statuit ut *gratis* illae concederentur.

Fatemur enim, nuspiam legi eiusmodi relaxationes apostolicae Sedi reservari, idque duplici de causa ita se habere reponimus. Prima ratio est, quam suppeditant adversarii ipsi, quod nempe olim non concederentur, adeoque nullus erat reservationi locus. Altera vero ratio est,quia de re agitur,quae per se postulat potestatis plenitudinem,quae solum reperitur aut in oecumenico concilio, aut in Romano pontifice vi ipsius primatus divinitus Petro eiusque successoribus collati.

Quod si Rom. pontifices, exceptis pauperibus, quibus dispensatio gratis conceditur, consueverunt pecuniae summam exigere, haec non uti pretium exigitur datae aut dandae relaxationis, quod absonum esset vel suspicari, sed ut poena vel mulcta, quam vocant, pro canonum seu legis infractione,atque ut medium, quo difficiliores dispensationes reddantur, quas Ecclesia nonnisi aegre concedit. Ut enim paulo ante vidimus, cum primum gravi urgente causa hae dari coeperunt, coniuges publicae poenitentiae subiiciebantur, ipsisque praeterea pium aliquod iniungebatur opus, ex. gr. monasteria aedificandi, aliaque huiusmodi. Cum autem haec ob poenitentiae publicae cessationem in desuetudinem abierint, suffecta est aliqua pecuniae summa maior minorve pro ratione status eorum, qui dispensationem petunt, et gradus impedimenti. Haec porro pecunia partim ad pauperum sublevandas necessitates impenditur, partim vero in alios usus pios (28), de quibus non est huius loci singillatim disserere.

(28) Huius rei vadem damus auctorem certe non suspectum, De Hérincourt op. cit. troisième part. ch. V. art. 3. §. XII. ed. cit. pag. 54. ubi scribit : «Ceux » qui sont riches ne les (dispenses) obtiennent point gratuitement ; mais comme » à Rome l'argent qui en provient, est destiné à des œuvres de charité, par » exemple à marier des pauvres filles etc. Ce qu'on donne pour la dispense, » est une espèce d'aumône par laquelle on mérite d'obtenir la grâce, que le » Pape accorde. »

ARTICULUS II. — Episcopi sive seorsum sumpti sive etiam in conciliis particularibus congregati relaxare nequeunt iure proprio ecclesiastica impedimenta Matrimonium dirimentia.

Disserimus hoc in articulo adversus illos, qui data opera non minus episcopis quam Romano pontifici facultatem relaxandi impedimenta dirimentia convenire contendunt, seu contendunt posse episcopos non secus ac Rom. pontificem concedere dispensationes illius saltem speciei, quam ipsi *ex iustitia* vocant, ut infra explicabimus. Talis inter caeteros est anonymus quidam auctor saeculi elapsi (29), et cum eo Nestius, Litta, aliique eiusdem temporis scriptores novitatibus studentes pacisque ecclesiasticae perturbatores. Neque vero ut episcopis directe blandirentur aggressi sunt id ostendere, sed ut laicae potestati potius faverent. Siquidem, ut deinceps videbimus, vindicata semel et asserta episcopis hac facultate, principes poterunt episcopos in propria ditione degentes cogere ad praebendam, quam exoptant, dispensationem.

Perperam porro factiosos hos homines conniti ad efficiendum, quod sibi proposuerunt, facile evincimus insistentes methodo nostrae, quam hactenus sectati sumus; tum ex ipsa rei, qua de agitur, natura; tum ex totius antiquitatis consensione et praxi; tum denique ex auctoritate. Haec singillatim evolvamus oportet. Ac primum quidem, nullum ius episcopis inesse solvendi, seu amovendi impedimenta coniugium dirimentia satis ex ipsa evincitur idea episcopalis auctoritatis limitibus circumscriptae, atque pontificiae auctoritati subordinatae atque obnoxiae.

Etenim cum de re agatur, quae ad disciplinam pertinet universam Ecclesiam spectantem et ab eadem Ecclesia constitutam vel probatam, si ipsis ius inesset ab impedimentis dispensandi, actum esset de iurisdictionis episcopalis circumscriptione, deque ipsorum subiectione auctoritati pontificiae. Essent enim ve-

(29) *Diritto libero del sovrano sul matrimonio.* Opus sine nomine tum auctoris tum loci.

luti totidem pontifices summi, qui iure fruerentur relaxandi quamcumque legem universalem pro universalis Ecclesiae bono sancitam, quod absonum omnino est : solveretur quippe unitatis ecclesiasticae compago ; frustra constituerentur eiusmodi leges, quae ex singulorum praesulum arbitrio infringi possent; possent inferiores in legem a superiore auctoritate sancitam exercere potestatem secus ac iuris natura ferat (30); actum proinde esset de disciplinae universalis integritate atque incolumitate.

Ex paritate rationis caetera omnia salubriter sive a Rom. pontificibus, sive ab oecumenicis conciliis statuta dilaberentur. Eo vel magis quod in tanta praesulum multitudine et ingeniorum indole ac varietate difficile prorsus haud esset non paucos inveniri aut nimis faciles aut nimis desides, aut circumventos, qui ecclesiastica iura pessumdarent (31). Maius vero ingrueret periculum quoad illos, qui principum minis et violen-

(30) Ex historia ecclesiastica novimus, non pauca impedimenta fuisse prius in conc. provincialibus constituta, quae deinceps ab Ecclesia universa probantibus Rom. pontificibus, recepta sunt ; de illis oecumenica concilia canones edidisse, ac Rom. pontifices saec. praesertim XI. et XII. responsa et decreta emisisse ; novimus praeterea, aliquot ab oecumenicis conciliis primum constituta fuisse, ut a Lateranensibus an. 1139. sub Innoc. II. et 1215. sub Innocentio III ; aliqua demum confirmata aut explicata, ut a Viennensi, aliisque recentioribus. Porro certum est apud iuris utriusque peritos effatum : *Inferiorem nihil in superioris legem posse.* Quod etiam in Clementina *De electione et electi potestate* cap. *Ne humani* diserte traditur : *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.*

(31) Quod scite animadvertit cl. Thomassinus *De beneficiis* par. II. lib. III. cap. 24. n. 14. scribens : « Ubi primum desinente sec. III. frequentari coepe» runt concilia in provinciis singulis tunc episcopis ipsis consultissimum vi» sum est, ut ad illa referrentur pro dispensationibus ponderanda. 1. Nec » enim solvi leges posse, nisi ea auctoritate, qua et condi. 2. Brevi ruituram » canonum disciplinam, si quot episcopi tot essent eius solvendae auctores, ubi » singulis adlubesceret. 3. Optari magis posse, quam sperari, ut ea tota et » sapientiae luce et vigoris constantia instructus sit quisque episcopus, quan» ta desideratur, ut provide semper dispensetur et sobrie. 4. Ne toties » movendae sint lites in episcopos, qui improvide aut nulliter dispensassent ; » multo expeditius esse, ut potestas ea tota semel transferatur ad concilia » provincialia. » Idque annuentibus Rom. pontificibus factum est.

tiae cedendo ad illorum interdum iniquam voluntatem se pronos praeberent, prout experientia, rerum magistra, non semel bonorum omnium moerore ostendit. Fieri itaque nequit, ut amplissima eiusmodi facultas episcopis inhaereat, qua semel admissa, canonum vigor, oeconomia ecclesiastici regiminis ac disciplinae universalis penitus everterentur. Constat igitur ex rei natura, episcopis facultatem, de qua agitur, tribui haud posse.

Id ipsum pariter ostenditur ex totius antiquitatis consensione et praxi, prout secundo loco efficere constituimus. Quod argumentum ut rite expediamus, coniugia in primis distinguamus oportet cum aliquo impedimento iam contracta a coniugiis cum eodem impedimento contrahendis. Si quidem dispar obtinuit in Ecclesia circa haec agendi ratio. Nam quoad iam contracta, etsi primitus receptum fuisset, ut solverentur iuxta canonum decreta ac pontificias sanctiones (32); attamen licet raro, identidem tolerabantur ab episcopis, praesertim in conciliis provincialibus, aut nationalibus, si ita causae gravitas exposcebat, et sanabantur, seu relaxatio dabatur (33).

Non tamen putandum est episcopos sive singillatim spectatos,

(32) Quod ut nonnullis exemplis confirmemus ac illustremus, ita sancitum fuit in concilio Agathensi an. 506. can. XX., necnon a Joanne VIII. in epist. relata a Gratiano cap. 47. causa 28. q. 2. item ab Alexandro II. cap. 74. Hinc reperimus dirempta coniugia male inita an. 862. Iudith viduae et Balduini, qui eamdem rapuerat. Et an. 949. Amalarici Hannoniensis comitis et filiae Isaaci comitis Cameracensis sub Fulberto, Cameracensi episcopo, qui nullo modo induci potuit sive minis, sive promissis ad illud coniugium sanciendum, ut refert Baldericus, Tornacensis episcopus, lib. I. cap. 73.-An. 971. Comitis nobilissimi Angli, qui duxerat sibi consanguineam sub S. Dunstano, qui pariter nunquam adduci potuit, ut incestum coniugium probaret, ut refert eius biographus Osbertus, qui S. Dunstani acta sec XII. perscripsit. Anno 972. Henrici et Hathelburgae, quam ille sibi in uxorem adsciverat, etsi monasticam vitam professa fuisset. An. 1085. idipsum contigit circa coniugium Hermanni Regis, quod a Gregorio VII. diremptum est. Plura alia exempla occurrunt diremptorum eiusmodi coniugiorum apud Ivonem, Carnotensem episcopum, quem *Communem galliarum magistrum* appellant, quique floruit sub XI. sec. finem ac sequentis initia. Cf. eiusdem epistolas de quibus iterum redibit sermo.

(33) De eiusmodi sive dispensatione, sive ob gravissimas causas ab episcopis aut a conciliis provincialibus adhibita indulgentia seu dissimulatione respectu

sive congregatos in conciliis ita se gessisse in probandis aut tolerandis coniugiis cum impedimento aliquo initis absque ulla a Rom. pontifice dependentia aut assensus influxu. Nam 1. interdum Rom. pontifices ipsorum antistitum iura quoad has causas sibi vindicare consueverunt, ut patet ex facultatae a Io. VIII. Troiae in Apulia ad synodum vocatis episcopis concessa (34). 2. Interdum quoque in impedimentorum causis ab episcopis diiudicandis regulas servandas statuerunt, prout praestitit Urbanus II. an. 1093. in concilio pariter Troiae in Apulia coacto (35). 3. Interdum conciliorum sive provincialium, sive nationalium in eiusmodi causis iudicia resciderunt, prout factum vidimus a Nicolao I. quoad tria concilia Aquisgranensia, Metense praeterea et Trecense in causa divortii Lotharii regis et Theutbergae, nec non a Gregorio V. qui in concilio Rom. II. an. 998. Ermambaldum, Turonensem archiepiscopum, et episcopos, qui Roberti, Galliarum regis, cum Bertha matrimonio adsensum praebuerant, anathemate perculit; prout a S. Leone IX., deinde vero in causa Philippi Augusti a Coelestino III. et ab Innocentio III. factum fuisse superius diximus. Ex his aliisque non paucis, quae in medium facile afferri possent, compertum fit episcopos etiam in conciliis congregatos, quoad ipsa coniugia iam inita cum impedimento, nunquam relaxationes indulsisse absque debita Rom. pontificibus subiectione ac dependentia.

male initorum coniugiorum nonnulla in praecedenti articulo exempla praebuimus. Quibus addi potest quod gestum est in Agathensis concilii an. 506. celebrati canonibus addititiis. can. LXI. quem adoptavit conc. Epaonense an. 517. can. XXX. Item in conc. Aurelianensi III. an. 538. can. X.; nec non in Compediensi an. 537. can. I. in quibus omnibus, dum matrimonium in quarto consanguinitatis gradu contractum toleratur, ne in posterum contrahatur prohibetur et irritum declaratur. Longum nimis esset hic singillatim exempla afferre, quae eiusmodi coniugiorum occurrunt sec. XI. et XII. Adeoque lectorem remittimus ad eruditam *De episcoporum in dispensationibus super matrimonii impedimentis potestate dissertationem.* Faventiae 1789. quae est cl. Zacchariae, cap. 1. §. 1. n. 7-9.

(34) Apud Zachariam in dissert. cit. cap. II. §. 2. n. 1.

(35) In collect. maxima concil. Veneta tom. XX. col. 790. cap. I.

Caeterum , his dimissis , ut ad impedimentorum deveniamus relaxationes praevias , de quibus praecipuus est sermo , nullam in his potestatem inesse episcopis ex totius antiquitatis consensione et praxi haud difficile est ostendere. Nam quod attinet ad XII. priora Ecclesiae secula , nullum est dubium potestatem hanc episcopos non exercuisse , cum nullae omnino eiusmodi relaxationes concederentur ; at eo tempore tota ipsorum potestas unice versabatur , ut ostendimus , Romanis pontificibus annuentibus, circa coniugia iam contracta, et hoc etiam raro admodum. A seculis autem XII. et XIII. ob rationes, quas indicavimus , nova disciplina induci coepit , qua dispensationes concederentur, cum opus esset , antequam coniugium iniretur cum eiusmodi impedimentis. Porro novam hanc disciplinam omnium primi invexerunt Rom. pontifices, qui, probante Ecclesia universa , soli atque exclusive legitime eam exercuerunt : neque ab illa aetate ad nos usque, nempe per septem plus minus secula, proferri vel unum potest exemplum de praevia relaxatione ab episcopis iure proprio concessa (36).

Tantum vero abest, ut sibi episcopi auctoritatem hanc aliquando tribuerint, ut potius publicis actis eam sibi non competere declaraverint. Sane in Turonensi concilio , quod an. 1583 celebratum est, cuique duodecim Galliarum praesules inter-

(36) Nonnulli autumarunt, episcopos Gallos, cum accepissent a Paschali II. redintegradum fuisse coniugium Philippi et Bertrade, quod antea dissolutum fuerat , sibi Paschalis exemplum imitandum sumpsisse, concedendo praeviam dispensationem. Ad ita sentiendum permoti sunt ex iis , quae refert Hildebertus epist. XXXIV. ad Rhotomagensem archiepiscopum , « Sibi nempe Wal» terum *submurmurantem* retulisse illos ( episcopos ) , data scripto facultate , » permisisse ut filiae Gauterii de Meduana liceret comitem Mortonium in » vetito gradu maritum accipere. » Ast Hildebertus ibidem id sibi visum incredibile profitetur, subdens : « Mihi autem nec extorqueri assensus, nec per» suaderi potuit , prudentiam vestram in eorum simplicitatem descendisse , » atque ulterius progrediens adiecit : « cuius in parochiam nupta demigrasset » eius fore usque ad dissidium illis nuptiis resistere. » Adeoque patet eiusmodi dispensationem commentitiam esse. Accedit praetensam dispensationem a Paschali I. aut non datam , aut dubiam saltem esse , ut postea dicemus.

fuerunt, hic canon tit. IX. *De matrimon.* editus est: « In quarto » consanguinitatis et affinitatis, nec non cognationis spiritualis » prohibitis gradibus *episcopis dispensare non licere declara-* » *mus* (37). » Idem constitutum est in concilio Tolosano, cui praefuit archiepiscopus Tolosanus, card. de Gaudiosa, an. 1590. Sic enim decernitur sub tit. *De matrim.* « Quos cognationis » gradus impedit, nisi visa prius summi pontificis dispensatione, » in matrimonii coniunctionem parochi non recipiant (38). » Neque alia ratione concilia Lingonense et Trecense his verbis id declararunt: « Inter cognatos et affines non est legitimum » matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem apostolicam dispen- » satum (39). » Prout pariter praestitit concilium Narbonense an. 1609. Alii quoque Galliarum episcopi hac de re populos sibi commissos monitos voluerunt. Sic in codice Statutorum Aurelianensium tit. *De matrimon.* D. D'Elbene: « In impedimentis, » inquit, quae dirimunt matrimonium, ubi dispensationi locus » est, auctoritate tantum apostolica dispensatur, ita ut sine res- » cripto dispensationis Roma debite expeditae matrimonium » nullum sit (40).

Cumque Syracusarum episcopus quaesivisset per litteras ad card. Corrado, Alexandri VII. prodatarium, liceretne sibi, quod a nonnullis conterminis episcopis factitabatur, gravissima urgente necessitate, ante contractum matrimonium super publico dirimente impedimento dispensare? Cardinalis pontificem consuluit. Porro ille rem ad sac. concilii Tridentini congregationem deferri iussit, proposito dubio: « An episcopus in casu » urgentissimae necessitatis possit ante contractum matrimo- » nium in impedimento publico dispensare? » III. autem idus Martias an. 1660 respondit sac. congregatio, *negative*. Neque his contenta sac. congregatio *sanctissime inquisitionis qualifica-*

(37) Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1405.

(38) Ibid tom. X. col. 1804.

(39) Prout ex his conciliis verba refert collator Parisiensis tom. III *De matrim.* lib. V. collat. I. §. 6. pag. 334.

(40) Apud Zachariam op. cit. cap. IV. §. 4.

*toribus*, quos vocant, mandavit, ut de dispensandi certis in casibus super gradibus matrimonium dirimentibus praesumpto a quibusdam episcopis iure sententiam ferrent. Tulerunt autem his verbis: « *Propositio asserens*, episcopum posse dispensare in » publico impedimento matrimonii dirimente consanguinitatis » pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in » alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non pos- » sint expectare dispensationem Sedis apostolicae, *est falsa*, » *temeraria*, *scandalosa*, *perniciosa et seditiosa*. Quapropter » eadem S. concilii congregatio tandem XIV. kal. Februar. » an. 1661. censuit: *mox exscriptam propositionem esse falsam* » *et temerariam* (41).

Itaque ex Ecclesiae consensione et praxi patet, haud posse episcopos iure proprio eiusmodi impedimentorum relaxationes concedere: quod si forte attentaverint, nullas eas prorsus esse, utpote quae ipsorum auctoritatem excedant.

Quod si exemplum urgeretur nonnullorum episcoporum, qui sive in Galliis sive alibi relaxationes in quibusdam cognationis aut affinitatis impedimentis dedisse perhibentur, admissa etiam huius assertionis seu facti veritate, si legitima id ex consuetudine fecerunt, respondendum cum Benedicto XIV. ex apostolico quopiam indulto ac privilegio illam originem duxisse (42). Sane, cum XII. prioribus Ecclesiae seculis nunquam fuerit ab episcopis de dispensationibus matrimonio praeviis cogitatum, cumque novam hanc disciplinam, ut supra ostendimus, Romani pontifices primi invexerint, propagarint, sibique vindicarint, non alia ratione excogitari potest in episcopos

(41) Rigantius *Comment. in reg. cancell.* tom. IV. *De regula* XLIX. apud cit. *Dissertat. de episcoporum in dispensandis* etc. cap. IV. pag. 80. sect. qui quidem eruditus auctor exinde falsitatis merito arguit, quod ex Gerbaisio *Tractatu pacifico* pag. 412. Collator Paris. §. I pag. 337. refert, celebrem quamdam cardinalium et praelatorum congregationem an. 1674. censuisse quidem dispensationes a nonnullis episcopis super matrimonii impedimentis concessas valere, non tamen suam hanc sententiam scripto mandari, aut edi in publicum voluisse.

(42) *De synodo dioeces.* lib. IX. cap. II. §. 5.

consuetudinem hanc dimanasse, nisi ex eorumdem pontificum, qui illos hac quoque in re in partem sollicitudinis vocarunt, indulto ac privilegio. Hoc vero dempto, nonnisi audaci facinori et Sedis apostolicae iurium usurpationi illa agendi ratio foret adscribenda, nisi velis in nonnullis ex propriorum iurium limitationis ignoratione coepisse ac innoxie bona, ut aiunt, fide eos ita se gessisse, ast reclamantibus Rom. pontificibus, cum in his praescriptio dari non possit, eam omnino cessasse.

Ut accedamus ad tertium, quod proposuimus, argumentum *ex auctoritate* depromptum exponendum, nobis praesto sunt celebriores theologi et iuris canonici interpretes, immo quod caput est, summorum pontificum authenticae declarationes.

Atque ut a primis initium ducamus, ne nimii simus in illorum testimoniis afferendis, nonnullos seligemus ex iis etiam, qui minus favere pontificiae solent auctoritati. Incipiam igitur a cl. Thomassino, qui generale hoc lemma praestituit: « Prin» cipatum auctoritatis in omnibus ecclesiasticis causis esse pe» nes apostolicam Sedem; sed in aedificationem datam illi di» vinitus esse hanc summae potestatis praerogativam.... Haec » certissima ratio ad solos tandem pontifices Romanos revo» cavit gravissimas quascumque dispensationes, hinc auctoritas » supra alios episcopos excellentissima et ab ipso instituta » Christo (43). » Ex quibus patet, ideo ad solum Rom. pontificem, episcopis exclusis, spectare dispensationes, quod summum divinitus principatum obtineat.

Natalis Alexander: « Circa impedimenta matrimonii, scribit, » iure dumtaxat ecclesiastico constituta, summum pontificem

(43) *Ecclesiast. discipl.* part. II. lib. III. cap. XXIV. qui praeterea cap. XXVI. n. 3. et 4. affirmat, quod in gravissimis quibusque causis ad Rom. pontificem confugerent fideles, episcopi et reges ea suasione ducti, quod constantius canones ab eo servarentur: quum vero obtinerentur a Rom. pontifice dispensationes, existimarentur tanquam beneficia a principibus apostolorum collata. Cf. anonymum auctorem opusculi cui tit. *Defensio pontificiae auctoritatis in matrimonii impedimenta dirimentia.* Hierapoli 1786. part II. § IX.

» dispensare posse certum est, *eumque solum* regulariter, ut » loquuntur, quum huiusmodi impedimenta sint vel a concilii» liis generalibus, vel a summis pontificibus instituta, in quo» rum decreta potestatem non habent episcopi, quum eorum » auctoritas et iurisdictio sit conciliorum generalium et Rom. » pontificis auctoritate et iurisdictione inferior illisque subiec» ta (44). »

In institutionibus theologicis editis iussu Io. Claudii De la Poype de Vertrieu, episcopi Pictaviensis, legitur : « In impedi» mentis iure ecclesiastico matrimonium dirimentibus *solus* » *Papa* universim et ordinarie potest dispensare (45). »

Ludovicus Habert : « Ex communi, inquit, ecclesiarum con» suetudine, quae vim legis obtinet, *solius est summi pontificis* » dispensare in impedimentis dirimentibus iure humano induc» tis, ubi praesertim agitur de matrimonio contrahendo. Uni» versalis enim usus recurrendi ad Sedem apostolicam dispen» sationis causa ab impedimentis dirimentibus indicat eam » catholicorum mentem, eiusmodi facultatem esse ipsi reserva» tam (46). »

Iuveninius et ipse scribit : « Solum Papam, ex plenitudine » potestatis et consuetudine multorum seculorum usu compro» bata, dispensare circa impedimenta dirimentia (47). »

Sic etiam Tournelyus inquirens quaest. VI. cuius sit facultas dispensandi ab impedimentis matrimonii, respondet : « Contro» versiam hanc in concilio Tridentino agitatam fuisse nec de» finitam (48) ; nulla enim lege ecclesiastica generali, seu

(44) *Theol. dogm. de matrim.* c. art. IV.

(45) *De matrim.* q. IV. concl. IV.

(46) *De matr.* cap. X. q. 1.

(47) *De matrim.* cap. IV. art. II.

(48) Censeo Tournelyum his verbis alludere voluisse ad illud, quod ex Palaeoto paulo ante retulimus ; at ex Palaeoto non aliud habetur, quam quod existimantibus nonnullis Patribus posse episcopis tribui facultatem dispensandi in quarto gradu, obsistente episcopo Augustae Praetoriae, Antonio Bobba, synodus universa in eius cesserit sententiam. Nihil praeterea hac de re actum est in Tridentina synodo.

» canone statutum habemus ad solum pontificem, exclusis episcopis, pertinere facultatem dispensandi ab impedimentis matrimonii. Sola consuetudo et communis Ecclesiae usus hoc ipsi ius asserit (49). »

Billuart : « Haec potestas, inquit, (dispensandi ab impedimentis dirimentibus iuris humani) residet in summo pontifice, ad quem ut ad supremum Ecclesiae caput visibile quaecumque sunt iuris ecclesiastici spectant : episcopi tamen, sive ex delegatione expressa vel tacite, sive ex usu approbato dispensant in aliquibus impedimentis (50); » nempe : si contingat eos dispensare, id ex concessione Sedis apostolicae faciunt.

Demum omissis Gonnetto, Herminierio, Opstraëto ipso, aliisque non paucis, Drouinius Gallicanae theologiae systemati maxime addictus, interdum etiam ulterius quam par erat adversus Rom. Pontificem progressus, tamen cum quaerit : « Cui competat auctoritas super impedimentis matrimonii dispensandi ? » Respondet : « Si de impedimentis dirimentibus agatur, *regulariter* loquendo, potestatem hanc soli summo pontifici convenire. Quamquam enim hoc nullibi legatur antiquis canonibus constitutum, usus tamen invaluit, et generali disciplina receptum, ut pro huiusmodi gratiis obtinendis solus pontifex maximus adiri communiter deberet et posset ; et merito quidem, tum propter debitam Sedi apostolicae reverentiam, cui potissimum canonum observatio et dispensatio divinitus est commissa ; tum quia cum impedimenta matrimonium dirimentia vel a conciliis generalibus, vel a summis pontificibus fuerint instituta, in quorum decreta potestatem non habent episcopi, consequens fuit, ut solis summis pontificibus deberet eorum relaxatio regulariter reservari (51). »

His coronidis gratia adiicere lubet aetate hac nostra celebrem auctorem, ac paulo ante non nimis proclivem erga iura Roma-

(49) *De matr.* quaest. VII. art. ult.
(50) *De matr.* diss. VI. art. 3.
(51) *De re sacrament.* lib. IX. cap. IV. q. 7.

nor. pontificum, nempe d. Ios. Carriere, qui postquam constituit, absque ullo dubio Rom. pontifici convenire potestatem relaxandi impedimenta dirimentia, propositionem seu conclusionem circa episcoporum hac super re potestatem, his verbis expressam ponit : « Episcopi non possunt, iure proprio dispensare genera- » tim ab impedimentis matrimonii ; » quam deinde docte evincit dissolvitque ea, quae ab adversariis contra eam afferri solent, argumenta (52).

Nullum igitur dubium moveri potest de communi theologorum catholicorum sententia quod episcopis tribui nequeat auctoritas, seu facultas relaxandi iure proprio impedimenta coniugium dirimentia (53).

Nunc vero demum idipsum adstruimus auctoritate Romanorum pontificum, qui constanter sese ac fortiter opposuerunt iis, qui machinati sunt adversus Sedis apostolicae ius, ut illud in episcopos transferrent.

Primum huius rei documentum sit encyclica Clementis XI. ad archiepiscopos et episcopos Hispaniarum data an. 1709. Cum enim Philippus V. Hispan. rex, hoc ipso anno, electo apostolico

(52) *De matrim.* tom. II. n. 1068. seqq.

(53) En quibus verbis in *Col. Andegavens.* sensus praecipuorum in Galliis theologorum hac super re proponitur pag. 524. « C'est un sentiment *univer-* » *sellement admis* dans la morale et la discipline ecclésiastique .... Les théo- » logiens et les canonistes français, les plus attachés à nos maximes, tels que » Pontas, Habert, le p. Alexandre, Fleury, Tournely, Cabassut, l'Herminier, » Ducasse, les conférences de Paris, de Luçon, Bouchel, ainsi que Rebuffe, » tous l'enseignent unanimement... Deux ou trois auteurs, parmi nous, seu- » lement, semblent s'expliquer diversement que les autres, Gerbais, Gibert » et Lacombe... Encore lorsqu'on les examine de près, si l'on en excepte La- » combe, qui n'a point discuté la question, les autres ne s'expliquent que » d'une manière timide, incertaine, et très-peu capable de rassurer. » Apud Carrière *De matrim.* tom. II. n. 1073. Qui addit : Et revera pleraque ritualia remittunt ad sum. pontificem et ad eum recurrunt plerique episcopi pro obtinendis indultis. His adiici possent ritualia ecclesiarum Germanicarum, ut *Agenda* eccles. Coloniensis an. 1720. *Agenda* metropolit. Ecclesiae Moguntinae 1695. Rituale Trivirense Lunenburgi 1767. *Agenda pastoralis* dioecesis Monasteriensis 1712. Cf. primum supplementum *Au véritable état du différent élevé entre le siége apostolique et les trois électeurs ecclésiastiques.* (Auctore cl. Feller).

nuntio, vetitoque quocumque cum Romana curia commercio, episcopis agendi rationem ac formam praescripsisset, illico summus hic pontifex iisdem praesulibus mandavit ne illis « beneficiorum collationibus, *dispensationibus etiam matrimonialibus*, recursibus, appellationibus aliisque similibus, quae ab apostolico tantum nuntio cognosci, expediri, atque agi consueverunt, manum ullo modo apponerent. « Nullam enim, inquit pontifex, in huiusmodi rebus facultatem vobis utcumque episcopis, etc. competere, aut per huiusmodi absentiam nuncii nostri devolutam fuisse aut accrevisse declaramus, et nihilominus, ne ullus supersit dubitandi aut interpretandi locus, et ad ulteriorem cautelam, omnem vobis circa praemissa potestatem prorsus adimimus, irritum ac inane declarantes quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit (54). » Quibus ex verbis facile est colligere, quaenam summis pontificibus sententia haereat, etiam quum de casibus agitur, in quibus nonnulli exceptionem facere solent in favorem episcoporum.

Alterum documentum sit Pii VI. Breve datum an. 1782. ad archiepiscopum Trevirensem, quo damnat ac improbat edictum Caesareum, vi cuius mandabatur, ut *episcopi dispensent iure proprio* ab impedimentis dirimentibus. Postquam enim summus pontifex asseruit, ad Ecclesiam spectare potestatem constituendi impedimenta connubialia, infert relaxationem ab iisdem impedimentis a solo Rom. pontifice ad coniugium legitime seu valide ineundum auctoritate propria posse concedi, atque his verbis concludit : « Etiamsi episcopalis auctoritas, ut nonnulli doctores contendunt, ab ipso immediate Deo procederet, certum tamen constansque esse debet, illam auctoritatem *non extendi ad faciendas iure proprio* in generalibus Ecclesiae legibus dispensationes sine expressa vel tacita saltem concessione superioris, a quo sancitae illae sunt, potestatis. Fidei enim dogma est, episcoporum auctoritatem, vel si a

(54) Cf Clementis XI. pont. max. *Epistolae et brevia selectiora* tom. I pag. 366 seq. Romae 1724.

» Christo immediate emanarit, subiectam tamen esse Rom. » pontificis auctoritati : qua fit, ut subesse debeant apostolicae » Sedis statutis et venerabilibus canonum decretis, in quae si » quis commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Neque » minus certum idcirco erit, eamdem episcoporum auctoritatem » ab illa superiore ordinis hierarchici potestate intra quosdam » limites circa usum et exercitium restringi et contineri posse. » Omnino igitur sustineri neutrum potest, vel Ecclesiam iure » proprio non habere potestatem constituendi impedimenta di- » rimentia, vel episcoporum quemlibet posse impositum ab » Ecclesia catholica legis vinculum dissolvere (55). » Hactenus Pius VI. cuius verba adeo perspicua sunt, ut commentario non egeant.

Tertium documentum nobis exhibet idem summus pontifex Pius VI. in litteris datis ad archiepiscopum Coloniensem et episcopum Monasteriensem an. 1787. quibus probavit encyclicam, quam nuncius apostolicus ad tractum Rheni, Bartholomaeus Pacca, summi pontificis iussu superiore anno vulgaverat. In hac edicebatur, non potuisse episcopos relaxationem concedere a gradibus consanguinitatis, qui in indulto apostolico, quod singulis quinquenniis dari consueverat tribus episcopis electoribus non continebantur (56). Quod cum aegre ferrent illi archiepiscopi et episcopi, querelas fecerunt apud summum pontificem, tanquam de iniuria sibi illata ; iis porro Pius VI. inter caetera scripsit : « Si ius esset episcopis relaxare legem » impedimentorum matrimonialium ab Ecclesiae potestate consti- » tutam, et ubique in catholicis ditionibus receptam, tota everte- » retur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, ac

(55) Apud Roskovàny *Monumenta catholica* tom. I. pag. 347. Quinque Ecclesiis 1847.

(56) In hac encyclica Barth. Pacca exhibet ordine chronologico indulta, quae ad quinquennium tribus electoribus dabantur ab apostolica Sede ab an. 1645 et 1783. Cf. *Mèmorie storiche* di monsignor Bartolomeo Pacca, or card. decano del sacro collegio *sul di lui soggiorno in Germania* del 1786. all' an. 1794. *in qualità di nunzio apostol. al tratto del Reno dimorante in Colonia* ed. 2. Benevento 1853.

« proinde actum esset de ecclesiastica hierarchia divinitus ins-
» tituta (57). » Quibus verbis summus pontifex intimam ex-
pressit rationem, quare episcopis convenire nequeat ius proprium
relaxandi in impedimentis ab Ecclesia statutis.

Quartum documentum suppeditat Pius VII. in Brevi 27. Febr. 1809. quo de quibusdam episcopis Gallis conqueritur, quod licet alii plures sibi concedi prorogarique facultates postulaverint ab apostolica Sede, ii tamen id facere omiserint : « Dis-
» simulare non possumus, inquit pontifex, non parum nobis
» admirationi fuisse, quod plurium Galliae antistitum litterae
» minime ad nos perlatae fuerint, tanta enim facultatum neces-
» sitas, quanta premi sese urgerique tot alii eiusdem imperii
» praesules nobis exposuerunt, omnes certe ad novam earum
» concessionem implorandam suadere et propemodum impellere
» debuisset. Coniicimus quidem nonnullorum, qui ad nos scrip-
» serunt litteras, aut nondum perlatas ad nos, aut fortasse
» etiam fuisse deperditas; nollemus tamen, (quod certe non
» sine gravi suspicamur indicio,) episcoporum aliquos idcirco fa-
» cultatum prorogationem ab hac sancta Sede non postulasse,
» quod perversam periculique plenam opinionem imbiberint,
» posse se iure proprio in iis quoque dispensare aut absolvere,
» quae generalium conciliorum sanctionibus, summorum pon-
» tificum decretis, diuturno usu per universam Ecclesiam
» recepto, Romani pontificis potestati reservata sunt : at ipsi
» viderint, si forte, (quod absit,) id sibi arrogaverint vel arro-
» gent, quid egerint, quidque agant (58). » Porro cuique perspectum est summum pontificem aperte veluti digito indicare dispensationes connubiales, de quibus in hoc Brevi potissimum agitur.

Benedictus XIV. antequam pullularent tot novitatum aucupes atque apostolicae Sedis detractores in celeberrimo opere *De*

(57) Apud Roskovàny op. et loc. cit. p. 357.

(58) Apud Moser in *Collect. declarationum et decretorum Rom. pontificum circa varia dubia matrimonium concernentia*. Ad calcem op. *De impediment. matrim.* n. XVII.

*synodo dioecesana* lib. IX. cap. II. totam hanc quaestionem iamdiu expenderat, reiectisque nonnullorum doctorum apparentibus rationibus, quibus persuadere adnisi erant, in aliquibus casibus posse episcopos in publico impedimento relaxare, sartam tectamque Rom. pontifici hanc removendi impedimenta potestatem asseruit, concluditque monito Cabassutii : « Sane istae ab » episcopis concessae dispensationes pro contrahendis coniugiis, » aut nullitatem aut incertitudinem causant sacramenti. At vero » in re sacramentaria unanimes docent theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio praetermisso, » quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam » inducit sacramenti nullitatem, aut ad summum, tutiore simul » et probabiliore opinione reiecta, minus probabilem, nec » tutam, in tanti momenti sacramento consectatur opinionem. »

His omnibus praeiverat Pius IV. Cum enim ad hunc pontificem principes et electores Germaniae varia, ut dicebant, gravamina detulissent, inter haec recensuerant quoque dispensationes sanctae Sedi reservatas, quibus summus pontifex respondit « Iniustissima ( eos ) petere; nam ubi archiepiscopi aut » episcopi potestatem habeant dispensandi in his, quae in huius » S. Sedis auctoritate constituta sunt, hoc est inferiores et » subditi in lege superiorum suorum, nisi ubi eis hoc expresse » permittitur, omni iuri, omnique rationi contrarium esse, » indubitatum est (59). »

Cum igitur ex allatis tum argumentis, tum documentis apertissime constet, sive ipsa rei, qua de agitur, spectata natura, sive totius antiquitatis conspiratione et praxi, sive saniorum theologorum et iuris canonici interpretum communi consensu, praecipue vero Romanorum pontificum iterata doctrina et auctoritate excludi episcopos a iure solvendi impedimenta matrimonium

(59) Hoc Pii IV. responsum urget Pius VI. in laudato Brevi ad archiep. Coloniensem, ac reperitur apud Raynaldum continuatorem annal. Baronii ad an. 1563. n. 44. ed. Lucens. 1756. tom. XV. pag. 371.

dirimentia, inutili plane conficiuntur labore, qui iisdem illud vindicare vellent (60).

ARTICULUS III. — Argumenta expenduntur, quibus Neoterici episcopis vindicare sategerunt ius proprium relaxandi ecclesiastica impedimenta Matrimonium dirimentia.

Mirum est quomodo in re adeo perspicua tot tantasque potuerint novarum rerum cupidi tenebras affundere ad adstruendum contra communem doctrinam ius episcoporum proprium removendi impedimenta, quae irritum ac nullum reddunt coniugium. Istorum adinventiones et commenta in unum colligere placuit, ut ex eorumdem discussione magis pateat, quo abducant homines, alioquin ingenio, sagacitate atque scientia praeditos, innovandi pruritus, assentandi studium, et animus in apostolicam Sedem hostilis.

Nonnulli igitur adscito atque adoptato principio ceu axiomate extra omnem controversiam posito, quod « quidquid potest » pontifex in universo orbe, si ea excipias, quae totius Ecclesiae » statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest id episco- » pus in sua dioecesi, nisi specialiter papa illud sibi reserva- » verit, » inferunt : ergo episcopi etiam seorsum sumpti possunt in sua quisque dioecesi dare relaxationem, prout eam praebet Rom. pontifex in universa Ecclesia, cum non constet, eam facultatem summos pontifices sibi reservasse, aut eis ab aliquo oecumenico concilio reservatam fuisse (61).

(60) Quid vero possint episcopi praestare hac in re auctoritate propria luculenter exponit Benedictus XIV. loc. cit. Ac primo absque dubio possunt dispensare ab impedimentis impedientibus, si tres casus excipias, sponsalium, quae cum altero inita sint, quaeque eo invito solvi non possunt; voti ingrediendi religionem, et castitatis perpetuae, quae sunt apostolicae Sedi reservata. Dispensare itidem valent ab impedimento dirimente occulto, cum quo publice contractum est matrimonium, concurrentibus tamen sex circumstantiis, quae ibidem recensentur, et quidem pro foro tantum interno. Demum ex communi doctorum sententia, Sanchezio praeeunte lib. 2. disp. 40. n. 7. gravi urgente necessitate, cui nullus alius modus suppetat occurrendi, possunt episcopi dispensare ab impedimento occulto antequam celebretur matrimonium.

(61) *Collat. andegav. dogm. et moral.* I. conf. *Dispens. de matr.* 2. quaest.

Verum eiusmodi principium sin minus falsum, saltem aequivocationi innititur: aliud enim est episcopos posse facere in sua dioecesi, quae Rom. pontifex in universa Ecclesia, (quod de nonnullis rebus certe verum est), aliud episcopos posse irritare in sua dioecesi, quae Rom. pontifex pro tota Ecclesia fecit. Etenim hoc perinde esset ac affirmare, posse inferiorem superioris legem sibi subiicere eamque abrogare ac relaxare, et membra capiti aequare atque etiam anteferre cum evidenti totius ecclesiasticae hierarchiae divina ordinatione constitutae eversione. Eo vel magis, quod, ut animadvertit opposite Fagnanus, mos sit canonum et conciliorum fere ubique simpliciter praecipere aut prohibere quid faciendum vel non faciendum, quin ad prohibitionem dispensationis descendant. Quapropter, si episcopis liceret dispensare quotiescumque dispensatio non prohibetur, in eorum foret facultate ius commune universum, ac universalia concilia subvertere in singulis casibus dispensando, quod absonum ac erroneum est (62).

Falsum praeterea deprehenditur eiusmodi principium quod a iure iterum iterumque fuerit reprobatum. Omissa enim decretali Innocentii III. hac de re data, satis de illius reprobatione constat ex decretali in *Clem. Ne Romanis, de elect.* in qua Clemens V. cum praemisisset: « Nos, inter caetera, praecipue attendentes quod lex superioris per inferiorem tolli non » potest: » declarat ita id intelligendum, ut nequeat *ab inferiori corrigi, vel immutari, vel dispensari quomodolibet circa ipsam seu aliquam eius partem.* Hoc ipsum efficitur in *extravag.* Ioannis XXII. in cap. *Sancta Romana de religiosis domibus*, ubi legitur: « Quidam autem eorum dictum habitum, » et vivendi ritum a quibusdam episcopis, seu eorum superio» ribus, vel aliis ecclesiarum praelatis habuisse profitentur,

pag. 510 seqq. *Collat. Paris* tom. III. lib. V. conf. 1. §. 1. pag. 322. *Collat. ambian. de theol. moral.* lib. I. p. 391 seqq. n. 782. praeter auctores ab iisdem commemoratos.

(62) Prosp. Fagnani *Comment. in lib. decretal.* in cap. *Nonnisi* n. 44. *De filiis presbyterorum.*

» *quos nec eis concedere licuit contra formam concilii gene-* » *ralis ;* » in quem locum recte adnotat Glossa *litt. N.* « Non » licet igitur episcopis contra inhibitionem generalis concilii » facere , cum sint adstricti ad observantiam canonum (63). » Ex quibus aliisque eiusmodi iuris textibus patet pro certo haberi , inferiores, adeoque episcopos respectu concilii generalis atque Romani pontificis, tamdiu teneri ad observationem legum, quamdiu a superiore expresse non fuerit collata facultas immutandi quidpiam aut dispensandi. Cum vero nuspiam ac nunquam sive a conciliis oecumenicis sive a Romanis pontificibus facultas dispensandi ab impedimentis connubialibus concessa fuerit , immo cum Rom. pontifices non semel ac solemni potius ratione adversus nonnullos hac in re abusus protestati fuerint , consequens est ex patefacto principio nullo omnino pacto posse episcopos ius istud sibi arrogare.

Aliud principium alii urgere solent , nempe praescriptionis , vi cuius possunt episcopi , qui ab immemorabili id facere consueverunt, veniam concedere, ut legitime contrahantur coniugia, quibus obstat impedimentum consanguinitatis in tertio , aut saltem quarto gradu. Hi profecto proprio iure hanc facultatem tribuunt ; quocirca Romani pontifices ea facultate, in cuius pacifica possessione iamdudum sunt, episcopos privare nequeunt (64). Multo vero magis id adstruunt quoad sedes recentius erectas , quia summus pontifex non potuit contra illas praescribere , cuiusmodi fuit sedes Nanciensis , quae erecta non est nisi anno 1777. (65).

(63) Apud Bened. XIV. *De synodo* lib. IX. cap. I. n. 7.

(64) Ita quidem pseudonymus Anianus Eliphius in libello inscripto : *Concordia iuris canonici cum edictis Caesareo-regiis recentius emanatis in materia dispensationum super impedimentis matrimonii ad ven. Hungariae clerum.* Vindobonae 1781. Item Collat. andegaven. op. cit. p. 522. *Rituale Bellicense* tom. I. p. 460. Chatizel de la Néronière tr. *Du Pouvoir des Evêques sur les empêchements du mariage pour servir de supplément à la nouvelle éd. des conf. d'Angers* 1782. qui coarctant eam ad illos episcopos , penes quos perseveravit antiqua consuetudo.

(65) Ita *Theolog. Nanciensis* pag. 290.

Verum et hoc principium admitti nequit ; siquidem eiusmodi praescriptio quoad episcopos universim sumptos nunquam viguit ; nam ex certissimis documentis constat, episcopos ex universo orbe catholico ad apostolicam Sedem confugisse, ut facultatem obtinerent dandi veniam ad celebranda coniugia aliquo praevio impedimento irretita. Quod si aliqui episcopi furtim, ut ita dicam, hanc sibi potestatem vindicarunt, statim ac ad notitiam Romanorum pontificum illa agendi ratio pervenit, fuit improbata. Accedit, quod substrata, quam vocant, materia minime praescriptionem patiatur : ut enim animadvertit Benedictus XIV., si per eam consuetudinem, si qua inoleverit, *disrumpatur nodus ecclesiasticae disciplinae*, nunquam adversus legem praescribitur, prout declaravit Innocentius III. in cap. *Cum inter*, *de consecr.* Porro tali infici vitio eam consuetudinem his verbis patefecit Cabassutius de auctoritate loquens dispensandi, quam sibi nonnulli Gallicanae ecclesiae praesules vindicabant : « Si, in oppositum reclamantibus conciliis oecu» menicis, quae hanc potestatem uni summo pontifici, legatoque » reservant, sibi ausint vindicare Gallicani ducenti circiter et » quadraginta nimirum episcopi, cum suis vicariis, seorsim in » suis dioecesibus, singuli pro suo arbitrio, huiusmodi licentiam ; » ingruet profecto tota Gallicana ditione admodum exuberantior » et inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indul» gentium praelatorum capita in dispensandis matrimoniis licen» tia. Quin etiam, si per universum regnum ista invalesceret » consuetudo, (quod malum Deus avertat), contingeret demum, » ut quilibet laici etiam subalternorum tribunalium iudices, per » captionem et distractionem bonorum episcopalium, ipsosmet » episcopos cogerent, pro suo peculiari, aut amicorum, aut » partium postulantium affectu ad sic dispensandum, sicut iam» dudum compellunt invitos ad monitoria et excommunicationes » decernendas ; sicque simile quid illis obveniret divinae huic » apud Isaiam comminationi : *Pro eo quod abiecit populus iste* » *aquas Siloe, quae vadunt cum silentio, propter hoc ecce addu» cet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas.* Sic enim

» renuentes hac in parte summo universalis Ecclesiae pontifici » subiici , compelluntur indignissime laicorum iudicum infimo- » rum decretis obtemperare , aut propriorum fructuum, ni pa- » reant , interceptionem ac privationem pati (66). »

Haec autem mirifice confirmantur ex iis, quae paulo ante innuimus de episcopo Augustano in concilio Tridentino , qui Patribus suasit, ne episcopis singulis facultas tribueretur laxandi in quarto gradu. Hac enim facultate semel episcopis concessa , vix actum non esset de hac disciplinae parte , quae tamen cordi erat concilio universo , ac proinde grave vulnus eidem fuisset inflictum (67). Cum igitur evitari nequeat disciplinae relaxatio per eiusmodi consuetudinem , nunquam praescriptio poterit esse legitima , ac ius inducere.

Absonum autem est quod in theologia Nanciensi adiicitur de sedibus nuper erectis , quod non possit summus pontifex adversus eas praescribere , quasi nempe quaelibet nova sedes a iure communi immunis foret. Ex hoc principio consequeretur in novis omnibus dioecesibus, quae a Pio VI. Pio VII Leone XII. Gre-

(66) *Theoria et praxis iuris canon.* lib. III. cap. 27. post art. 5.

(67) Sic enim totam rem in sua Hist. conc. Trident. lib. XXIII. cap. IX. n. 17. refert. card. Pallavicinius : « Perchè poi abbiano a se riservate i pontefici le suddette dispensazioni lascierò , che lo dichiari il parere detto e abbracciato in concilio di Marcantonio Bobba, vescovo di Agosta , ambasciadore del duca di Savoia , il quale proponendosi quivi : che almeno la podestà del dispensare nel quarto grado s'accomunasse a vescovi, considerò esser questo assai contrario a ciò , che si voleva , le dispensazioni farsi di rado : imperocchè una per vescovo che se ne concedesse sarebbero state assai più frequenti di quante ne fosse per dare ogni largo pontefice. Senza che , eziandio facendo rispetto fra quei che possono dispensare , d' uno con uno ; quanto i pomi stanno più in alto ramo dell' albero ; tanto meno son colti. » Et cap. X. n 12. ita prosequitur historiographus : « Sopra la pubblica utilità di quaesta riservazione, si ritornino alla memoria i lettori ciò, che altrove abbiamo considerato : quanto la chiave delle dispensazioni è in mano più debole , tanto più leggermente , e più spesso trarsene la grazia o con favori , o con preghiere , o con terrori. E perciò nelle republiche ben ordinate la balia nel dispensare in cose gravi suol ristrignersi a' magistrati supremi : i quali siccome più potenti, così sono meno bisognosi e men timorosi , e però guardiani più inespugnabili delle leggi.

gorio XVI. et a Pio IX. erectae sunt in America praesertim septentrionali, in regione Canadensi, et alibi tam magno numero, omnes illarum sedium episcopos posse iure proprio veniam dare in impedimentis dirimentibus. Idem dic de episcopis, qui ad hierarchiam pertinent nuper restitutam a Pio IX. in Anglia et in Hollandia ; hoc est vere desipere. Demum falso assumitur ius reservationis in Rom.pontificem derivari ex titulo praescriptionis, non autem ex *primatu*, quo divinitus gaudet in Ecclesiam universam. Quo fundamento everso, ruit superstructum aedificium.

Tertium principium desumitur, ut innuimus, ex distinctione inter dispensationes, quae dicuntur per *gratiam* et eas, quae *iustitiae* nuncupantur. Huius distinctionis primus architectus et inventor extitit Aloisius Litta Mediolanensis. Iuxta hunc auctorem vinculum legis relaxare *ex gratia* proprium est solius legislatoris, adeoque supremi imperantis ; contra vero relaxare ex aequitate quodammodo et iustitia in casu urgenti et gravi, cum nempe, ut loquitur Tridentinum : « Urgens *iustaque* ratio, » et maior quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus » dispensandum esse (68), » id quidem spectat ad iudicem, qui libratis hinc inde momentis decernit in illo peculiari casu legem fore iniustam nisi dispensatio concedatur. Porro hoc in casu episcopi singuli iudices sunt, utpote qui causas excutiant, an in eis duae praefatae conditiones concurrant gravitatis et utilitatis, quas concilium exposcit in concedenda relaxatione. Tunc vero non solum possunt episcopi subditos suos a legis vinculo solvere, sed plane tenentur iure hoc proprio uti, prout in adducto decreto Tridentini Patres declarant addendo : « Id causa » cognita, ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque, » ad quos dispensatio pertinebit, *erit dispensandum ;* aliterque » facta dispensatio subreptitia censeatur (69). » Si igitur concurrentibus adductis conditionibus, quae veram exceptionem

(68) Sess. XXV. *De reform.* cap. XVIII.
(69) Ibid.

legis constituunt, ius habent subditi ad dispensationem, ius, immovero et officium habent episcopi dispensandi, quod nisi faciant, reos violati canonis Tridentini se constituent (70).

Optime quidem, si eiusmodi principium non esset *novum* ac aperte *falsum*, ac si directa fronte non adversaretur eidem concilio Tridentino, cuius auctoritate fulcire systema suum hic auctor adnititur.

Sane quod novum sit eiusmodi principium multiplici indicio deprehenditur, Ac 1. quod illud nonnisi sub finem sec.XVIII. omnium primus auctor noster excogitaverit, quin ullum illius vestigium antea reperiatur; 2. quod nemo unquam tot episcoporum, quibus cordi esse debuit propria iura vindicare, illud agnoverit, aut in praxim deduxerit; 3. quod evertatur a contrario usu hactenus in universa Ecclesia servato a sec. XIII. quando eiusmodi dispensationes praeviae introduci coeperunt (71).

Falsum praeterea ex eo esse probatur, quod licet urgens iustaque ratio et maior utilitas, ut Tridentinum loquitur, dispensationem postularent, tamen nullum exinde ius unquam agnitum fuerit ex parte eorum, qui remotionem impedimenti petierunt, nullaque obligatio ex parte concedentis. Constanter enim tanquam favor et gratia eiusmodi relaxatio habita est. Quare his verbis S. Bernardus alloquebatur Eugenium III. « Quid? inquis, prohibes dispensare?... Non sum tam rudis, » ut ignorem positos vos esse dispensatores, sed in aedificatio- » nem, non in destructionem. Denique quaeritur inter dispen- » satores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi *necessitas urget, ex-* » *cusabilis* dispensatio est, ubi *utilitas* provocat, dispensatio » *laudabilis* est, utilitas, dico, communis, non propria; nam » cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crude-

(70) Sic Litta in op. *Del diritto di stabilir impedimenti dirimenti il matrimonio e dispensare.* Pavia 1783. ed. 2. II. n. 8.

(71) Cf. opusc. *Lettera dell' abbate N. N. intorno il libro del signor canonico Litta sopra il diritto di stabilire impedimenti dirimenti il matrimonio e di dispensare.* In Italia 1784. §. 6.

» lis dissipatio est (72). » Igitur gravi etiam urgente causa, imo et necessitate interveniente, tamen non *ex iustitia*, sed ex venia, et *gratia* tribuitur dispensatio. Quinimo vidimus Rom. pontifices in eiusmodi relaxationibus, etiam concurrentibus recensitis conditionibus in summo gradu, consuevisse tamen poenitentiae subiicere eos quibuscum dispensabant, vel saltem, aliqua eos mulcta veluti in compensationem relaxatae legis onerare, prout adhuc nunc fieri solet.

Ad falsitatem ulterius istius principii patefaciendam illud accedit, quod etiamsi iudices sibi videre visi fuerint aliquo in casu peculiari concursum dictarum conditionum, exinde minime sequitur eo ipso iudices posse dispensationem decernere. Alioquin possent iudices inferiores legislatoris supremi seu principis legem violare ; quod profecto nemo dicet. Quare inconcussum *penes omnes* permanet quod S. Thomas statuit : « Qui habet *regere multi-* » *tudinem*, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae » suae auctoritati innititur. » Sed praestat integrum eiusdem Angelici doctoris textum describere : « Contingit quandoque, ait » ipse, quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multi- » tudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae, vel in » hoc casu : quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel » etiam induceretur aliquod malum... Periculosum autem esset, » ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur : nisi forte propter evi- » dens et subitum periculum ; et ideo ille, qui habet regere mul- » titudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae » suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, » in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut praeceptum legis non » servetur (73). » Exinde concludit S. doctor. « In lege humana » publica non potest dispensare nisi ille a quo lex auctoritatem » habet, vel is, cui ipse commiserit (74). »

Insuper, adversario ipso fatente, iudicium singulorum episcoporum admittit appellationem ; siquidem nemo in re tanti mo-

(72) *De considerat. ad Eugen.* lib. III. cap. III. n. 18.
(73) 1. 2. q. 97. ar. 4. in corp.
(74) Ibid. in resp. ad 3.

menti, ex qua nempe pendet sacramenti valor, potest tuto acquiescere sententiae iudicis inferioris, qui si forte erret, non posset auctoritate sua vitio, quo forte laboraret dispensatio, mederi, adeoque involvit necessario grave saltem nullitatis dubium usus istius facultatis ex parte episcoporum, qui suprema auctoritate non fruuntur (75).

Sed quod caput est, aperta fronte huius auctoris systema concilio Tridentino adversatur, etsi eius invocet auctoritatem. Nam sic ipse ratiocinatur : concilium Tridentinum est quod ad perfectionem adduxit verarum *iustitiae* relaxationum existentiam ; statuendo enim canone seu regula generali ecclesiastica legi cuicumque veram exceptionem mediante iudice, simulque iniungendo relaxationem a quavis ecclesiastica lege, in qua inveniatur *urgens iustaque ratio et maior quandoque utilitas*, ex una parte *obligationem* superiori hisce in casibus dispensandi, ex altera vero ius ad dispensationem subdito inesse constituit (76).

Ast plura hic sunt animadvertenda, ac 1. quod concilium canonem seu decretum suum emisit ad coërcendum potius quam ad extendendum relaxationum usum, ut patet ex prooemio eiusdem decreti ab adversario praetermisso, quod ita se habet : « Si- » cuti publice expedit legis vincula quandoque relaxare, ut » plenius, evenientibus casibus, et necessitatibus pro communi » utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere exemploque » potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petenti- » bus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges trans- » grediendas aditum dare. Quapropter sciant universi, sacra- » tissimos canones exacte ab omnibus, et quoad eius fieri po- » terit, indistincte observandos. Quod si urgens, iustaque ra- » tio, et maior quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus » dispensandum esse ; id causa cognita, ac summa maturitate » atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, » erit *praestandum ;* aliterque facta dispensatio subreptitia

(75) Cf. Gerdil. *Trattato del matrim.* part. II. §. 7.
(76) Litta op. cit. pag. 259-266.

» censeatur (77). » Si proinde ad compescendam relaxationum facilitatem concilium hoc suum edidit decretum, hoc ipso patet falsam esse interpretationem adversarii, iuxta quam amplissimum aditum concilium aperuisset ad relaxationes faciendas, eas committendo unicuique episcopo, uti ex Cabassutio, et ex suffragio lato in concilio ipso Tridentino ab episcopo Augustano adnotavimus.

2. Adversarius, ut eruat ius in subditis ad habendam relaxationem, atque obligationem ad eam dandam ex parte superiorum, pro certo sumit illud *praestandum* obligationem inferre, et tamen, ut patet ex orationis serie, ea vox *praestandum*, non exprimit *debitum* relaxationis, sed *modum* praecipit, quo eiusmodi relaxationes faciendae sint, causa primum cognita, ac summa maturitate ; prout magis patefit ex poena, seu comminatione adiecta : *aliterque dispensatio facta, subreptitia censeatur.*

3. Universalis Ecclesiae praxis immediate post concilii Tridentini celebrationem iamdiu verum decreti sensum determinavit. Nam vel ii ipsi episcopi, e quibus decretum emanavit, ad sedes suas reversi recurrere consueverunt ad apostolicam Sedem, ut obtinerent relaxandi facultatem. At certe ipsi decreti Tridentini sensum ignorare non poterant. Duo concilia provincialia, quae in Galliis post Tridentinam synodum convocata sunt, scilicet Turonense et Tolosanum, ut suo loco vidimus, declararunt, episcopos haud posse dispensare ab impedimentis matrimonium dirimentibus. Demum, omissis theologis et canonum interpretibus, qui unanimes hac in re sunt, congregationes Romanae verum germanumque Tridentini decreti sensum aperuerunt, ut testatur Benedictus XIV. his verbis : « Sacrae ur-
» bis congregationes, concilii videlicet, et supremae inquisitio-
» nis, non semel proscripserunt tanquam falsam et temerariam
» propositionem asserentem episcopis ius dispensandi super
» impedimento dirimente publico, quod obsistat matrimonio

(77) Sess. XXV. cap. XVIII.

» contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi neces-
» sitas (78). »

4. Falso assumit adversarius Tridentinum ad perfectionem tandem adduxisse decreto suo relaxationum systema, dum praescripsit conditiones, sub quibus illae concedi licite possent, immo et deberent *ex iustitia*, ac fere abolevit relaxationes *ex gratia*, propter quas solum adeunda esset apostolica Sedes. Quasi nempe ante id temporis Rom. pontifices dispensare consueverint absque cognita causa ac sine urgente gravi causa aut maiori utilitate ; at vero ex factis publicis atque notoriis contrarium constat. Ut unum autem alterumve in medium afferamus exemplum, sec. XIII. Alphonsus, rex Castellae, ad Clementem IV. recurrit facultatem petens tradendi filiam suam filio imperatoris Balduini, quorum nuptiis impedimentum obstabat. At Rom. pontifex non satis graves iudicavit causas relaxationis, quam rex exposcebat, hinc eam denegavit rescribens : « Quia pp. ss. ca-
» nones in ea sunt soliditate fundati, ut ab eis nullatenus re-
» cedi deceat aut oporteat, nisi magna id suadeat *utilitas*, aut
» *necessitas iusta* compellat, quorum neutram videre potuimus,
» in filiae tuae et carissimi in Christo filii nostri Balduini im-
» peratoris Constantinopolitani nati copula, pro qua nostrae
» dispensationis *gratia* petebatur etc. (79). » Contra vero idem pontifex Clemens IV. impedimentum relaxavit cum filio regis Siciliae, eo quod viderit iustas adesse causas : « Etsi, inquit
» pontifex, coniunctio copulae coniugalis in quarto consangui-
» nitatis et affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, apos-
» tolicae tamen Sedis providentia rigorem mansuetudine tem-
» perans, super his dispensat interdum, et quod negat iuris
» severitas, de *gratia* benignitatis indulget, praesertim cum
» *necessitas* exigit, et *causa rationabilis* id exposcit (80). »
Sic Alexander IV. an. 1258. a Galliarum rege rogatus legem solvit de consanguinitatis gradibus; contra vero Waldemaro,

(78) *De synodo dioec.* lib. IX. cap. II.
(79) Apud Martène *Anecdot.* tom. II. pag. 303.
(80) Ibid. pag. 537.

Svecorum regi, veniam dare detractavit, ut nuberet Sophiae, suae ex fratre nepti ; postea tamen gravioribus expensis causis hanc ipsam veniam dedit, et ita nuptiae illae conciliatae sunt ut refert Raynaldus (81). Aliud exemplum suppeditant Clemens VI. et Innocentius VI. apud Baluzium (82). Item Ioannes XXII. qui veniam, quam propter cognationis impedimentum Aragoniae rex ab se postulaverat, concedere renuit apud Raynaldum (83). Plura alia eiusmodi exempla suppeterent, quae necesse non est per singula referre. Interim ex allatis luculenter patet quomodo iamdiu ante Tridentinum concilium cognitae ac servatae fuerint conditiones ab eodem concilio recensitae ad licitam relaxationem faciendam, *magna* scilicet *utilitas*, aut *necessitas*, aut *causa rationabilis*, quas tantum illud renovavit ac sancivit.

Hisce nihilominus non obstantibus, relaxatio data est non tanquam *ex iustitia* debita, sed *ex gratia*, ut patet ex rescriptorum allatorum verbis, et ita se constanter gesserunt Rom. pontifices sive ante sive post Tridentinum decretum.

Quod si nimium frequens et larga gratiarum effusio, ut loquitur Clemens IV. (84), scandala non raro peperit, num huic tam largae gratiarum effusioni opportunum obicem posuisset concilium, si facultatem suo decreto dedisset episcopis singulis impedimenta relaxandi, quando id necessitas et iusta causa postularent, adeo ut reservatae dehinc essent apostolicae Sedi relaxationes tantum *ex gratia*, permissae vero imo et iniunctae singulis episcopis relaxationes *ex iustitia?* nemo post ea, quae hac-

(81) Ad an. 1258. n. X. et 1259. n. XIX. pag. 27. et 39. tomi III. ed. Lucens.

(82) *Miscellan. diplom.* tom. III. ed. Lucens.

(83) Ad an. 1329. n. LXXXVIII. seq. pag. 46. tomi III. ed. cit.

(84) En verba Clementis in respons. ad Alphonsum, Castilliae regem : « Larga » in hac materia retroactis facta temporibus diversarum effusio gratiarum » multos reddidit sub spe veniae faciles ad incestum : tantum crimen eo » levius licet temere iudicantes, quo facilius ante coniunctionem vel postea » dispensationis gratia poterat obtineri. » Apud Martène *Anecdot.* tom. II. pag. 304 seq.

tenus dicta sunt, profecto id sibi persuadebit. Ex hisce omnibus animadversionibus pronum est inferre, quam inane sit principium distinctionis inter dispensationes gratiae et iustitiae, ut inde Romanorum pontificum praerogativa limitetur, et episcoporum communis auctoritas augeatur.

Quartum principium petitur ex natura ac indole reservationis, quam vocant. Siquidem reservatio, inquit Litta, non est nisi impedimentum exercitii propriorum iurium, ut evadat iuris alieni (85). Porro haec definitio complectitur tria reservationum genera, scilicet 1. delegantis super delegato; 2. superioris super inferiori; 3. *renunciatarii* super renunciante (86). Reliquis autem omissis, reservatio superioris respectu inferioris, quoniam supponit ius extinguibile, sic referri nequit ad aliquod ius vere episcopale, cum hoc sit prorsus indelebile, prout est ordo, qui illud includit; adeoque reservationes pontificiae nunquam afferre nullitatem poterunt in usu iurium vere episcopalium, sed solum poterunt illud efficere illicitum. Prout, quidquid censeant theologi, valida est absolutio a sacerdote collata casibus reservatis etsi illicita, quia potestas radicalis absolvendi provenit ex ordine prorsus indelebili. Immo magis valet haec ratio quoad episcopos relate ad pontificem, quam quoad presbyteros relate ad episcopos. Etenim ex S. Thoma : « Potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi, quasi a » potestate alterius generis (87). » Nequeunt igitur reservationes pontificiae iuribus propriis episcoporum, inter quae recensetur relaxatio impedimentorum coniugalium, nocumentum afferre, ita ut possint ipsi veniam dare, quin etiam et debeant in relaxationibus, quae dicuntur iustitiae.

Verum machina haec tota facile concutitur atque dissolvitur. Etenim falsa est exhibita definitio in eo quod dicitur *impedimentum exercitii propriorum iurium*. Siquidem eiusmodi definitio non verificatur quoad delegantem ac delegatum. Etenim dele-

(85) Op. cit. pag. 190.
(86) Ibid.
(87) Suppl. q. XL. art. 6. ad 3.

gatus nullum ius proprium habet, sed ius omne unice derivat ex delegante, qui si retrahat concessam facultatem, illico cessat et evanescit ius omne in delegato, ut per se patet.

Falsum praeterea est quod ait adversarius, reservationem superioris respectu inferioris locum habere non posse quoad pontificem relate ad episcopos, quum eorum iura sint inextinguibilia seu independentia, prout est ordo, a quo proveniunt. Nam cum haec asserit, ipse pro certo sumit 1. iura episcoporum in re, de qua agimus, provenire ex potestate ordinis, cum tamen non proveniant nisi ex potestate iurisdictionis; 2. assumit inter iura episcopalia etiam ius per se reperiri relaxandi impedimenta dirimentia, quod tamen esse omnino a veritate alienum multiplici ex capite ostendimus; 3. assumit ius illud esse inextinguibile, ita ut, si non obstante reservatione, tribuant episcopi solutionem ab impedimentis, ea quidem illicita sit, non autem invalida: cum tamen et illicita et invalida sit, utpote data abeo, qui nulla potitur auctoritate. Nam etiamsi concederetur, quod falsum existimamus, iurisdictionem episcoporum singulorum esse immediate a Christo, verumtamen in eius exercitio ita obnoxia est totius Ecclesiae capiti, seu Rom. pontifici, ut irrita evadant acta, quae sine pontificia auctoritate, multo vero magis, quae contra eius auctoritatem ponerentur; 4. demum assumit, quod falsum omnino est, quasi perinde sit aliquid esse *inextinguibile*, ac *independens;* potest enim aliqua potestas esse inextinguibilis, quae tamen alteri subordinata sit.

Quoniam vero adversarius in medium affert exemplum sacerdotum, qui sine iurisdictione impertiuntur absolutionem a casibus reservatis, quae illicita quidem foret, non tamen nulla, ac si ageretur de opinione tantum theologorum, iuverit ipsi opponere canonem dogmaticum concilii Tridentini quo decernitur: « Si quis dixerit episcopos non habere ius reservandi » sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum » reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis » *vere* absolvat; anath. sit (88). » Ergo adversarius non in

(88) Sess. XIV. can. II. In praevia autem doctrinae catholicae expositione

liberam theologorum opinionem, sed in fidei dogma impegit. Tales sunt theologi illi, qui iura pontificia seu apostolicae Sedis adoriuntur!

Ad germanam Angelici doctoris mentem assequendam, satis erit integrum eius textum exhibere. In allegato enim art. 6. hanc sibi S. doctor quaestionem proponit : *utrum super episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia?* post allatas nonnullas auctoritates ita respondet : « dicendum, quod ubicumque » sunt *multa* regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod » universale supra particularia regimina... Et ideo cum tota » Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae » supra potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis » Ecclesia regitur : et haec est potestas Papae; et ideo illi, qui » hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi *divisores* unitatis Ecclesiae. » Quod cum more suo dilucide exposuerit, in responsione ad tertiam quam sibi obiecerat difficultatem, quod « superior potestas non potest conferri per inferiorem... unde etiam sacerdos non potest promovere episcopum, » neque sacerdotem. Sed episcopus potest quemlibet episcopum » promovere, quin etiam Ostiensis episcopus consecrat papam. » Ergo episcopalis dignitas in omnibus est aequalis, et sic unus » episcopus non debet alii subesse. »

Resp. « Dicendum, quod potestas sacerdotis excedit a » potestate episcopi, quasi a potestate alterius generis ; sed » potestas episcopi excedit a potestate Papae, quasi a potestate eiusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, » quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, » potest facere episcopus, non autem omnem actum, quem » potest facere episcopus, potest facere sacerdos in sacramento-

concilium in eadem sess. cap. XIII. haec habet : « Quoniam igitur natura et » ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, per- » suasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec con- » firmat, *nullius momenti* absolutionem eam esse, quam sacerdos in eum » profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. »

» rum collatione. Et ideo quantum ad ea, quae sunt episcopalis » ordinis, omnes episcopi sunt aequales : et propter hoc quili- » bet episcopus potest alium consecrare. »

Ex quibus patet ideo affirmasse S. Doctorem episcopum excedere potestatem sacerdotis in *altero genere*, quatenus fruitur potestate ordinis sive ordinationis, quae non potest convenire sacerdoti, qui ea destitutus est. Cum vero haec ordinis potestas communis sit episcopis omnibus cum Rom. pontifice, quem etiam episcopus potest consecrare, exinde intulit Rom. pontificem potestatem excedere episcoporum in *eodem genere*. Excellit autem in potestate regiminis episcopis omnibus, quibus praeest tanquam caput, et ex quo iuxta Angelicum praeceptorem omnis eorum iurisdictio provenit. Sic enim in eodem articulo in resp. ad 1. scribit : « Quamvis omnibus episcopis data sit communi- » ter potestas ligandi atque solvendi, tamen ut in hac potestate » ordoaliquis signaretur, primo soli Petro data est, ut *osten-* » *datur quod ab eo in alios ista potestas debeat descen-* » *dere* (89) » Itaque prorsus abs re auctoritas S. Thomae hic affertur.

Quintum demum principium, quo adversarii utuntur, illud est, quod reservatio, quam sibi solis vindicant Rom. pontifices relaxandi impedimenta matrimonium dirimentia, non ex aliquo concilii canone, aut ex decretali aliqua Romani pontificis epistola, quae in iuris canonici codicem translata sit, promanaverit, sed ex sola consuetudine, quae a sex plus minus seculis ortum habuit : ex eo scilicet tempore, quo primum nova dispensationum invecta est disciplina. Iam vero tantae vis non est consuetudo, ut episcopos valeat *iure* sibi *proprio* privare.

Possemus absolute hoc negare principium, tum quia iuxta ea, quae antea ostendimus, assentientibus Du Casse et Van-Espenio, concilium Tridentinum relaxationum potestatem soli Rom. pontifici reipsa confirmavit, cum ad ipsum regulas in dispensationis negotio praescriptas praecipue direxit; tum quia

(89) Cf. Gerdil. op. et loc. cit.

hic agitur de potestate inhaerente ipsi primatui, quam Romani pontifices absque ullo iure positivo exercere valuerunt, adeoque opus non habuerunt sive concilii canone, sive epistola decretali in iuris canonici codicem translata. Et reipsa, oblata occasione, exercere eam non dubitarunt, non solum nemine reclamante, sed ultro episcopis urgentibus, ut ea in Ecclesiae bonum uterentur Rom. pontifices.

Verum ut insistamus in ipsa adversariorum theoria, quod ex sola consuetudine pontifices dispensaverint, nihil tamen ipsi proficerent. Nam praeterquam quod ipsa consuetudo tot seculorum serie firmata vim legis obtinet, talia sunt, quae eam comitantur adiuncta, ut infringi nulla ratione possit ac infirmari. Siquidem 1. eiusmodi est consuetudo, quae ab aliquo abrogari non potest, quin simul ea lex certissima violetur, qua inhibetur, ne quis inferior superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. 2. Eiusmodi est haec consuetudo, quae tolli nulla ratione potest, quin iura laedantur, quae uni pontifici conveniunt, ut idoneo loco ostendimus. 3. Agitur demum de consuetudine, quae quemadmodum coepit, ita hactenus invaluit ac perduravit Ecclesia universa probante.

Huc accedit, quod si haec consuetudo abrogaretur, robur prorsus ecclesiasticae disciplinae non enervaretur modo, sed disiiceretur, prout vidimus fassum esse Cabassutium, agnovisseque Tridentinos Patres, qui hac ipsa de causa noluerunt episcopis facultatem tribuere relaxandi in quarto consanguinitatis gradu (90). Ad eum igitur modum, quo contra legem nulla consuetudine praescribi potest, si ecclesiastica disciplina inde detrimentum capiat, ut Innocentius III. statuit in cap. *Cum inter. De consuet.* sic neque contra consuetudinem quidquam audendum est, ubi eius aut sublata aut imminuta vi, prout accidit in casu nostro, ecclesiasticae disciplinae exitium in re gravissimi sane momenti impendeat (91).

(90) Cf. Ioan. Sallier in op. cui tit. *L'opinion des canonistes, que le Pape seul peut dispenser sur les empêchements diriments du mariage introduits par le droit positif.* Toulouse 1692.

(91) Cf. cit. Dissert. *De episc. in dispensationibus etc.* cap. IV.

Haud moramur in eo, quod postremo loco subditur de *iure* episcoporum *proprio*. Hoc enim perinde est ac assumere quod in quaestione est positum, quodque hactenus falsum ac erroneum esse ostendimus. Quemadmodum enim nemo ex episcopis statuere valet impedimentum dirimens, ita nemo potest illud relaxare.

Ex his colligimus, quid de eiusmodi auctoribus sentiendum sit, qui sub finem elapsi seculi undique insurrexerunt ad Ecclesiam perturbandam vexandamque, cuiusmodi inter caeteros fuerunt Pereira in Lusitania, Litta in Italia, electores ecclesiastici in Germania, Durandus a Millante in Galliis, Oberhauser in Austria, aliique pene innumeri earumdem aliarumque gentium scriptores, quorum nomina veluti in terrae pulvere descripta vento ablata sunt, aut mala fama putruerunt (92). Istorum omnium conamina in irritum cessere. Contra vero Romanae ecclesiae iura intacta adhuc dum manent. Idem dic de principibus, qui ab istiusmodi theologis et canonum interpretibus decepti in mandatis dederunt, ut « episcopi dis- » pensent *iure proprio*, ipsis scilicet a Christo collato, atque » exercito a suis primitivorum temporum praedecessoribus, » prout Iosephus II. imperator apposito decreto seu edicto fecit, et alii cum ipso et post ipsum solemniter edixerunt. Hi omnes cito defecerunt, at ecclesia Romana firma ac immota perstitit, et ita in posterum perseverabit, frustra eam dimovere adnitentibus communi conspiratione cunctis eius hostibus, quin quidpiam proficiant. Atque haec utriusque partis sors erit usque ad consummationem seculi.

(92) Pereira tractatum suum edidit de potestate episcoporum an. 1765. adversus quem scriptum edidit Chatizel an. 1781. De edicto Iosephi II; de congressu Emsensi, aliisque per id temporis gestis. Cf. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique pendant le XVIII. siècle* an. 1786. tom. III. pag. 58 seqq. et *Coup d'œil sur le congrès d'Ems.* auctore Feller. an. 1787. De gestis in Galliis sub finem seculi elapsi et init. sec. XIX. Cf. Carrière op. cit. tom. II. n. 1065. circa finem.

Articulus IV. — Distinctione facta inter impedimenta dirimentia ex iure naturali et ex iure positivo infertur quousque se porrigat dispensandi facultas.

Si impedimenta matrimonium dirimentia essent pariter omnia ex iure ecclesiastico, eo ipso Ecclesia posset in singulis, iustis de causis dispensare. Sed quoniam quaedam sunt iuris naturalis ac positivi divini, litimes quidam in hac dispensandi facultate agnoscendi sunt. De plerisque impedimentis vix ulla potest esse dubitatio, nimirum prima fronte, patet Ecclesiam vel dispensare posse vel non posse. Difficultas potissima est quoad impedimenta consanguinitatis et affinitatis. De his itaque praecipue erit quaestio. At prius praestat generatim quaedam praemittere.

Impedimenta, quae oriuntur ex lege naturali, distribui commode possunt in tres classes, quarum prima ea complectitur, quae matrimonia nulla reddunt, eo quod haec stricte iuri naturali adversentur; secunda illa comprehendit, quae licet non omnino ac presse matrimonia afficiant, quae iuri adversentur naturali, nihilominus non sunt eidem plane conformia, seu contraria sunt iuri naturali minus presse sumpto; tertia iis constituitur, quae matrimonia illa attingunt, quae etiamsi naturali legi pariter presse sumptae non repugnent, quamdam tamen prae se ferunt communi hominum sensu difformitatem, seu indecentiam quamdam, ut vocant, a qua natura humana abhorret.

Igitur Ecclesia nullo modo relaxare potest impedimenta primae classis, ut omnes admittunt; quoad reliquas duas classes, absolute Ecclesia posset dispensare auctoritate illi divinitus data. Cum autem non omnia, quae licent, semper expediant, hinc fit, ut ea interdum, prout rerum adiuncta postulant, in impedimentis secundae classis relaxet, nunquam vero consueverit dispensare ab impedimentis tertiae classis ob turpitudinem, quae communi hominum sensu illis inhaeret.

Quae ut intelligantur, sedulo enumerare debemus eiusmodi impedimenta atque expendere, ut alia ab aliis secernamus; quod profecto salebrosum est ob auctorum, qui de iis disserunt, dissonas saepe sententias. Itaque circa singula diversas afferemus opiniones, et quid verisimilius censendum nobis videatur, exponemus.

Quandoquidem autem nemo perspicue magis istorum impedimentorum theoriam ac partitionem exposuit ac Angelicus Doctor, ipsius verbis eam hic innuimus: « Potest, inquit, » matrimonium impediri aut ex parte contractus matrimonii, » aut ex parte contrahentium. Si primo modo, cum contractus » matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per » ignorantiam et per violentiam, erunt duo impedimenta ma- » trimonii, scilicet *vis*, idest coactio, et *error* ex parte igno- » rantiae.... Ex parte personarum contrahentium potest aliquis » impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter, vel re- » spectu alicuius personae.... Si simpliciter, ut cum nulla pos- » sit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia » impeditur a matrimoniali actu. Quod quidem contingit du- » pliciter. Primo quia non potest de facto, sive quia omnino » non potest: et sic ponitur impedimentum *impotentia coeundi;* » sive quia non libere possit: et sic ponitur impedimentum » *servitutis conditio*. Secundo quia non licite potest: et hoc » secundum quod ad continentiam obligatur; quod contingit » dupliciter: vel quia obligatur ex officio suscepto: et sic est » impedimentum *ordinis;* vel ex voto emisso, et sic impedit » *votum*. Si autem impeditur aliquis a matrimonio non sim- » pliciter, sed respectu alicuius personae, vel hoc est propter » obligationem ad alteram personam, sicut qui uni matrimonio » iunctus est, non potest alteri coniungi: et sic est *ligamen* » *matrimonii;* vel quia deficit proportio ad alteram personam: » et hoc propter tria: primo quidem propter nimiam distantiam » ad ipsam, et sic est *disparitas cultus;* secundo propter ni- » miam propinquitatem, et sic ponitur triplex impedimentum, » scilicet *cognatio*, deinde *affinitas*, quae importat propin-

» quitatem duarum personarum ratione tertiae per sponsalia » iunctae; tertio propter indebitam coniunctionem ad ipsam » primo factam, et sic impedit *crimen adulterii* prius cum » ipsa commissi (93). »

Porro circa impedimenta *erroris, vis,* aut perpetuae *impotentiae* (94) dari haud posse dispensationem, ex se ipsa res loquitur. Restat igitur ut disquisitio nostra ad impedimentum cognationis tum ratione consanguineitatis tum ratione affinitatis coarctetur. Nam quod attinet ad impedimenta iuris positivi divini, alias redibit sermo.

Iam vero cognatione, quae dicit consanguineitatem, impediri seu irritari coniugium, licet diversa ratione pro diverso gradu propinquitatis, egregie iterum exponit declaratque S. Thomas scribens: « Quod in matrimonio aliquid contra legem » naturae esse dicitur, per quod matrimonium redditur incom- » petens respectu finis, ad quem est ordinatum; finis autem

(93) *Supplem.* 3. part. q. 50. art. unic.

Quae adduximus ex S. Thoma ita philosophice exponuntur a cl. Taparelli in suo *Saggio teoretico di diritto naturale.* Roma 1855. tom. II. n. 1548. « Per » sè I. il matrimonio è società *volontaria*, dunque ove non è volontà non è » matrimonio: la voluntà cessa or per *ignoranza* or per *violenza*. *Ignoranza* » *e violenza* impodiscono dunque il vincolo dell' associazione. II. Se è società » è *cooperazione:* dunque ove è impotenza o fisica o morale ad ottenere il fine, » ivi non è associazione coniugale - Considerato poi nella *società* il matrimonio » può essere impedito o pei doveri delle parti *fra loro*, o pei doveri antece- » denti *verzo persona terza*. III. *Tra loro* potranno nascere doveri o impedi- » menti per ragioni di *parentela* o di *affinità* o di *onestà*, dei quali varia può » essere la natura et la forza. Rispetto *a persona terza:* questa potrà essere » in diritto di disporre o delle azioni, o della persona *(padrone o consorte)* e » suoi diritti anteriori vietano i posteriori inconciliabili - È facile l'applicazione » di questa divisione agl'impedimenti canonici; e non può non riuscire utile » insieme e dilettevole a chi ama filosofar sul diritto, il vedere in natura ciò » che viene stabilito dalla più sacra di tutte le autorità. Dal 1. capo ripetonsi » gli impedimenti di *errore* e di *rapimento* - dal 2. quelli di *impotenza* e di » *voto* - dal 3. quelli di *cognazione*, di *affinità*, di *delitto*, di *clandestinità* - dal » 4. quelli di *condizione* o *servitù*, di *ordine*, di *religione diversa:* e quelli di » *sponsali* e di *matrimonio*. »

(94) De impedim. tamen *impotentiae* cf. Pontium *De matrim.* lib. VII. cap. 35 et seqq.

» matrimonii per se et primo est bonum prolis, quod quidem » per aliquam consanguinitatem scilicet inter patrem et filiam, » vel filium et matrem impeditur, non quidem, ut totaliter » tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, » et simul cum patre nutrire et instruere, in quibus bonum » prolis consistit; sed ut non convenienti modo fiat (95). In- » ordinatum enim est quod filia patri per matrimonium iun- » gatur in sociam, causa generandae prolis et educandae, » quam oportet per omnia patri esse subiectam velut ex eo » procedentem: et ideo de lege naturali est, ut pater et mater » a matrimonio repellantur, et magis etiam mater quam pater... » Sed finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae » repressio, qui alias deperiret, si quaelibet consanguinea pos- » set in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiae adi- » tus praeberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in » eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta; et » ideo lex divina non solum patrem et matrem excludit a ma- » trimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas opor-

(95) Eiusmodi *non conventientem modum*, quem hic vix tangit S. Thomas, his verbis apte pariter exponit Taparelli op. cit. n. 1540. « La società domes- » tica porta seco due importantissime relazioni cioè *dipendenza* dal superiore, » ed *amicizia* coi consociati. La dipedenza se si riguardi nei servi nasce da » *fatto umano*, ma nei figli dipende da *fatto naturale*; potrà dunque la prima » cangiarsi, ma non potrà la seconda. Or il matrimonio stabilisce una specie » di *amicizia* e però di *uguaglianza* fra coniugi, alla *uguaglianza* ripugna » la *dipendenza*, dunque fra le relazioni figliale e le coniugali apparisce natu- » ral ripugnanza. Altre ragioni dedotte dall' organismo a confermare tal legge » possono vedersi presso i fisiologi, i quali osservano anche nei bruti imbastar- » dir le razze, se non s'incrociano. Ma senza ricorrere a queste, che da taluni » potrebbono forse revocarsi in dubbio, una ve n'è, che al più superficiale » osservatore pur salta agli occhi: nel genitore cessa la fecondità secondo il » consueto andamento di natura a quella epoca in circa in cui nei figli comincia. » Dunque nell' intento del Creatore codesta congiunzione è vietate. - L'*ami-* » *cizia* poi che dee legare *naturalmente* i domestici tenderebbe colle passioni » *naturalmente* a togliere ogni freno, che dalla ragione s'impongono al mari- » taggio dell' uomo. La stessa ragione vuol dunque che ove la coabitazione è » *naturale*, sia *naturale* un maggior ritegno etc. » quod deinde late prose- quitur.

» tet simul conversari, et quae debent invicem altera alterius » pudicitiam custodire: et hanc causam assignat divina lex » dicens: *ne reveles turpitudinem* talis, vel talis, *quia turpi-* » *tudo tua est*. Sed per accidens finis matrimonii est confoede- » ratio hominum, et amicitiae multiplicatio, dum homo ad » consanguineos uxoris sicut ad suos se habet: et ideo huic » multiplicationi amicitiae praeiudicium fieret, si aliquis san- » guine coniunctam uxorem duceret: quia ex hoc nova ami- » citia per matrimonium nulla accresceret: et ideo secundum » leges humanas et statuta Ecclesiae plures consanguinitatis » gradus sunt a matrimonio separati. Sic ergo ex dictis patet, » quod consanguinitas ad aliquas personas impedit matrimo- » nium de iure naturali; quantum ad aliquas de iure divino, » et quantum ad aliquas de iure per homines constituto (96). »

Hactenus quidem S. Thomas ex cuius verbis conspicitur spectato naturae iure presse sumpto, non aliud ex consanguineitate impedimentum oriri, quam ex linea recta inter progenitores ac filios; caeteros vero gradus impedire aut dirimere matrimonium tantum ex dispositione positiva divina aut humana. Quin etiam graves non desunt auctores, qui censeant primum gradum in linea recta ideo adversari coniugio ex iure naturali, quod sit inconveniens, minusque naturae conformis patris aut matris cum filia aut filio commixtio; non autem stricto iure naturae, cum fini praecipuo coniugii qui est bonum prolis minime adversetur. Quapropter existimant ex iure potius positivo, seu lege divina, quam ex iure naturali presse sumpto eiusmodi dirimens impedimentum oriri. Ex quo inferunt, quod si aliud occurreret praeceptum urgentius et efficacius, ne ex gr. periret deficeretque prorsus genus humanum, illud impedimentum absque ulla dispensatione eo ipso cessaret (97). Multo vero magis id esset affirmandum iuxta

(96) Supplem. 3. p. q. 54 art. 3. *corp.*

(97) Qua de causa congressum filiarum Lot cum patre ex persuasione, quod igne omnes homines periissent, aliqui a gravi peccato excusant, quin etiam ab omni peccato liberant S. Ioan. Chrysostomus, S. Ambrosius aliique nonnulli.

hos auctores de gradu, qui a primo stipite, licet in linea recta sit remotior. Quamvis enim haud pauci velint impedimentum proveniens ex linea recta dirimere *in infinitum*, ut aiunt, alii tamen hunc effectum vel ad septimam, vel sextam, quintam, quandoque etiam ad quartam tertiamve, imo et ad secundam generationem, spectato solo naturae iure coarctant.

Quidquid porro sit de eiusmodi speculativis seu theoreticis quaestionibus, quae nunquam practicum habent effectum, nemo unus negaverit coniugia, de quibus agitur, insitam includere turpitudinem, a qua natura abhorret; quod vel ex ipso communi gentium sensu facile apparet, quae iugiter hasce coniunctiones detestatae sunt (98). Quare nunquam locum habuit, aut haberi potuit dispensatio ab Ecclesia in hoc impedimento, non modo inter fideles antequam coniugium ineatur, sed neque quoad ipsos infideles ad fidem conversos, si forte antea coniugium eiusmodi iniissent.

Hactenus de impedimento cognationis in linea recta; aliquid adiiciendum de impedimento eodem in linea quam *transversam* vocant, spectato presso naturae iure. Non videtur adeo certum in ipso primo gradu huius lineae, cuiusmodi esset coniugium inter fratrem et sororem haberi in iure naturali impedimentum dirimens. Auctores, qui hac de re scripserunt, inter se disceptant. Ad unum omnes profitentur eiusmodi coniunctionem illicitam esse; verum aliud est quidpiam naturae iure esse illicitum, aliud vero irritum, quum alterum cum altero subsistere possit. Plura enim sunt iure naturali illicita, quae tamen, si fiant, irrita non sunt (99). Itaque haud pauci existi-

Cf. Kugler *De matrim. De imped. matrim.* c. IV. §. 1. n. 1305. Item Pontium lib. VII. cap. 31. n. 4. et 5.

(98) Quoad Persas, qui coniugia cum parentibus permittebant, ipsi in reprehensionem hac de causa iucurrerunt non dicam SS. PP. aut ecclesiasticorum scriptorum, Tertulliani in *Apologet.* c. IX.; Io. Chrysostomi *Hom. de Pentecoste* circa finem, Augustini *Quaest.* 61. in Levetic., Theodoreti in lib. *De legibus*, verum etiam ipsorum ethnicorum, Aristotelis *Politic.* lib. II. Plinii *Histor. Natur.* lib. VIII. cap. 42. etc.

(99) Cf. Bellarmin. *De matrim.* cap. XIX. ubi inter caetera profert ad rem

mant coniunctionem in primo lineae obliquae seu collateralis gradu, fratris nempe et sororis, iure naturae minime dirimere coniugium (100). Ali autem eiusmodi matrimonium censent probabilius esse iure naturae irritum, innitunturque potissimum auctoritate Innocentii III. cap. *Gaudemus, de divort.* qui edixit: matrimonia inter infideles contracta in secundo, tertio et quarto gradu consanguinitatis non debere dissolvi. Ex quibus quidam colligunt Rom. pontificem in ea fuisse sententia, quod coniugia in primo consanguinitatis gradu ab infidelibus inita utpote iuri naturali contraria dissolvi prorsus deberent. At alii repugnant id esse consequens, dicuntque intelligi posse Innocentii III. responsum de primo gradu in linea recta, aut melius, Innocentium ad id respondisse, quod fuerat quaesitum. Quaestio autem ei proposita fuerat de secundo, tertio quartoque gradu, adeoque de primo gradu sive lineae rectae, sive transversae nil ab Innocentio negari, nil affirmari. Nec sane desunt rationum momenta, quibus placitum suum utraque pars tuetur atque propugnat, quae apud allegatos auctores expendi possunt (101).

nostram exemplum filiorumfamilias et servorum, qui quamvis peccent quandoque ac illicite contrahant coniugium, invitis parentibus ac dominis, nihilominus semel initum coniugium validum est ac ratum. Plura alia exempla, si opus esset, afferri possent.

(100) Sanchez lib. VII. disp. 52. n. 10. enumerat 26. auctores pro hac negativa sententia, quibus Leander tract. IX. disp. 13. q. 9. alios duodecim adiungit quibus et ipse assentitur, sibique adiiciunt S. Thomam. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.

Cf. etiam Pontium *De sacr. matr.* lib. VII. c. 32. *De imped. cognationis* n. 3. qui pro hac sententia allegat et ipse S. Thomam, Caietanum, Alexan. Alensem, Richardum, Durandum, Carthuisianum, Armillam, Oleastrum, Guillielm. Himerium, Gratian. Hervetum, Laysium, Legionensem, quorum sententia est coniugium inter fratrem et sororem in V. L. divino iure, nunc autem iure ecclesiastico esse prohibitum. His Pontius addit quaedam patrum testimonia. Exinde Verricelli in op. *De apostol. missionibus* tit. IV. *De privileg. regul.* q. 98. dub. 14. infert. « Quare si gentilis ante baptismum contraxerit matri- » monium cum sorore in eo perseverare debet post baptismum. »

(101) Horum AA. censum exhibet Kugler op. cit. q. XLIII. inter *quaestiones magis disputatas* n. 1874.

Quid verisimilius nobis videater postea dicemus. Illud certum est Ecclesiam neminem unquam hoc in gradu dispensasse (102).

Hac iterim theoretica quaestione dimissa, superest, ut inquiramus utrum in ulteriori gradu lineae collateralis ita naturae lege coniugium vetetur, ut etiam irritum fiat.

Non defuerunt, qui docerent cognatione etiam in secundo ac tertio gradu coniugium naturali iure dirimi, ita ut nullo unquam in casu hisce in gradibus relaxatio dari queat.

Hi potissimum innitebantur auctoritate Levitici, in quo (cap. XVIII.) non modo coniugia vetantur inter patrem et filiam, matrem et filium itemque inter avum aut aviam cum nepotibus et neptibus, seu in primo ac secundo gradu lineae rectae, verum etiam in linea transversa in primo gradu inter fratrem et sororem sive ex uno sive ex utroque parente prognatos, atque iusuper in secundo gradu in linea inaequali, non quidem absolute, sed tantum inter nepotem et amitam, aut materteram. Dixi *non absolute;* siquidem coniugium cum patruo aut avunculo haud interdicitur, licet intercedat cognatio in secundo gradu. Idem dic de affinitatis gradibus, qui eodem in capite continentur, et in quibus coniugium interdictum est; de quibus postea.

At nunc eiusmodi sententia absoleta est, ac si haereticos quosdam protestantes demas, iam nemo est theologorum aut canonistarum, qui adhuc teneat omnes gradus in Levitico recensitos spectare ad legem naturae, ita ut dari non possit in aliquibus ipsorum, nominatim vero in secundo et ulteriori gradu cognationis, ab Ecclesia dispensatio.

(102) Nonnulli affirmant Martinum V. dispensasse in matrimonio fratris cum sorore; itemque dispensatum esse cum Emmanuele Lusitaniae rege. At haec destituta esse veritate historica ostendit card. De Lugo lib. I. *Resp. moral.* dub. XL. et Spondamus ad. an. 1496. Cf. Kugler loc. cit. Et sane, ut rite animadvertit Natal. Alex. Hist. eccles. saec. XV. et XVI. agens de Martino V. art. III. n. 6.« Qui tanta, inquit, cautione usus est in dispensationibus concedendis, » hunc alicui veniam fecisse ducendae germanae sororis, ab omni specie veri » alienum est. » Disserit autem de dispensatione data ab hoc pontifice comiti Fuxensi, de qua mox agemus.

Omnium enim consensione tum catholicorum tum heterodoxorum pro certo habetur impedimenta, quatenus in Levitico constituta sunt, divino iure non amplius obligare christianos, uti alias et nos animadvertimus ; cum leges caeremoniales ac iudiciales per Christum abolitae fuerint. Si proinde illis impedimentis adhuc tenerentur christiani, ideo esset, quia spectarent ad legem moralem seu ad naturae legem; atque hoc reipsa fuit, quod autumarunt veteres ita nuncupati reformatores (103)potissimum, ut hac ratione Henrici VIII., Angliae regis, coniugium cum Anna Boylen cohonestarent. Nam huic innixi fundamento, quod gradus omnes sive consanguinitatis sive affinitatis in Levitico enumerati ad Ecclesiae auctoritatem minime spectarent, adeoque a Rom. pontifice in nullo eorum dispensari posset, intulerunt relaxationem, seu veniam a pontifice Henrico factam ducendi Catharinam Arthuro, eius fratri, matrimonio coniunctam, licet matrimonio non consummato in viduitate relictam, nullius fuisse valoris. Quum proinde irritae fuerint nuptiae, utpote impedimento irretitae primi affinitatis gradus, qui in Levitico continetur, Henricum iure, hoc dissoluto coniugio, ad novas nuptias convolasse.

Ast Tridentinum concilium hunc novatorum errorem anathemate confixit sess. XXIV. hoc can. III. « Si quis dixerit » eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico » exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, » et dirimere contractum ; *nec posse Ecclesiam in nonnullis* » *ipsorum dispensare ;* anath. sit. » Igitur uti ratum exploratumque assumit concilium, non omnes recensitos in Levitico sive consanguineitatis sive affinitatis gradus impedire aut dirimere coniugia vi legis moralis saltem presse sumptae; alioquin minime definivisset posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare(104).

(103) Cuiusmodi inter caeteros fuerunt Lutherus, Bucerus, Calvinus, Chemnitius, aliique illius aetatis sectarii.

(104) Argumenta, quibus praefati haeretici innitebantur, ut evincerent omnes Levitici gradus ad legem spectare naturae, expendit dissolvitque Bellarminus loc. cit. cap. XXVII. item Kugler op. et loc. cit. aliique passim.

Dixi *legis naturalis presse sumptae*, quae nullam scilicet relaxationem admittat. Siquidem ut optime animadvertit Bellarminus, tribus modis aliquod praeceptum prohibens dici potest naturale, 1. quia sit de re intrinsece mala, ita ut semper et apud omnes sit mala, nec unquam ullo in casu possit fieri bona: ut mendacium, blasphemia aliaque eiusmodi; 2. quia sit de re mala semper et apud omnes, excepta extrema necessitate: cuiusmodi foret tollere alienum invito domino; ad quam classem ipse refert matrimonium cum sorore in mundi exordio; 3. quia sit de re mala, si res illa nude et absolute sumatur, quae tamen possit mutatis circumstantiis, variis modis honestari ac fieri bona: uti esset hominem occidere, hominis enim occisio in se spectata mala est; verum si fiat a publica auctoritate ad societatis bonum, et ad crimen puniendum, bona ac licita evadit.

Quibus praenotatis infert, praecepta, quae primo et secundo modo naturalia dicuntur, ita prohibere, ut dispensationi non subsint, utpote praecepta iuris naturalis presse sumpti. Ast quoad ea, quae tertio modo naturalia sunt, posse in nonnullis rerum personarum ac temporum adiunctis licita fieri ac dispensationi subiacere.

Cum igitur in Levitico prohibentur coniunctiones, quae fiant praeter primum coniunctionis gradum tum in linea recta tum in linea transversa, hae prohibitiones referuntur ad tertium modum, seu ad eas coniunctiones, quae in nonnullis adiunctis personarum ac temporum licitae fieri possunt, seu divina Ecclesiae auctoritate, quae relaxare valet, quae obstant consanguineitatis et affinitatis impedimenta. Hinc etiam dici potest, praecepta prohibentia, quae in Levitico recensentur, posse tum moralia nuncupari, tum iudicialia; *moralia* quidem non solum ea, quibus vetantur matrimonia in primo consanguinitatis gradu, verum etiam, quae spectant ad gradus ulteriores sive consanguinitatis sive affinitatis; quia si nude ac per se sumantur, minus conformia legi naturae deprehenduntur, atque ab ea improbantur. *Iudicialia* vero, quia, quae vaga sunt atque indeterminata, nec perspicue cognita uti legi naturali adversantia, a

legitima auctoritate positive decerni debent ; talia porro sunt, quae a lege divina positiva interdicuntur coniugia, in quibus intervenit aliqua cognatio primo gradu remotior.

Quamvis vero passim admittatur, naturalia praecepta ea dici, quae solo naturali lumine veluti sponte sine aliquo discursu, aut saltem facillime dignoscuntur, quaeque apud omnes gentes bene constitutas sunt eadem,seu,ut loquitur Bellarminus, quae eadem sunt quoad notitiam et certitudinem ; attamen hoc legis naturalis dignoscendae criterium ab omnibus non admittitur. Etenim licet verum sit illud omne esse iuris naturae praeceptum, quod sine ullo, aut certe facillimo discursu adhibito dignoscatur apud gentes excultas, nihilo tamen minus non pauca dantur naturalia praecepta, quorum notitia non omnibus etiam bene institutis gentibus obvia est. Siquidem gentes multae alias optime institutae uti licitas admiserunt actiones, quae iuri naturae adversantur. Sic haud paucae tanquam licitam habuerunt matrimonii dissolutionem, licitas habuerunt usuras aliasque eiusmodi aberrationes. Imo plurimi etiam philosophi olim celeberrimi, teste Plutarcho (105) putarunt paederastiam esse licitam, idem senserunt de uxorum communitate, de promiscuo congressu fratrum et sororum, aliaque non pauca. Quid plura ? Fornicationem et mollitiem iure naturae prohiberi nemo nunc est, qui non admittat, attamen vel ipsa luce evangelica fulgente, celeberrimus auctor Caramuel binas has propositiones adstruxit ab Innocentio XI. proscriptas : « Tam clarum videtur fornica-
» tionem secundum se nullam involvere malitiam,et solum esse
» malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dis-
» sonum videatur. » Item : « Mollities iure naturae prohibita
» non est : Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset
» bona, et aliquando obligatoria sub mortali (106). »

Hinc opportunum admodum fuisse patet, ut lex positiva de-

(105) Lib. *De liber. educat.* post medium.

(106) Prop. 48. et 49. inter proscriptas ab Innocentio XI. in quas propp. Cf. Viva *Theses damnatae.* Cardenas Diss. XXIX. cap. 4. Schwarz *Instit. iuris publici universalis naturae et gentium.* part. II. *De iure naturae* tit. IV.§. 2. q.8.

cerneret ac confirmaret ea ipsa impedimenta, quae in iure naturae evidenter continentur, multoque magis ea , quae vel incerta vel indefinita sunt, si solum ius naturae spectetur. Ita Deus in Levitico positiva lege legem naturalem confirmavit et determinavit. Quare licet coniugia non solum in primo, sed et in altero cognationis gradu in Levitico pariter vetentur, non sequitur ea pariter a iure naturae presse sumpto vetari ; adeoque utrum secundus consanguinitatis gradus , de quo loquimur, matrimonium per se dirimat, non ex Levitico , sed ex rei natura, potissimum vero ex doctrina et praxi Ecclesiae statui debet.

Et haec quidem de impedimento orto ex consanguinitate ; praestat nunc aliquid addere de impedimento, quod ex affinitate oritur.

Affinitas, ut notum est, dicitur propinquitas orta ex copula sive licita, nempe coniugali, sive illicita, ut fornicaria, aut alia huiusmodi cum consanguinea.

Affinitas haec potest adesse aut inter ascendentes et descendentes, ex. gr. inter avum et neptem, generum et socrum, novercam et privignum etc. et ea est , quae dicitur linea recta ; aut inter collaterales ex. gr. inter consobrinos et consobrinas, quae linea collateralis, aut obliqua etiam nuncupatur.

Eiusmodi affinitas, quaecumque demum sit, sive in linea recta sive in linea collaterali varios gradus, saltem respectu consanguinitatis, ex qua progignitur, habere potest.

Affinitatem parere impedimentum et quidem dirimens matrimonium , nemo est qui dubitet. Antiquitus receptum erat , ut longe plures gradus impedirent coniugium atque dirimerent ; novo autem iure affinitas orta ex copula licita dirimit usque ad quartum gradum , orta vero ex copula illicita cohibita est usque ad secundum gradum.

His praelibatis ad rem nostram et ad finem, quem intendimus, quaestio inter auctores sive theologos, sive iuris canonici interpretes disceptata attingi etiam hic debet; nimirum utrum eiusmodi impedimentum enascatur ex iure naturae , an vero ex iure tantum ecclesiastico. Nam si a iure naturali stricte

sumpto enasceretur, iuxta dicta, non posset Ecclesia, aut Rom. pontifex ullo in casu relaxare, contra vero rite id posset, si ex iure solum ecclesiastico ac positivo promanaret.

Porro non pauci iique gravissimi auctores olim opinati sunt, maiorem affinitatis gradum, seu gradum primum in linea recta ita iuri naturae adversari ab eoque ita interdici coniugium, ut Rom. pontifex ab illo dispensare nequeat (107). Innitebantur autem potissimum duplici argumento, altero ducto ex indecentia, seu defectu debitae sanguini reverentiae; altero vero ex aequalitate, imo et *superioritate* quandoque iurium erga illos, quibus naturae iure subesse deberent. Quae nos paulo ante attigimus cum. S. Thoma disserentes de impedimento, quod ex primo consanguineitatis gradu dimanat.

Verum nunc dubitari non posse videtur de veritate sententiae, quae negat, hunc propinquitatis gradum a iure naturali vetitum esse, quaeque idcirco affirmat, affinitatem dirimere coniugium ex iure tantum positivo ecclesiastico, et quod consequens est, posse a pontifice Romano in ipso etiam primo gradu dispensari. Etenim Benedictus XIV. aperte docet, matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae *iure tantum positivo* interdici (108). Et iterum in causa quadam Frisingensi, quae fuit proposita supremae congregationi SS. Inquisitionis de matrimonio ineundo inter vitricum et privignam, iudicium suum his verbis emisit: « Non esse dubitandum de potestate pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in » linea recta etiam ex copula licita inter vitricum et privi» gnam, et e contra. Non expedire tamen, quod eiusmodi dis-

(107) Inter caeteros S. Antoninus 3. p. tit. I cap. II. §. 1. Soto in 4. Sentent. dist. 41. quaest. unic. art. 3. Covarruvias p. 2. *De sponsalib.* cap. 6. §. 10. n. 2. Bellarminus lib. unic. *De matrim.* c. XXVIII. n. 2. Cabassutius *Ius canon.* lib. III. cap. 24. n. 28. Iuvenin. *De matrim.* diss. XII. c. 10. concl. 3. Pirhing. in *Decret.* De consanguinit. et affinit. n. 32. Reiffenstuel in *Decret.* lib. IV. tit. 14. n. 49. Natal. Alexand. *Theol. dogmat. De sacr. matrim.* art. 6. reg. 1. Pontas in *Diction. casuum conscient.* tom. I. verb. *Dispensat.* cas. 3.

(108) *De synodo dioeces.* lib. IX. c. XIII. et passim in *Quaest. canonicis.*

» pensationes concedantur (109). » Et merito quidem quoad utramque partem, nimirum quoad potestatem, qua pollet pontifex in hoc affinitatis gradu, et quoad negationem dispensationis.

Et quidem respectu iuris positivi, quo eiusmodi coniugia interdicuntur, ac proinde quoad potestatem pontificis relaxandi in hoc impedimento, utrumque inferri licet ex antiquorum conciliorum statutis. Etenim praetermissis can. 61. concilii Agathensis (110), et can. 30. conc. Epaonensis (111), quibus etsi expresse prohibeatur matrimonium cum privigna, cum noverca relicta fratris, relictaque avunculi, praecipitur tamen, ne ante eam prohibitionem contracta coniugia dissolvantur; his, inquam, praetermissis, quae evidenti sunt argumento illa coniugia per se valere, ac proinde dispensari in eo gradu posse, id ipsum non minus luculenter evincitur ex conc. Aurelianensi III. can. 10. his verbis expresso: « De incestis coniunc-» tionibus ita, quae sunt statuta, serventur, ut his, qui aut modo » ad baptismum veniunt, aut quibus *Patrum* statuta *sacerdotali* » praedicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro no-» vitate conversionis, ac fidei suae credidimus consulendum, » ut *contracta hucusque huiusmodi coniugia non solvantur;* » sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in ante-» rioribus canonibus interdictum est, observetur; id est, ut » ne quis sibi sub coniugii nomine sociare praesumat relictam » patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobri-» nam aut sobrinam, relictam avunculi vel patrui (112). » Ex quibus patet, concilium voluisse, ut permanerent eiusmodi coniugia in infidelitate contracta, neque dissolvi debere. Igitur gradus affinitatis inter vitricum et privignam, inter privignum et novercam,

(109) Cf. Rigant. Comm. in reg. XLIX. *Cancell.* n. 18 seqq. nec non Bened. XIV. *De synodo* lib. IX. cap. XIII. n. 4.

(110) Apud Sirmundum *Conc. antiqua Galliae.* tom. I. pag. 172.

(111) Ibid. pag. 199. Ambo hi canones *De incestis nuptiis* iisdem ferme verbis exarati sunt. Horum conciliorum alterum celebratum est an. 506. alterum vero an. 517.

(112) Ibid. pag. 251.

relictam fratris, aut sororem uxoris non dirimit coniugium iure naturae. Quinimo decrevit, neque esse huiusmodi coniuges separandos, qui licet baptizati in ignorantia legum ecclesiasticarum ea matrimonia iam celebrassent (113). Ex his itaque conciliis antiquissimis constat, recte Benedictum XIV. iudicasse primum hunc affinitatis gradum in linea recta non inducere impedimentum dirimens iure naturali, sed positivo, lege scilicet ecclesiastica, atque adeo in pontificis Romani potestate esse ab illo dispensare.

Quoad alteram vero decisionis partem, qua iudicavit, *non expedire tamen quod huiusmodi dispensationes concedantur*, id certe plures eaeque gravissimae causae persuadent.

Ac 1. turpitudo, quae in eiusmodi coniunctionibus vel ipso naturae lumine deprehenditur proveniens ex reverentia propinquo debita sanguini, adeo ut vel ipsae gentes passim ab illis abhorruerint (114). Hinc praeclare ad rem nostram adnotavit Machat : « Hoc vinculum affinitatis non est fictum a iure, » sicut cognatio legalis, aut spiritualis, *sed est naturale*, » etiamsi ex copula illicita oriatur, quia propter unitatem » carnis, quactenus copulati fiunt una caro, naturaliter funda- » tur quaedam amicitia, et propinquitas personarum ut agnos-

(113) Cf. Pontium op. et loc. cit. cap. XXXIV.

(114) Cf. Cornel. a Lapide Comment. in 1. ad Cor. V. 1. nec non Estium in eumd. loc. qui quamvis afferant nonnullorum antiquorum scriptorum testimonia, ex quibus constat, apud aliquot gentes morem illum olim obtinuisse, ut privigni novercam in matrimonium ducerent, tamen ostendunt passim id fieri non consuevisse, adeoque, quod scripsit Apostolus : *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, intelligi debere de gentibus illo tempore notis, quae ut plurimum regebantur legibus Romanis, non autem universim ; praesertim si ratio habeatur earum, quae dicuntur Levitici XVIII. ubi postquam Deus inter alia edixisset : « Tur- » pitudinem uxoris patris tui non discoperias : turpitudo enim patris tui est, » statim adiecit : « Ne polluamini in omnibus his, quibus *contaminatae sunt* » *universae gentes*, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum. » Praeterea animadvertunt interpretes, incestum illum Corinthium cum noverca adhuc in vivis patre agente se commiscuisse.

» cunt gentes etiam barbarae ; licet affinitas ex copula illicita » non attendatur civiliter, quoad successiones et alios effectus » iuris (115). » Cui assentitur Schmalgrueber, qui scribit : « Non est merum Ecclesiae figmentum, sed *quid naturale* instar » consanguinitatis, etiam stante ea sententia, quae docet nul- » lam affinitatem iure naturali dirimere matrimonium... Nam » quod per carnis coniunctionem coniuges efficiantur una caro, » est de iure naturae (116). »

2. Negandam esse dispensationem persuadet reverentia praeterea et obsequium, quo descendentes obstringuntur erga ascendentes tanquam superiores. Ex hoc enim vinculo naturali praesertim in linea recta ac in primo gradu fit, ut privignus ac privigna, gener et nurus quovis tempore atque apud omnes pene cultas gentes spectarint vitricum ac novercam, socerum ac socrum veluti parentes ipsorum proprios atque genitores custodesque ipsorum pudicitiae eousque, ut illos appellare consueverint nominibus patris matrisque, eisque ut parentibus obsequi, si morigeri fuerint probeque instituti ; Hinc « si vir et » uxor, scribit S. Augustinus, non duo, sed una sunt caro, » non aliter nurus reputanda quam *filia* (117). » Ne attinge novercam aiebat quidam ethnicus, secundo cubili patris, sed eam cole ac matrem (118).»

Quapropter vel ii ipsi theologi et canonistae, qui docent, affinitatem in primo gradu dirimere coniugium solo iure positivo, a quo proinde pontifex dispensare potest, eiusmodi inesse inde-

(115) *Institut. canon.* lib. IV. tit. 14. *De cons. et affinit.* n. 10.

(116) *Ius canon.* lib. IV. tit. 14. *Consanguin. et affinit.*

(117) Lib. II. cont. Faustum cap. LXXI. Quo sensu etiam S. Thomas in I. Cor. c. V. « Uxor patris, inquit, repellitur a matrimonio *sicut persona patris* » *vel matris.* »

(118) Phosilides apud Cuiaccium in lege *Si adulterium* 33. ff. *De adult.* Loquens autem Cicero pro A. Cluentio de socru, quae sese matrimonio copulaverat cum genero, in haec verba excandescens prorupit : « O mulieris scelus » incredibile, et praeter hoc unum in omni vita inauditum ! O libidinem ef- » fraenatam et indomitam ! » Tanto scilicet horrore percellebantur his coniugiis ethnici ipsi.

centiam ac turpitudinem hisce coniugiis ultro fassi sunt. Sic Leurenius fatetur. « Esse id *valde indecens* , ac proinde ab eo » homines omnimode deterrendos, et nunquam permittendum » sine gravissima causa ; et quia raro contingere potest, pontifi- » ces in hac affinitate nunquam dispensasse (119). » Maschat pariter pronunciat : « Matrimonia ista gravibus poenis subii- » ciuntur, *ob magnam indecentiam* (120). » Schmalzgrueber et ipse admittit quod « matrimonium inter eiusmodi per- » sonas repugnat *naturali decentiae* » ac subdit « huiusmodi » nuptiis *perimi ius naturae,*quia licet iure naturae non sint » irritae, sunt tamen eo iure illicitae (121). » Quare vel ipse Pontius, qui adstruxerat coniugium inter fratres ac sorores mi- nime irritum esse naturae iure, cum pervenisset ad sibi obiec- tam difficultatem ab indecentia petitam respondet : « Aeque » gravis , *imo gravior turpido* cernitur in eo quod quis nover- » cam aut privignam ducat uxorem, vel relictam avunculi, et » tamen solo ecclesiastico impedimento ea coniugia dirimun- » tur (122) » Demum , caeteris omissis , Rigantius : « Perpen- » dentes pontifices, inquit, quod privigna respectu vitrici, pri- » vignus respectu novercae, nurus respectu soceri, gener res- » pectu socrus filiorum loco habiti sunt, qua ratione *ex illorum* » *coniunctione maxima oriretur turpitudo et indecentia*... ab » dispensatione concedenda se abstinuerunt (123). »

Hac nimirum de causa factum revera est, ut nunquam Rom. pontifices quempiam relaxare voluerint ab hoc impedimento, etiamsi non semel viri potentissimi , regia etiam quandoque ac imperiali dignitate fulgentes enixis precibus eiusmodi relaxatio- nem petierint , atque in talibus rerum adiunctis , ut quadam veluti necessitae ad eam concedendam pontifices compelli vide- rentur (124). Vere itaque Benedictus XIV. in op. *De synodo*

(119) *Ius canon.* lib. IV. tit. XIV. quaest. 231. n. 2.
(120) Op. et loc. cit. n. 12. in resp. ad. 1.
(121) Loc. cit. n. 110.
(122) Lib. VII. cap. 32. n. 11.
(123) Rigant. *Ad regul. Cancellcr.* XLIX. tom. IV. n. 22. 23. 24.
(124) Inspectis magna diligentia tabulis seu regestis omnium relaxationum,

*dioeces.* scripsit. « At quidquid sit de potestate Rom. pontificis, » etsi pluries rogati abstinuerunt (125). » Congregatio concilii ad ipsum confirmat dicens : « Obstat sane huiusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineae rectae, quod *centies* a summo pontifice implorata, toties ab ipso de voto etiam sacrae inquisitionis fuit denegata, licet a *magnis principibus* petita, et copula inter affines intercessisset. « Quapropter ad propositum » dubium: » An et quomodo sit consulendum sanctissimo pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae in casu etc. Respondit : *Negative* (126).

Quibus adiici potest commune gravissimorum auctorum testimonium, qui in eo convenerunt omnes, ut affirment relaxationis ab apostolica Sede factae in primo affinitatis gradu lineae rectae ex legitime coniugio nullum prorsus existere exemplum (127).

Contendit quidem Basseus interdum a Rom. pontificibus eiusmodi relaxationes datas fuisse (128) ; verum ut animadvertit Rigantius, ille *id affirmat*, *sed non probat* (129). Adeoque dicendum, hunc auctorem deceptum fuisse permiscendo forsitan

quae sive a *Dataria apostolica*, sive a sac. Poenitentiaria, sive a suprema inquisitionis congregatione datae sunt, nullum est repertum exemplum eiusmodi dispensationis. Sane ab anno 1633. ad. an. 1841. triginta quatuor ex universis pene catholici orbis partibus ad apostolicam Sedem libelli supplices delati sunt ad obtinendam ab hoc primo affinitatis gradu dispensationem etiam a viris principibus non paucis, et constanter relaxatio denegata fuit.

(125) Lib. IX. cap. XIII. n. 4.

(126) In Leodiensi *matrim.* 28. Maii 1796. ad §. *Obstat.* In *Thesauro resolutionum* tomo LXV. pag. 117-119.

(127) Cuiusmodi sunt Sylvius in *Suppl. S. Thomae* q. 55. art. 6. concl. 3. Pichler *ius canonic.* lib IV. tit. 14. n. 27. Schmalgrueber *Ius canon.* lib. IV. tit. VI. §. 2. n. 103. Leuren. *Ius canon. De consang. et affinit.* q. 131. n. 2. Reifestuel *Ius canon.* lib. IV. *De consang. et affinit.* n. 49. aliique allegati a Rigantio ad reg. XLIX. *Cancel.* tom. IV. pag. 14. n. 29. Carrière *De matrim.* tom. II. *De impedim.* §. 847. Bassi *Del diritto canonico* lib. III. part. I. lez. 25. n. 11. Moser *De imped.* cap. 9. §. 13.

(128) Io. Basseus in *Floribus theol.* verb. *matrim. De impedim. affinit.* n. 72. apud Rigantium loc. cit.

(129) Loc. cit. n. 27.

impedimentum proveniens ex coniunctione fornicaria cum coniugali ; aut etiam fidem adiungendo alicui rescripto apocrypho, prout identidem contigisse referunt Baronius (130), Thomassinus (131) ac Zacharia (132), qui postremus « Tanta, » inquit, in dispensationibus denegandis Rom. pontificum con- » stantia, effectum non semel est, ut qui de illis Romae impe- » trandis desperarent, se tamen eas ab apostolica Sede obti- » nuisse apud suos antistites mentirentur (133). »

Constanter autem dixi, nullum extare exemplum datae eiusmodi relaxationis ab *apostolica Sede* seu a Rom. pontificibus ; siquidem uti paulo ante retulimus, a nonnullis antiquioribus conciliis in hoc primo lineae rectae affinitatis gradu aut a paganis ante conversionem ad fidem aut a fidelibus nuper conversis celebrata ex legum ecclesiasticarum ignorantia coniugia tolerata sunt, neque ita nupti ad separationem coacti fuerunt. Nam ut rite adnotavit laudatus Zacharia « Nonnunquam episcopis vi- » sum fuit e re Ecclesiae esse, si vetita matrimonia non quidem » ex canonum legibus solverentur, sed ob *gravissimas causas* » indulgentia tolerarentur (134). » Disserens vero de concilio Aurelianensi addit : « Patres igitur huiusmodi coniugia in poste- » rum fieri vetant, quae tamen ad illud tempus contracta, quum » se non dissolvere affirmant, ea se tolerare palam faciunt (135). »

Sed de impedimento ex affinitate orto in primo gradu lineae rectae proveniente ex coniunctione legitima seu coniugali hactenus. Non ita tamen se res habet, quando impedimentum oritur ex coniunctione illegitima. Non enim desunt exempla consessae a Rom. pontificibus dispensationis, gravi urgente causa. Nonnulla profert Rigantius, praesertim vero Clementis XI. qui

(130) Ad an. 472. n. 10.

(131) *De benefic.* tom. II. lib. III. cap. 25. n. 9.

(132) In op. alias cit. *De episcop. in dispensat. super matrim. impedim.* cap. I. art. 1. §. 2.

(133) Ibid. n. 6.

(134) Op. et loc. cit. cap. 1. n. 7.

(135) Ibid.

duas eiusmodi dispensationes dedit; alteram die 13. Iulii an. 1703. alteram vero die 5. Augusti 1709. (136). Qui auctor quidem recte admonet magnum interponi discrimen inter affinitatem ortam ex legitimo coniugio, et illam, quae a coniunctione fornicaria originem ducit. Affinitas enim, quae oritur ex actu fornicario non eampraese fert publicam indecentiam, ac proinde publicum scandalum, quae ex coniugio inter affines ex legitima copula enasci consueverunt. Siquidem privignus, privigna, gener et nurus, donec matrimonium perduravit, novercam, socerum, socrum loco parentum habuerunt; contra vero eum, qui fornicatus fuerit cum matre defuncta, nunquam loco patris habuit quispiam; atque ita porro de caeteris dicatur. Atque haec potissima est ratio, quare summi pontifices in affinitate, de qua disserimus, interdum dispensarint, nunquam vero in altera, quae ex matrimonio legitimo promanat.

Quin etiam, cum veniam concederent, ut contrahi posset coniugium cum eiusmodi affine ob illicitum commercium, opportunis sollicite cautelis ad quamvis hac in re aequivocationem amovendam utebantur (137).

De dispensatione in primo affinitatis gradu collaterali nil attinet dicere, cum iam quaestionem hanc paulo ante praeoccupaverimus. Nunc penes theologos omnes ac iuris canonici interpretes exploratum est, gradum hunc non spectare ad ius naturaepresse sumptum. Discussa ex utraque parte quaestio haec magno animorum aestu quondam fuit ex occasione, qua, ut diximus, Henricus VIII. contendebat nullam ac irritam esse dispensationem sibi factam a Iulio II. ducendi Catharinam Ara-

(136) Op. cit. in regul. XLIX. n. 28 seqq.

(137) Quod patet ex recenti exemplo in causa quadam Leodiensi. Nam die 23. Septemb. an. 1841. cum indulsisset summus pontifex Gregorius XVI. cuidam, qui cum defuncta putativa uxore matrimonium civile tantum, adeoque clandestinum et irritum contraxerat, ut cum istius praemortuae filia nuptias celebraret; simul tamen apostolico nuntio iniunxit, ut notum fieret publicis etiam ephemeridibus, si opus fuisset, ne venia ducendi privignam ex legitimo ortam toro concessa videretur; ut ex actis congreg. Rom. constat.

gonensem matrimonio copulatam cum defuncto eius fratre Arthuro. Nemo nunc superest, qui adhuc ea de re quaestionem aut dubium moveat.

Illud unum adnoto, Iulium II. nec primum nec solum fuisse, qui eiusmodi relaxationem concederet. Iam enim Martinus V. veniam fecerat Ioanni, comiti Fuxensi, ut uxorem ducere posset Blancam relictam fratris, filiam Caroli, regis Navarrae (138). Deinde vero successores pontifices easdem dispensationes concedere consueverunt etiam post concilium Tridentinum (139). Quoad caeteros gradus disquisitione nulla opus est ; nam omnes admittunt ex solo iure ecclesiastico irrita fieri coniugia ob affinitatem, non autem ex naturae iure, ac propterea Rom. pontificem in omnibus posse relaxationem concedere. Eo tamen maior, sive gravior causa requiritur, quo gradus est propinquitor, ac omnino eiusmodi sit oportet, ut maioris censeatur ponderis, quam talis coniugii turpitudo (140). Insuper eo maior requiritur et exigitur cautela, quod ipsae leges civiles inter impedimenta civilia affinitatis gradus inter ascendentes ac descendentes constituerint (141). Non

(138) Hoc fortasse primum est, de quo constet, exemplum dispensationis in primo gradu lineae transversae sive collateralis, de qua cf. Raynaldum ad. an. 1418. n. 35. Natal. Alex. *Hist. eccl.* sec. XV. et XVI. in Martinum V. Thomassinum tom. II. lib. III. cap. 37. n. 10. Pagium in vita Martini V. n. 88. Qui omnes quidem testantur, Martinum V., nonnisi post longam disputationem celebriorum theologorum ex omnibus pene nationibus catholici orbis, dispensationem hanc dedisse et ad preces praesulum et cardinalium, qui convenerant ad concilium Constantiense.

(139) Hos recenset Rigantius op. et loc. cit. n. 33 seqq. et n. 45. Sane Paulus V. alteram indulsit ; Urbanus VIII. tredecim ; Innocentius X. duas ; Alexander VII. octo ; Clemens IX. duas ; Clemens X. octo ; Innocentius XII. duas ; Clemens XI. quamplurimas ; et ita porro.

(140) Rite animadvertit Rigantius, cavendum a primo exemplo, nam « Rima » facta, haec facile dilatatur, tandemque crescit in grande foramen, et in aper» tam portam, hinc et successores pontifices ad similes dispensationes indul» gendas ex longe levioribus causis processerunt. »

(141) In nonnullis regionibus coniugium inter consanguineos et affines in primo gradu sub capitis poena interdictum fuit, quamque ut effugerent et con-

autem hoc dicimus, quasi erronea nonnullorum doctrina a nobis probetur, quod « si agatur de impedimentis civilibus simul et » canonicis, ex rei natura non sufficiat dispensatio Ecclesiae, » sed requiritur etiam dispensatio principis, Ecclesia enim, » aiunt, non potest impedimento adimere vim, quam habet » a lege principis ; unde, non obtenta principis dispensatione, » *validum non esset matrimonium etiam in foro Ecclesiae*, » quae non potest pro valido habere matrimonium *in se* irri- » tum (142). » Longe enim nos ab hac absumus doctrina, sed ideo haec animadvertimus ut collisio, quae intercederet cum legibus civilibus, quoad eius fieri potest, evitetur, ac ne nobis adversarii succenseant, perinde ac si moralis legis magis solliciti fuerint politici magistratus, quam Rom. pontifices, qui tamen aut nullatenus in nonnullis gradibus dispensant, et si in aliis interdum relaxarunt, nonnisi necessitate cogente, id effecerunt.

## CAPUT IV.

### De Ecclesiae potestate Sanandi matrimonia in Radice.

ARTICULUS I. — Sanationis Matrimonii in radice vera notio exhibetur.

Dispensationi, de qua hactenus locuti sumus, affinis est sanatio, ut dici solet, matrimonii in radice. Istiusmodi sanationis nomine venit ablatio seu remotio illius vitii, cum quo initum est matrimonium, et quo factum est, ut illud nullum irritumque redderetur, adeoque ineptum ad effectus producendos, qui ex legitimo coniugio provenirent.

Quae ut plana fiant, praemittendum est coniugii contractum oriri *a consensu* libero utriusque contrahentis, a quo velut a sua radice contractus ac proinde et sacramentum enascitur. Siquidem sine consensu matrimonium perinde ac quivis alius con-

iugium cohonestarent nonnulli ab apostolica Sede dispensationem petierunt, ast nunquam obtinuere.

(142) Vid. Carrière *De matrim.* tom. II. n. 1062. a qua tamen doctrina nunc cl. auctor, ut superius videmus, recessit.

tractus nec est, nec intelligi potest. Itaque consensus partium est veluti fundamentum et radix ipsius coniugii, eoque sublato, omnis coniugii ratio penitus evanescit.

Ast non quivis consensus ad contrahendum matrimonium sufficit, sed necesse praeterea est, ut sit *legitimus* seu a personis elicitus, quae sint iure habiles ad eum consensum praebendum; alioquin consensus est nullus, nec effectum producit, ad quem datur, utpote nullius valoris.

Porro fieri potest, ut hic consensus illegitimus sit iure aut naturali, aut divino, aut ecclesiastico, aut etiam aliquo sub respectu iure civili. Si sit illegitimus iure naturali presse sumpto, aut iure divino, ita vitiatur, ut nullo modo sanari possit ab humana quavis auctoritate, perpetuoque idcirco irritum permanebit coniugium ita illegitime contractum. Si vero illegitimus sit iure tantum canonico, seu ob impedimentum aliquod dirimens ab Ecclesia constitutum, tunc licet ita vitiatus sit consensus, ut contractum coniugalem irritum reddat, nihilominus vi eiusdem auctoritatis, qua impedimentum statutum est, scilicet Ecclesiae, tolli etiam potest; seu vitium illud ita sanari potest, ut eo sublato tum contractus validus exurgat, tum sacramentum, illosque omnes producat effectus, quos produxisset, nisi obfuisset vitium illud. Atque hinc est, quod sanatio in radice, de qua disserimus, a Benedicto XIV. definiatur: « *Legis ecclesiasticae*, quae impedimentum induxit, abrogatio in » casu particulari, coniuncta cum irritatione omnium effec- » tuum etiam antea ex lege secutorum(1). »

Ex his iam intelligitur 1. quare ablatio istius vitii, quo illegitimus evasit consensus ac propterea nullus, vocetur *sanatio*, metaphora a morbo desumpta. Dispensatio enim, quae nativo vitio quodammodo medetur, ita ut consensus ineptus ad producendos effectus, quos producere debuisset, iam legitimus reddatur, ut producere incipiat effectus suos, analogice *sanatio* iure nuncupatur. Sane card. Caprara in facultate data

(1) *Quaest canonic.* q. 174. et *De synodo dioec.* lib. XIII. cap. 21. n. 7.

Galliarum episcopis, de qua postea loquemur, his utitur verbis : « Facultatem communicamus.... *dispensandi in radice* » matrimonii, seu matrimonium in radice *sanandi*, pe» rinde ac si contrahentes, qui ad matrimonium ineundum » inhabiles fuerant, et consensum illegitime praestiterant, » ab initio habiles fuissent et consensum legitime praesti» tissent (2). »

Intelligitur 2. quare dicatur sanatio matrimonii *in radice* aut *a radice*, quia videlicet consensus, a quo contractus matrimonialis pendet, radix est, ut diximus, unde coniugium validum sit aut invalidum, legitimum aut illegitimum. Cum itaque consensus hic affectus vitio fuerit ab initio, idque ita deinde tollatur, ut consensus ipse legitimus censeatur et fiat pro illo primo instante, quo datus est, adeoque iure effectus omnes eliciat, perinde ac si a suis primordiis legitimus fuisset, merito matrimonium ipsum sanari dicitur *in radice*. Quinimo quum in legitimo consensu contractus coniugalis enascatur, et sanetur idem ipse consensus seu purgetur a vitio, quod ipsum irritum reddiderat, ideo forte eiusmodi sanatio, magis proprie et accurate designaretur per formulam *sanationis radicis* matrimonii, quam per usitatam alteram *sanationis matrimonii in* aut *a radice*. Quandoquidem est ipsa matrimonii *radix* seu consensus, qui sanatur, adeoque prior formula magis nobis ob oculos ponere videtur notionem et conditionem rei, de qua disserimus. Caeterum a recepta loquendi ratione non ideo discedimus, ne novitati studere videamur.

Intelligitur 3. quare dixerimus, omnia et sola *impedimenta canonica* posse ab Ecclesia tolli ad sanationem eiusmodi efficiendam. Etenim si impedimenta, quae vitiosum effecerunt datum consensum, ab ea auctoritate tolli debent, a qua fuerunt constituta, profecto cum canonica impedimenta statuta ab Ecclesia fuerint, evidens est sanationem in radice ad ea pariter impedi-

(2) *Decretum quo apostolicae facultates demandantur.* In append. tertia opusc. cui tit. *Dissert. sur la réhabilitation des mariages nuls.*

menta referri. Itaque Ecclesia potest eam sanationem perficere primo ab omnibus prorsus impedimentis, quae ipsa statuerit ad vitiandum consensum , non autem , ut nonnulli autumant, ab aliquo tantum , ac nominatim a solo impedimento clandestinitatis. Eiusmodi enim assertio a logica est ; nulla quippe apparet ratio quare ab uno potius quam ab alio e canonicis impedimentis Ecclesia quempiam solvere possit , cum eadem auctoritate sibi a Christo communicata aequo iure omnia impedimento sanxerit. Et sane, uti paulo post videbimus, Ecclesia non modo a clandestinitatis impedimento , sed ab aliis etiam plura coniugia sanavit. Secundo non potest tamen eadem Ecclesia vitium sanare , quod ab impedimentis iuris naturalis presse sumpti oriatur, aut iuris divini , quia id eius auctoritatem excedit. De iuris naturalis presse dicti impedimentis non est quod loquamur in his enim cum de eo agatur, quod intrinsecam atque inhaerentem turpitudinem involvit , per se patet nulli dispensationi locum esse ; sed neque de impedimentis divini iuris ambigi potest ; nec enim homo , quacumque potestate aut auctoritate praestet , potest attingere, quod Deus sibi reservavit, nisi hic ipsemet eam facultatem specialem tribuerit, quod eum fecisse in casu nostro certe non constat , imo prorsus constat contrarium , ac proinde nunquam ac nuspiam Ecclesia sanavit matrimonium initum cum actuali impedimento ligaminis , quod iuris divini est. Ex quo sequitur omnia coniugia , quae inita fuerint cum aliquo impedimento sive iuris presse naturalis sive iuris divini esse omnino insanabilia.

Intelligitur 4. cum consensus mutuus radix sit unionis coniugalis , necesse prorsus esse , ut hic consensus *physicus* datus fuerit a contrahentibus in ipsa coniugii celebratione , quamvis ob latens vitium consensus nullus ac irritus fuerit , prout *moralis* est. Etenim si eiusmodi physicus consensus , licet moraliter irritus , nullo modo adfuit , matrimonium dici non debet iure irritum fuisse , sed de facto ac materialiter nunquam extitisse : quod vero nullo modo unquam extitit , sanari non potest ; esset enim contradictio , ut aiunt , in terminis. Aliis verbis dispensatio in radice locum habere nequit nisi in connubio

*de facto* inito, quodque uti verum a contrahentibus spectatum fuerit in actu, quo illud inibant (3): alioquin ipsa deest radix, quae sanetur. Hinc coniunctiones fornicariae, quocumque tempore perdurarint, nunquam ita sanari poterunt: ut enim ait Benedictus XIV. « in copula manifeste fornicaria nulla est » radix matrimonii (4). » Hinc si ambo contrahentes impedimentum noverant, atque ita *mala fide* coniugium inierunt, sanari illud non potest: neque enim huiusmodi ficti coniuges in actu ipso nuptiarum verum matrimonium inire, sed concubinatum tegere voluerunt.

Quod si unus e contrahentibus bona fide, alter vero mala fide se gesserit, coniugium sanari posse videtur; quamquam non desint, qui id negent (5). At si uterque vere quidem consensit, sed invalide ob latens impedimentum, tum locum certe habet Ecclesiae auctoritas. « Non sane agendo, ut iterum lo- » quitur Benedictus XIV, ut matrimonium nulliter contractum, » non ita contractum fuerit, sed effectus illos tollendo, qui ob » huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem » ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu producti fue- » runt. » Quibus verbis etiam modus indicatur, quo ipsa fit matrimonii in radice sanatio.

(3) Diximus *in actu*: hoc enim saepe inculcat Bened. XIV. qui in op. cui tit. *Quaestiones canonicae et morales* ed. Venet. 1767. opp. tom. XIII. part. I. quaest 174. coll. 183. et alibi passim haec habet: « Attendendum est *ad* » *tempus initi matrimonii* . . . se tractasse tanquam veros coniuges et uti tales » habitos fuisse saltem in *initio* matrimonii.... Ad effectum, de quo agitur, satis » est quod matrimonium fuerit *de facto* contractum, et quod intercesserit » affectus maritalis una cum consensu naturali. »

(4) Quaest. cit. 174.

(5) Ita censent Pontius lib. IV. cap. 3. XXIV. n. seqq. Schmalgrueber in lib. IV. *Decretal.* tit. XVI. n. 268. De Böckhn lib. IV. tit. III. §. 3. n. 43. seqq. Dens. *Theol. ad usum seminar. De matr.* n. 119. t. 7. pag. 340. aliique. Nobis satis sit verba describere Schmalgrueber dicentis: « Sed etsi sententia haec, » (quod sanari possit), admodum probabilis sit, sensui tamen Ecclesiae et ra- » tioni magis conformis videtur, quae hoc casu requirit novum consensum, » et scientiam nullitatis etiam ex parte illius, qui antea posuit novum consen- » sum. » Quae tamen mihi non videntur absolute vera; dantur enim casus contrarii.

Ac modus quidem, quo res haec concipi debet, nonnihil habet difficultatis: immo vero haec difficultas ratio fuit potissima, cur quidam hanc potestatem matrimonii sanandi in radice vel denegarint vel solum nomine tenus admiserint, quia nimirum intelligi nullo modo posse censebant, quomodo posteriori actu id validum fieri possit, quod invalidum ab initio fuit, idque post plures quandoque annos, imo etiam quandoque postquam vel alteruter, vel uterque coniugum vita functus fuisset. Ii vero qui, ut fieri debet, hanc potestatem Ecclesiae seu Rom. pontifici vindicant, duplici modo rem explanant, ac matrimonium sanari dicunt vel ob quamdam *fictionem iuris*, qua legislator se veluti refert ad illud instans quo matrimonium initum est seu potius initur, ac impedimentum tollit; aut sine iuris fictione, potius ex mente legislatoris dum legem condidit, atque ex natura ipsius legis, atque adeo ex ipso iure.

Prima itaque ratio huius rei explicandae est fictio iuris (6). Romanus pontifex se refert quodammodo ad actum celebrandi coniugii, impedimentumque tollit, atque ita legitimum redditur, quod vi legis illegitimum fuisset; sublato impedimento, quo vitiatus erat consensus; hic eo ipso producet effectus omnes quos produxisset si nullum impedimentum extitisset, cuiusmodi sunt verus contractus coniugalis, sacramentum, legitimitas prolis aliaque omnia, quae legitimum consensum consequuntur. Nimirum per fictionem iuris Ecclesia impedimentum ita tollit, ut illud sustulisse in actu ipso dati consensus censeatur; adeoque physicus ille consensus eos parit effectus, quos ideo tantum parere non poterat, quia moraliter nullus ac irritus erat ob ecclesiasticum impedimentum.

Alii rem sibi videntur melius explicare, cum dicunt, Ecclesiam impedimenta quidem constituisse, sed non omnino absolute ac

(6) Cf. Rigantium *Comment. in reg. L. Cancell.* n. 106. Ita arbitratur annotator Fevreti in op. inscript. *De l'abus* liv. V. ch. 8. n. 6. not. 7. not. *N.* tom I. pag. 476. ed. 1736. qui haec habet de fictione iuris: « fictio in casu ficto idem » operatur ac veritas in vero: fictio enim est legis adversus veritatem in re pos» sibili ex iusta causa dispositio.

pro quovis casu, sed sibi iudicium reservasse de extraordinariis quibusdam rerum adiunctis, in quibus ea impedimenta non obsint, quominus consensus suos effectus producat. In hac sententia concipi deberent eiusmodi impedimenta quodammodo alicui conditioni vel reservationi, seu exceptioni obnoxia ex ipsa mente legislatoris. Id fieri posse a sapienti legislatore ratio suadet; id vero factum ab Ecclesia fuisse, argumento esse potest ipsa Ecclesiae agendi ratio, quae matrimonia sanando decrevit in iis casibus impedimentum non obfuisse, quominus consensus suos effectus haberet.

Notandum porro hic est, quod cum Ecclesia aliquod matrimonium sanat in radice, non modo *declarat* consensum validum fuisse, quasi nullum censeatur fuisse impedimentum, sed proprie suam exercet auctoritatem, seu actum iurisdictionis, quo tanquam legislatrix decernit, pro talis impedimenti casu legem non obstare consensui. Parum vero refert sive dicatur, id efficere Ecclesiam per actum retroactivum, quem vocant, sive per actum praesentem in ipsa coniugii celebratione. Haec autem ratio explanandi sanationem matrimonii in radice plenior nobis videtur, ac minus forte impedita, quam fictio iuris. Si quis tamen malit priori expositioni adhaerere, per nos licet; aliam etiam rationem idem paulo aliter explicandi in insequenti articulo indicabimus.

Interim haec sufficere possunt ad notionem habendam rei, qua de agimus : ex quibus etiam intelligimus, sanationem in radice minus proprie *rehabilitationem* et *convalidationem* coniugii nuncupari ; eamque a notione simplicis *dispensationis* differre ; neque solum a dispensatione, quae *ante* nuptias dari solet, sed ab ea quoque, quae *post* initum coniugium dari consuevit. Etenim dispensatio *post* nuptias, quamvis dici possit quaedam ratihabitio atque etiam sanatio, tamen revera nil aliud est quam simplex dispensatio, quae *directe* ad praesens tempus refertur. Nimirum matrimonia, quae cum aliquo impedimento sunt contracta, deberent dissolvi, ut saepe fit, etiam sconiugibu maxime invitis ; at quandoque indulgetur, ut coniu-

ges in matrimonio permaneant, seu post *factum* datur dispensatio, atque hoc in casu solum primo matrimonium incipit esse legitimum, et proles legitima fit, non quidem ac si legitima ab initio fuisset, sed fit legitima quodammodo per subsequens matrimonium post iam datam dispensationem. At dispensatio in *radice* revocatur *directe* ad tempus, quo matrimonium cum impedimento contractum fuit, impedimentum tollit, matrimonium ratum habet ab initio, adeoque proles legitima fit legitimatione illa, quam vocant *plenissimam*, quaeque propria est prolis, quae ex coniugio prorsus legitimo prognata est, atque distinguitur a legitimatione *pleniori* vel *plena*, quae per subsequens etiam matrimonium habetur.

Hinc etiam liquet, sanationem in radice posse generatim non exigere consensus renovationem, sed potius primitivum consensum afficere; et dari posse etiam post defunctos coniuges, ut proles beneficio legitimationis *plenissimae* fruatur. Sed de his sanationis effectibus uberius in articulo tertio disseremus.

ARTICULUS II. — Romano Pontifici vindicatur potestas sanandi matrimonia in radice.

Exposita natura sanationis in radice matrimonii, in qua aliqua inerat difficultas, iam operosum non erit ostendere, hanc sanandi coniugia facultatem Rom. pontificibus esse tribuendam. Id vero ostendimus tum ex usu Ecclesiae, tum ex auctoritate theologorum, tum ex ipso iure, atque adeo ex rei natura.

Quod primo attinet ad usum constantem Ecclesiae, eius rei vestigia iam deprehendimus in concilio Aurelianensi III. quod celebratum est an. 538, in quo, ut vidimus, statutum fuerat, ut fideles, qui ex ignorantia canonum cum impedimento affinitatis, etiam in primo gradu in linea recta irritum ac nullum inierant coniugium, in eo perseverare possent, atque ideo coniugium ut validum haberetur (7). Quid porro hoc aliud est, quam sanare coniugium in radice? Nam per statuta patrum, ut ibidem

(7) Cf. apud Sirmondum *Concilia antiqua Galliae* Lutet Paris 1629. tom. I. pag. 247. can. X.

dicitur, prohibitae immo vero irritae etiam declaratae fuerant eiusmodi nuptiae, utpote incestae coniunctiones; certum autem est ex iure canonico, ignorantiam impedimenti dirimentis haud suffragari, ita ut per eam, quamvis invincibilem, inhabilitas non tollatur ad coniugium valide ineundum : attamen concilium illa matrimonia simpliciter pro validis iam habenda declaravit, nullam consensus renovandi mentionem faciens; seu non dixit tales iam posse matrimonio iungi, vel aliud eiusmodi, sed constituit, ut ista ceu valide contracta coniugia haberentur, ideoque sanavit ea in radice, uti nunc temporis loquendi mos obtinet. Huc etiam pertinent exempla, quae attulimus, dispensationum *post* initum matrimonium, prout in veteri disciplina obtinebant, quaeque sanationibus in radice sunt affines. At magis *directa* exempla iam subiicimus.

Ex Rom. pontificibus, qui expresse matrimonium sanaverint in radice, omnium, quorum monumentum extat, primus fuit Bonifacius VIII. qui coniugium irrite contractum inter Sancium IV. Castellae regem iam *praemortuum* et Mariam in tertio consanguinitatis gradu ei coniunctam sanavit (8). Idem praeterea pontifex eodem ferme tempore matrimonium initum ab Ildelphonso III. rege Lusitaniae cum comitissa Poloniae, etsi ab initio nullum ob consanguinitatem, quae apud ipsos intererat, per dispensationem *in radice* validum effecit (9). Post Bonifacium reliqui pontifices passim, gravissimis intercedentibus de causis, eiusmodi sanationes concesserunt. Nos ne nimii simus in illis referendis, ea seligimus, quae aliquid peculiare praeseferunt.

Itaque Gregorius XIII. non semel indulsit eiusmodi sanationes, teste Benedicto XIV. (10), qui id luculenter ostendit ex

(8) Cf. Mariana *Histor. Hispan.* lib. IX. cap. 19. et Laurea *Diction. decis.* 8. n. 20. et seq qui subdit hanc primam fuisse dispensationem *in radice matrimonii*, quae expresse legatur.

(9) Ut refert Emmanuel Facia *De sponsa* in *Epit. hist. Lusitan.* par. III. cap. 7. n. 3. et Laurea *Dict. decis.* 8. cit. n. 25.

(10) Q. 174. quae est *in causa Pragensi matrim.* die 15. Iul. 1720.

decisionibus Rotae, concluditque responsum eidem Gregorio tributum ab annotatore Navarri, quod scilicet ipse non potuerit eiusmodi dispensationem in radice concedere, aut esse apocryphum, aut intelligendum de singulari aliquo adiuncto, in quo censuit eam esse denegandam.

Clemens XI. brevi dato 2. Aprilis 1701. aut 1705. confirmavit nonnulla matrimonia, quae illegitime inita fuerant apud Indos orientales, contrahentes dispensando a renovatione consensus (11); contra vero sac. congregatio de *Propaganda fide* die 20. Apr. 1607. decrevit : « Meminerint missionarii, quo» tiescumque necesse iudicaverint dispensare in matrimoniis con» tractis cum aliquo impedimento dirimente, procurandam ab » ipsis esse *renovationem consensus;* » et die 28. Feb. 1644. pariter sancivit, missionarios habere facultatem declarandi prolem legitimam ortam ex matrimonio nullo, per sanationem nempe in radice.

Rursum idem pontifex Bened. XIV. refert, concessam dispensationem seu sanationem in radice fuisse cuiusdam coniugii initi in Bohemia ante annos quadraginta sine parochi praesentia. Sanatio petebatur ad prolis legitimitatem, ac difficultatibus non obstantibus, quas passa erat eiusmodi causa, eo quod non satis constitisset de bona coniugum fide, postea tamen, ea comprobata, licet maritus iam vita functus fuisset, censuit sac. congregatio concilii recedendum *a decisis,* ac die 18. Sept. 1723. sanationem concessit (12).

Item Clemens XII. brevi *Iumdudum* dato 3. Sept. 1734. cuius meminit Bened. XIV. (13), indulsit sanationes in radice absque necessitate renovandi consensus. Nam cum Clemens XI. missionariis Indiarum facultatem concessisset dispensandi ab

(11) Ut idem refert Bened. XIV. *Instit.* 87. n. 80. et *De syn. Dioec.* lib. XIII. c. 21. n. 27.

(12) Op. cit. *Quaest. can.* Q. 174.

(13) Lib. XIII. *De syn.* c. 21. n. 7. Ibidem etiam scribit, id ipsum indultum fuisse a Clemente XI. in litteris incipientibus *Apostolicae dignitatis* datis die 2. April. 1701.

impedimentis dirimentibus ad annos XX. nonnulli ex ipsis, hoc tempore iamdiu elapso, easdem dispensationes porro concedere perrexerunt. Res delata est ad Clementem XII., ipse rescripsit : « Haec matrimonia revalidamus ac valida et legitima decerni- » mus in omnibus et per omnia, perinde ac si ab initio et in » eorum radice, praevia sufficienti dispensatione, contracta » fuissent; absque eo quod illi, qui sic contraxerint, matrimonium » de novo contrahere, seu novum consensum praestare ullo » modo debeant. »

Cumque ad pontificatum ascendisset card. Lambertinius sub nomine Benedicti XIV. et ipse pariter indulsit sanationem in radice cuiusdam coniugii, quod Iosepha Violantes Henriquez cum Ludovico Francisco de Assis Sanchez de Baëna per procuratorem inierat. Violantes quidem petebat, ut coniugium rescinderetur, utpote contractum cum impedimento; quod cum sufficientibus probationibus evincere non potuisset, coniugium declaratum fuit validum. Verumtamen compertum postea est coniugium reipsa invalidum fuisse eo quod, quum duplex impedimentum propinquitatis adesset, pro uno tantum obtenta fuerat dispensatio. Ad medendum huic defectui Franc. de Baëna obtinuerat a Benedicto XIV. litteras *sanatorias*, ut vocant, quibus dispensaretur in radice; eiusmodi litterae dispensabant ab obligatione renovationis consensus ex parte Violantes, atque adiiciebatur relaxationem in toto suo robore permansuram, licet Violantes in posterum in cognitionem veniret duplicis huiusce propinquitatis. Ast paulo post ipsa ostendit, se cum daretur sanatio iam instructam fuisse de duplici propinquitatis impedimento, adeoque instabat, ut coniugium solveretur, atque irritum declararetur. Tum Benedictus XIV. declaravit coniugium vere nullum esse, quia ex una parte summus pontifex concedendo sanationem in radice potest illas, quas opportunas iudicaverit conditiones apponere; ex altera vero parte dispensatio, de qua agebatur, conditionem habebat implicitam, quod Violantes duplex vinculum propinquitatis ignoraret, subdiditque ideo eam conditionem appositam fuisse, « ne ipsa contradicente et

» obnitente, prout contigisset, si impedimentum scivisset, » concessa dispensatio diceretur (14). »

Sed iuverit hic exempla afferre sanationum, quae non unum et singulare coniugium, at potius plures simul casus complectuntur. Cum nonnulli episcopi dispensationes quandoque concessissent, ad quas concedendas nulla iis erat potestas, Rom. pontifices certiores facti de nullitate plurimorum coniugiorum, quae perperam inita fuerant, quaeque irrita erant ac nulla, ne scandala hac de causa aut concertationes orirentur, consueverunt ea omnia sanare in radice, nulla praevia consensus renovatione (15). Ita Clemens XIII. die 20. Nov. 1760. declaravit concessum indultum illum minime habuisse sensum, qui eidem datus fuerat, atque adiecit : « quatenus vero hucusque » perperam fuerit dispensatum... Sanctitas sua ad consulendum » animarum quieti, matrimonia cum hac dispensatione con- » tracta, in radice sanavit (16). »

Eodem modo egit Pius VI. qui concedens epistolas *sanatorias* expetitas ab archiepiscopo Trevirensi, qui congressui Emsensi interfuerat, sibique facultatem concedendi relaxationem ab impedimentis dirimentibus arrogaverat (17). Sic etiam sacra Poenitentiaria in causa quorumdam coniugiorum, quae in Galliis contracta fuerant per dispensationem perperam datam a nonnullis vicariis capitularibus, eamdem viam tenuit, rescribens : « Sacra poenitentiaria, expositis mature perpensis, omnia ma- » trimonia nulliter contracta, de quibus in precibus, in radice » sanat et convalidat (18). »

(14) Bullar. Bened. XIV. tom. IV. Constit. VIII. pag. 351. et vol. II. constit. XXXIII. p. 81 seqq.

(15) Cf. Pontas voc. *Dispensatio* pag. 145. ed. in-4. 1771.

(16) In rescripto Clementis XIII., quo explanatur sensus indultorum, quibus conceduntur episcopis facultates dispensandi super variis impedimentis, et *sanantur in radice* matrimonia perperam contracta, quod reperitur in append. II. ad opusc. cit. *Dissertation sur la réhabilitation des mariages nuls.*

(17) Cf. *Mémoires pour servir à l'hist. ecclésias. pendant le XVIII. siècle* an. 1786. tom. III. p. 68.

(18) In cit. *Dissert.* pag. 35.

Pius VII. opera card. Caprara indulsit Galliarum episcopis facultatem dispensandi *in radice* per annum integrum in omnibus coniugiis initis usque ad 14. Augusti 1801. Haec eadem facultas iterata est per indultum datum 7. Februar. 1809. (19). Et rursum die 27. Sept. 1820. eadem facultas concessa fuit episcopo Pictaviensi pro coniugiis celebratis coram presbyteris sic dictae *parvae Ecclesiae* (20).

Die 10. Sept. 1803. sac. congreg. de Propaganda fide in epistola ad episcopum Quebecensem scripsit : « Sanctissimus » (Pius VII.) quatenus opus sit, eas omnes in radice sanavit dis- » pensationes, quae ab Amplitudine tua datae sunt, non inserto, » ut praeceptum erat, facultatum tenore, cum expressione tem- » poris, ad quod fuerint concessae. » Omitto sanationes magno numero factas ab eodem pontifice, vel ab eius immediato praedecessore Pio VI. cum in Etruria dispensationes ab impedimentis dirimentibus perperam datae fuissent ab episcopo Pistoriensi, Scipione Ricci, qui sibi eam facultatem arrogaverat. Quae enim hactenus exempla attulimus ultro sufficiunt ad ostendendum, quemadmodum proposuimus, hanc potestatem Ecclesiam, seu Rom. pontifices exercuisse. Absonum vero foret in dubium revocare ius id faciendi, quod a tot pontificibus universa annuente Ecclesia factum est.

His factis, si opus esset, possemus celebriorum theologorum et canonistarum doctrinam adiicere; verum id necesse non est. Omnes enim veluti compertam eam supponunt, quoties docent, posse Rom. pontificem impedire effectus alicuius legis ecclesiasticae non solum in futurum, verum etiam in praeteritum; quoties affirmant, eum posse tales relaxationes concedere, quae res in eo statu collocent, in quo reperirentur, si nullum extitisset impedimentum; quoties asserunt, eum posse prolem legitimam efficere in ordine ad bona spiritualia, immo vero et temporalia

(19) *Instructio Io. Bapt. cardin. Caprara in Galliis ex Latere legati de matrimoniorum revalidatione* in app. III. cit. dissert. pag. 110.

(20) Cf. *Correspondance authentique de la Cour de Rome*. pag. 165.

obtinenda, uti mox videbimus, perinde ac si a legitimo toro procreata fuisset. Quae quidem omnia nobis exhibent notionem sanationis coniugiorum *in radice*, ut ex dictis constat. Cum igitur eiusmodi potestatem theologi et canonistae vulgo tribuant Rom. pontifici, hoc ipso ei tribuunt potestatem, de qua disserimus. Atque hinc est, quod Benedictus XIV. nedum docet, nefas omnino esse de ea dubium movere, verum etiam *communem* penes canonistas hanc asserat esse sententiam (21).

Et sane ex ipso iure potest Rom. pontifex legem ecclesiasticam irritare nedum quoad effectus in posterum secuturos, verum etiam quoad effectus ante sequutos : sic enim expresse dicitur in iure canonico : *Textu in Clement. Quoniam de communit. eccles.* Iam vero quid aliud facit Rom. pontifex, dum sanat matrimonium in radice ? impedimentum tollit, adeoque irritat *effectus* ex eo impedimento tum *secuturos*, tum prius *secutos*. Effectus porro eius impedimenti erant inhabilitas coniugum ad contrahendum, adeoque invaliditas coniugii, prolesque illegitima. Sublatis itaque effectibus ecclesiasticae legis, eo ipso personae habiles dicendae sunt ad contrahendum, legitimus earum concensus, prolesque legitima (22).

Itaque ex Ecclesiae praxi, ex doctorum auctoritate, atque ex iure ipso deducitur, posse Romanum pontificem matrimonia in radice sanare, simulque ex dictis eruitur, hanc potestatem ad omnia impedimenta ecclesiastica sese porrigere, atque ad so-

(21) *Quaest. cit.* 174. ubi scribit : « *Communiter* docent canonistae in cap. » *Per venerabilem.* » prolixumque istorum, ut solet, elenchum exhibet, nominatimque tredecim recenset, atque addit : *Fuitque perpetua opinio Rotae.*

(22) Haec fortasse simplicissima et optima ratio est intelligendi, quomodo sanatio fiat matrimonii in radice. Directe irritantur *effectus* impedimenti seu legis ecclesiasticae ; quod legislator ex ipso iure facere potest. Hinc consensus de se suos parit effectus. Quae notio optime congruit cum iis, quae tradit Bened. XIV. dum, ut vidimus, scripsit : « Ecclesia matrimonia sanat, non quidem » agendo ut matrimonium nulliter contractum, non ita contractum fuerit, sed » *effectus illos tollendo,* qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem *ante* indul- » tam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu pro- » ducti fuerant. »

lum Rom. pontificem pertinere : sed praestat duo haec postrema corollaria plenius evolvere.

Baston iurisconsultus duas impedimentorum canonicorum classes distinguit, quorum alia personas inhabiles sive absolute sive relative ad contrahendum efficiunt ob *positiva quaedam obstacula,* quae destrui oporteret, ut idoneae ad contrahendum coniugium fierent : alia vero ad validitatem coniugii conditionem quamdam requirunt, seu formalitatem , ut vocant, a lege praescriptam, cuiusmodi est celebratio coniugii in facie Ecclesiae, aut raptae mulieris in libertatem restitutio. Matrimonia sine hac conditione seu formalitate inita, sanari iuxta Baston in radice possunt, non autem illa, quibus positivum obstaculum seu impedimentum opponitur. Indidem infert sanationem in radice non posse concedi, nisi in impedimento clandestinitatis, aut etiam raptus (23). Item Baston putat in hisce impedimentis , urgente necessitate, posse episcopos dispensationem in radice concedere: quod quidem alii vel docent vel insinuant, vel saltem probabile esse putant (24).

At quin alia addere necesse sit, priorem assertionem excludunt tum rationes tum exempla quae attulimus, in quibus dispensatio, seu sanatio a radice conceditur a Rom. pontificibus indiscriminatim a quovis canonico impedimento. His plura alia adiicere facile possemus ; satis sit memorasse rescriptum quo sac. Poenitentiaria cuidam episcopo confert « facultatem dis- » pensandi *in radice* in casibus, in quibus agitur de matrimo- » niis hucusque nulliter initis ob impedimentum clandestinita- » tis, vel ob *aliud impedimentum* iuris dumtaxat ecclesiastici, » in quo apostolica Sedes dispensare consuevit , exceptis ex » ordine sacro vel professione solemni provenientibus (25). »

(23) *Concordance des lois civiles et des lois ecclésiastiques de France touchant le mariage.* Paris 1824. pag. 221.

(24) Ibid. pag 329. Bouvier *Theol.* ed. cit. tract. *De matrim.* pag. 280.

(25) In saepe laudata *Dissert. sur la Réhabilitation des mariages nuls* pag. 47 ; ubi praeterea mentio fit cuiusdam rescripti eiusdem tenoris dati a Leone XII. archiep. Tolosan. die 17. Nov. 1827.

Alteram pariter assertionem falsitatis arguunt, quae praemisimus, quaeque ostendunt, potestatem hanc sanandi soli pontifici supremo esse reservatam, prout etiam docent communi suffragio theologi et canonistae. Non semel id inculcat Benedictus XIV. dicens : « Cumque solius Romani pontificis sit non » solum dispensationes in radice matrimonii indulgere, sed etiam » conditiones constituere pro validitate gratiae adimplendas » (26). » Errant igitur qui hanc facultatem communem faciunt episcopis, atque eo magis eiusmodi excludenda est sententia, quod, uti suo loco ostendimus, episcopis facultas non sit dispensandi ab impedimentis matrimonium dirimentibus.

Causas autem gravissimas requiri, ut matrimonium *in radice* sanetur, exploratum est apud doctores omnes, ac saepe ipsimet pontifices declararunt. Sane Benedictus XIV. non uno in loco id aperte profitetur iis verbis : *urgente causa, gravissimis urgentibus causis*. Ut plurimum vero legitimatio prolis causa est cur eiusmodi dispensatio concedatur, ut idem pontifex declarat (27). Nostrum vero non est expendere utrum eiusmodi graves aut gravissimae causae adfuerint nec ne ; at simul ac dispensatio seu sanatio data est, praesumi legitima causa debet, nec quaestio fieri potest de valore eius dispensationis aut sanationis quam pontifex concesserit.

### Articulus III. — Effectus illustrantur huius potestatis tum relate ad coniuges, tum relate ad prolem.

Effectus potissimi sanationis in radice sunt, relate ad coniuges primitivus matrimonii ipsius valor, relate ad prolem legitimatio plenissima. At duplex hic occurrit quaestio : an requiratur novus consensus, vel saltem moralis continuatio consensus primum dati, ut matrimonium in radice sanetur ; deinde an legitimatio ad effectus etiam civiles protendatur.

(26) In *Const.* seu *Decreto* L. tom IV. Bullarii cit. *Etsi matrimonialis* §. 7. pag. 350.

(27) *Instit.* LXXXVII. n. 80. opp. ed. Rom. 1750. tom. XI. pag. 587.

Quod ad primam attinet quaestionem, nonnulli renovationem consensus prorsus requirunt. Sic Sanchez inter caeteros : « Non dicimus, scribit , nunc posse pontificem efficere ut id » matrimonium... nunc incipiat valere absque novo contrahen- » tium consensu : haec enim omnia aperte non subsunt pon- » tificiae potestati (28). » Sanchezium sequitur Pirhing (29). Iuxta hos auctores sanatio in radice ad simplicem dispensationem revocaretur, nec dari unquam posset nisi inter vivos, et coniugibus scientibus ac consentientibus. At supra vidimus sanationem in radice a simplici dispensatione differre, ac datam fuisse utroque coniuge, aut altero saltem inscio , aut etiam post utriusque coniugis obitum , ut proles fieret legitima. Itaque dicendum est renovationem consensus per se non requiri , eo ipso quod sanatio primitivum consensum respiciat : at ea requiri potest, si inter sanationis conditiones, haec etiam, uti quandoque fit apponatur ; tunc vero, ut patet, sub nullitatis poena, consensus renovandus est, et quidem coram parocho et testibus, si hac conditione sanatio conceditur. Requiritur etiam necessario consensus renovatio, si primus consensus, scientibus contrahentibus , nullus prorsus erat ob impedimentum non quidem latens, sed evidens : at in hoc casu improprie immo nullo modo diceretur matrimonium in radice sanari, ut supra animadvertimus. Caeterum quando consensus bona fide datus fuit at invalide ob latens impedimentum, tunc sanatio in radice efficit , ut matrimonium , consensu non renovato , validum fiat, et quod ad effectus nonnullos, et nominatim ad prolis legitimitatem pertinet inde ab initio validum et legitimum fuisse censeatur.

Verum hic altera quaestio ab auctoribus agitatur, num scilicet necesse sit ad hoc, ut valeat sanatio in radice , ut prior consensus *moraliter* perseveret. Non desunt qui eiusmodi neces-

(28) Lib. VIII. disp. 7 n. 4. et fere eadem repetit n. 8.

(29) Lib. IV. decr. tit. XVII. n. 42. fere ad verbum describnes verba Sanchezii.

sitatem adstruant. (30). Attamen non videtur *per se* haec necessitas absolute requiri, cum sufficiat prior consensus in actu matrimonii elicitus, cuius reipsa per dispensationem veluti radix sanatur. Dixi *per se* et *absolute ;* nam si in clausulis dispensationis exigatur, ut constet de perseverantia eiusdem consensus, ea omnino requirenda est. Sane hanc exegit card. Caprara in instructione, quam adiecit facultatibus, quas episcopis Galliarum communicavit (31). Si eiusmodi clausula non apponatur, non erit exigenda ; at ea praesumitur aut saltem praesumi potest, ubi de expressa retractatione non constet, cum non sufficiat retractatio interpretativa ex sententia plurimorum theologorum (32). Quinimo Benedictus XIV. non solum inter conditiones ad dandam eiusmodi sanationem nunquam resenset hanc perseverantiam moralem in dato consensu, verum etiam excludit satis aperte, dum concessit dispensationem in radice matrimonii, dum alter coniugum in tribunalibus sollicitaverat solutionem, adeoque quantum in se erat suum consensum retractaverat (33). Ex quo nonnulli inferunt posse Rom. pon-

(30) Tales sunt recentiores potissimum auctores, quos recenset auctor cit. dissertationis pag. 50 nempe Bouvier tract. *De matr.* ed. 1830. pag. 282. *Theol. Tolosana* tract. *De matr.* pag. 648. Item auct. op. *Manuel d'un jeune prêtre.* Montpellier 1828. *Rituel de Belley* tom. I. p. 47. *Rituel de Bordeaux* 1829. pag. 207. *Lettre circulaire de l'évêque de Digne* pag. 19.

(31) Nam n. 13. ita loquitur : « Ordinarius uti poterit facultate apostolica, » auctoritate inferius demandanda, dispensandi scilicet in radice matrimonii, » seu matrimonium in radice sanandi, *postquam tamen* per indubias saltem » duorum testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exa- » ratum, aut per eiusdem assertionem etiam oretenus factam illi ordinario, » sive alteri ecclesiasticae personae ab eo specialiter deputatae, et in scriptis » redigendam constiterit non solum renuentem in consensu de praesenti per- » manere, sed etiam huiusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manare, » ut nihil unquam ex ea deduci aut praesumi possit contra ipsius actualis » consensus permanentiam. »

(32) Ita censent Antoine *Theol. moral. de matr.* cap. 3. q. 6. resp. 2. Collet. quaest. 14. q. 557. Cuniliati *Theol. moral.* tom. II. p. 272. Daelman *Theol. de matrim. quaest. ult.* obs. 15. ed. in 8. tom. IX. p. 388. S. Alphonsus de Liguori *De matrim.* cap. III. dub. III. q. V. n. 1114.

(33) In Brevi seu Decreto cit. *Etsi matrimonialis.*

tificem sanare coniugium in radice, quamvis contrahentes cognita proprii matrimonii nullitate *positive* consensum suum retractassent (34). Ratio vero est, quia nisi obstitisset impedimentum canonicum tum, quum coniuges consensum naturalem praebuerunt, certissime matrimonium validum fuisset; porro Rom. pontifices sanando matrimonium in radice, sanant, seu tollunt vitium, quod intercessit in actu, quo coniugium celebratum est.

Id contigit, referente Bolgenio, in Etruria. Cum mulier quaedam accita ab episcopo Falchi Scipionis Ricci successore in dioecesi Pistoriensi et Pratensi, atque admonita de nullitate sui coniugii, eo quod nullius fuerit valoris dispensatio, quam *iure proprio* dederat praedecessor suus super impedimento *nullitatis*, ipsa renuit consensum renovare. Institit episcopus meliori, qua potuit ratione, ut eam induceret ad consensum renovandum; ast perperam. Eam exterruit comminatione poenarum ecclesiasticarum, sed frustra. Donec pontifex Pius VI. ad quem episcopus confugerat pro remedio, ad consilium Bolgeni, hoc ipsum coniugium sanavit in radice (35).

Itaque tantum abest, ut renovatio consensus necessaria sit, ut per se ne requiratur quidem moralis consensus perduratio, imo neque quandoque obsit consensus retractatio. Prudentiae ergo erit statuere, quando renovatio consensus exigenda sit. Interdum enim ea erit inopportuna, ac litibus aditum aperiret, et scandalum pareret; interdum vero opportuna erit, litesque praecidet atque aedificationi inserviet.

(34) Ita auctor anonymus cit. dissertat. p. 50.

(35) Ex mss. quod extat in bibliotheca col. Romani eiusdem Bolgeni, qui totum hoc negotium fuse refert. Ex illo coniugio iam duo filii nati erant, quum deprehensum est irritum illud fuisse, ac praeterea gravissimae inter duas familias concertationes ortae fuissent, nisi coniugium sanatum esset. Attamen P. Mozzi huic sententiae refragatus est; ratus non posse Rom. pontificem illa sanare coniugia, in quibus consensus moraliter saltem non perseveret. In relato autem casu mulier suum consensum positive retractaverat. Nihilominus certum est iuxta datam sanationis in radice theoriam rite potuisse pontificem et huic mederi matrimonio.

Quandoquidem autem de renovatione consensus disserimus in sanatione matrimonii in radice, non abs re erit casum afferre, qui Romae discussus est, quum Benedictus XIV. esset a secretis in congreg. concilii ob nexum, quem habet cum iis, quae diximus de opportunitate aut inopportunitate istius renovationis consensus. Quum duo coniuges a Paulo V. sanationem matrimonii in radice obtinuissent sub clausula de renovatione consensus, hac ipsa de causa post elapsum integrum seculum quaestio mota est ad exturbandum filium ab haereditate, eo quod ortus non esset post renovationem consensus. Ast inanis habita fuit eiusmodi expostulatio; nam, ut subdit Bened. XIV. « Dicendum est, quod primum matrimonium contractum convalidavit, sed cum conditione novae solemnizationis servata forma concilii pro evitando scandalo, quod posset oriri inter ignorantes primum matrimonim de facto contractum fuisse, et videntes publicam supplicantium cohabitationem (36). »

Iam quod attinet ad alteram quaestionem de prolis legitimitate, nonnulla iis, quae diximus, addenda sunt. Potissimus effectus sanationis matrimonii in radice est legitimatio prolis, quae alioquin foret illegitima, utpote orta ex illegitimo coniugio. Iam vero haec sobolis legitimatio duplici sub respectu spectari potest: nimirum sive relate ad prolem, quae procreata est post sanationem in radice, sive relate ad illam, quae orta iam erat ante eiusmodi sanationem. Porro sanatio efficit, ut non modo infantes, qui post sanationem oriantur, legitimi sint, sed ut etiam, qui erant prius orti ex illegitima coniunctione, habeantur tanquam legitimi, atque procreati ex legitimo prorsus coniugio.

Eiusmodi legitimatio ea est, quae, ut diximus in praec. articulo, a canonistis *plenissima* nuncupatur, ad distinctionem eius, quae datur per rescriptum a legitimo superiore, et ab ea, quae provenit ex coniugio subsequenti, ac *plena* vulgo dicitur (37).

(36) *Quaest.* 527.

(37) Cf. Barbosa. *Vota decisiv. et consultiva canonic.* lib. II. n. 22.

Docent itaque auctores communi consensu, summum pontificem eiusmodi sanatione in radice filios illegitimos ubique terrarum *directe* legitimare posse quoad omnes spirituales effectus, sacrorum videlicet ordinum, atque beneficiorum ecclesiasticorum; quod vero spectat ad temporales civilesque effectus docent, Rom. pontificem legitimare illegitimos filios posse, *directe* quidem in terris temporali suae iurisdictioni subiectis, iuxta ea, quae plane colliguntur ex celebri responsione Innocentii III. *in cap. Per venerabilem, qui filii sint legitimi* (38), *indirecte* vero ubique terrarum, seu in terris alienae iurisdictioni quoad temporalia subiectis. Scilicet legitimando directe coniugium christianum, Romani pontifices illegitimos filios ubique terrarum non directe, sed *indirecte* capaces efficere possunt successionum, et quorumcumque iurium temporalium, dummodo tamen adsit magna et urgentissima causa, ac dummodo proles suscepta non fuerit ex copula manifeste fornicaria, item dummodo matrimonium, ex quo proles illegitima est progenita, non fuerit nullum propter impedimentum iuris naturalis vel divini (39).

Verumtamen non defuere qui contrariam mordicus sectarentur sententiam, traducerentque communem sententiam veluti aggressionem Romanorum pontificum in temporalia principum iura. Hi in Galliis potissimum viguerunt, qui clausulas, quae circa prolis legitimationem in litteris apostolicarum dispensationum in impedimentis dirimentibus adiici solent, tanquam *abusivas* ac *irritas* esse contendunt, et a Romana curia adinventas, ut, quemadmodum loquuntur, fimbriae pontificae iurisdictionis in saecularium principum dominiis dilatarentur. Aiunt enim, legitimationem prolis quoad civiles effectus regii solum iuris esse, nec pontificiam potestatem ulterius protendi, quam ut illegitimos legitimos efficiat respectu effectuum spiritualium et ecclesiasticorum, nempe suscipiendi ordines, obtinendique beneficia et alia eiusmodi. Subdunt insuper clausulas praefatas om-

(38) Ita Bened. XIV. *quaest.* cit. 174.
(39) Cf. Ibidem.

nino inutiles esse, ac de genere illarum, quae *vitiantur* et *non vitiant*, dum legitimatio provenit ex natura rei propter *subsequens* matrimonium cap. *Tanta*. *Qui filii sint legitimi* (40).

Iam vero iniustam, immo et calumniosam in apostolicam Sedem esse hanc accusationem exinde patet, quod illa *indirecta* ecclesiasticae sanationis efficacia quoad haereditatem, successionem, aliaque huiusmodi in terris, quae ditioni pontificiae non subiiciuntur, fuerit publici iuris quod ubique locorum obtinebat corollarium legitimum, seu consequentia necessaria. Etenim ideo in lege civili habebatur tanquam illegitima proles orta ex illegitimo matrimonio, quod eiusmodi matrimonium nullum ac irritum esset in facie tum Ecclesiae, tum societatis, quia initum cum impedimento canonico dirimente. Quocirca pontifex per dispensationem seu sanationem in radice cum auferat illud impedimentum, perinde ac si nunquam extitisset, vere efficit conditionem coniugum et prolis talem, qualis esset si semper legitimus fuisset consensus, ac proinde ut proles suscepta habeatur veluti orta ex legitimo coniugio. Porro qui natus est ex coniugio legitimo, legitimus haberi debet, et capax bonorum omnium, quae ex legitimis natalibus profluunt nedum in foro Ecclesiae, sed etiam in foro civili (41).

Clausulae vero illae ideo apponuntur quod tum ipsi legitimationi tum declarationi authenticae eiusdem legitimationis inserviunt. Hinc videmus vel ipsos Galliarum reges, cum opus fuit, ipsas expetiisse, ut constat ex dispensatione a Clemente V. in favorem Caroli IV. et filiae Philippi pulchri, nec non a Ioanne XXII. in favorem eiusdem Caroli IV. concessa (42).

(40) Ita ex celebri Arrêt, quod passim in Galliarum tribunalibus dicebatur *Barbier* an. 1664. cf. Rigantium in Reg. IV. *Cancell.* n. 112. seqq.

(41) Ita rite iuxta receptum ius ratiocinabantur TT. et canonistae Gonzalez *in cap. Qui venerabil.* sub num. 12. *Qui filii sint legitimi.* Corradus in *Praxi dispensat.* Lib. 8. c. 3. n. 46 seqq. Oliva *De foro ecclesiast.* in cap. *Rainulus* versic. *Uxorem nomine Adelasiam* n. 102. Valentin. Forster *De succession. ab intestat.* lib. 6. c. 34. q. 2. n. 18. aliique passim apud Rigantium op. et loc. cit. et Benedict. XIV. quaest. cit.

(42) Cf. apud Rigantium loc. cit.

Quapropter neque *inutiles*, neque *abusivae* aut *irritae* eiusmodi clausulae censeri debent.

Quare nec omnes iurisperiti Galli adversariis consenserunt. Inter caeteros adnotator Fevreti apprime exponit hunc dispensationis in radice indirectum effectum scribens : « Doctores apponunt in hac materia distinctionem : *utrum summus pontifex dispensaverit simpliciter*, *vel in radice*. In primo casu infantes incestuosi legitimati non sunt *per matrimonium subsequens* : rescriptum enim hoc in casu nullum habens effectum retroactivum in illorum favorem, in altero vero casu legitimationem obtinent; quia tunc beneficium seu gratia pontificis *etiam ipsos comprehendit*, et eiusmodi dispensatio in radice eumdem producit effectum ac si obtenta fuisset *ab initio*, et per consequens filii ante relaxationem procreati fiunt capaces omnium iurium, ac temporalium utilitatum. Ratio vero est, quia Pontifex non concedit rescriptum legitimationis, sed aufert impedimentum matrimonii inter coniunctos; quod quidem impedimentum cum sit iuris ecclesiastici, etiam ex potestate clavium removeri potest, et matrimonium reduci ad terminos iuris naturae.... Ista regeneratio per dispensationem in radice efficit, ut proles vere legitima sit et ex vero ac legitimo matrimonio suscepta.... ideoque succedit iure proprio et naturali, neque attendi potest tertii praeiudicium, sicut non attenderetur, si revera proles ex legitimo matrimonio, impetrata ab initio dispensatione, procreata fuisset (43). »

(43) In notis 1. et 2. ad lib. V. op. Caroli Fevret cui tit. *Traité de l'Abus* chap. III. Lyon 1736, tom I. pag. 475 seq. ubi ad ius rei confirmationem et declarationem plures affert auctores sive theologos sive canonistas, sive iurisconsultos. Cum vero praemisisset ex I. 2. et 3. c. *de iure nat. annal.* « Vel instar » adoptionis, quae *naturae imago* vocatur, in L. folio 25. ff. de liber. et posth. » et ideo omnia filiationis et familiae iura tribuebat olim adoptatio, nam fictio » in casu ficto idem operatur ac veritas in vero : fictio enim est legis adversus » veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio.» Subiicit verba Gotofr. ex Alciat. ad rubric. ff. de prob. « Quae anologia (adoptionis) bellissime convenit » dispensationi in radice : vel tandem sicut baptismus eluit omnem infectae » originis labem non solum quoad culpam, sed etiam quoad poenam, ita et ista » παλιγγενεσία seu regeneratione per dispensationem in radice, efficitur ut

Verum in praesenti rerum ordine, qui in Europa aliisque regionibus ut plurimum obtinet, res aliter se habet. Nam si iuxta Benedictum XIV. sanatio in radice restituit coniugium in statum pristinum, quem haberet, si impedimentum non extitisset, plane consequitur, quod si coniugium religiosum non producit effectus civiles, dispensationem datam a pontifice Romano haud posse eos restituere. Quapropter si contrahentes, qui relaxationem obtinuerunt, formalitatibus, quas civiles vocant, satisfecerunt, tunc civilibus effectibus independenter a sanatione fruentur : sin vero illas praetermiserunt, proles illegitima in foro civili esse perseverabit, non obstante quavis sanatione coniugii in radice.

Semper tamen pontificia dispensatio obtinebit effectus suos in ordine spirituali, cum id unice ab Ecclesia dependeat.

Tales sunt effectus, qui sive directe sive indirecte ex sanatione radicis matrimonii proveniunt.

## CAPUT V.

### De Ecclesiae potestate in causas matrimoniales ac in sponsalia.

Articulus I. — Causae omnes matrimoniales, quae intimam contractus naturam attingunt, ad solos ecclesiasticos iudices spectant.

Marcus Ant. De Dominis, Launoius, Tamburinius, Litta, Nestius, novissime vero Nuytz (1), uno ore causas matrimoniales

» proles vere legitima sit, et ex vero ac legitimo matrimonio suscepta, et capax » omnium iurium legitimis competentium. » Et tamen hic annotator solet se iuribus apostolicae Sedis hostilem praebere.

(1) Ex eius verba in op. *Il professore* Nuyts *ai suoi concittadini*. Torino 1852. cap. VII. « Proposizione condannata in Brevi Pii IX : le cause *matrimo-* » *niali* e di *sponsali* di loro natura appartengono al foro civile-Accetto la » proposizione, et la sostengo. » Ne quis vero benigne interpretaretur, eum loqui de causis ipsi vinculo extrinsecis, quid per illas significaverit, ipsemet exponit his verbis : « Hanno nome di matrimoniali quelle cause in cui si dis- » puta o della *validità* di un matrimonio, o della *separazione* de' coniugi, si » per oggetto di sola abitazione distinta, si per oggetto di *rompere il vincolo* » con facoltà di far altro matrimonio » et haec qui *catholicum* se esse pro- » fitetur.

civili foro adiudicant. At quae sit catholica doctrina, patet ex can. XII. sess. XXIV. conc. Tridentini, qui his verbis effertur: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices » ecclesiasticos; anath. sit. »

Hic uti exploratum assumimus, hunc canonem esse dogmaticum, seu fidei doctrinam continere ob eadem rationum momenta, quibus adstruximus dogmaticos esse canones III. et IV. eiusdem sessionis.

Comprehendere autem hunc canonem causas *omnes*, quae afficiunt contractum ipsum coniugalem, et *solos* ecclesiasticos iudices agnoscere, ex ipsa sacramenti ratione satis liquet. Cum tamen hoc nonnulli in dubium revocaverint, atque contenderint, perperam ex hoc canone inferri causas *omnes* huiusmodi ad *solos* ecclesiasticos iudices pertinere, quum Tridentinum id non affirmet, omne dubium sustulit Pius VI. in litteris, quas die 17. Sept. 1788. dedit ad episcopum Motulensem, in quibus pontifex profitetur, se loqui tanquam is qui *ius habet suprema Christi ipsius auctoritate sibi collata docendi et confirmandi*. Ad Sedem nimirum apostolicam pertinet ea explicare ac determinare, quae in conciliorum, Tridentini praesertim, decretis obscurius dicta videri possent, prout declarat ipsum Tridentinum sess. ultima in fine, itemque Pius IV. in bulla confirmationis eiusdem concilii (2).

Verba porro Pii VI. in praefatis litteris haec sunt: « Dogma » fidei est ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil » aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post » Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicae » sacramentis a Christo Domino institutum, quemadmodum ad- » versus haereticos et impios homines seculi insanientes, sacrum » concilium Tridentinum sub anathematis poena definivit. Hinc » fit, ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura » concredita, ius *omne* ac potestas pertineat suam assignandi for- » mam huic *contractui* ad sublimiorem sacramenti dignitatem

(2) Cf. Moser *Impedim. matr.* c. XXIV. n. 4.

» evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate
» iudicium ferre ; quod tam planum est atque perspicuum, ut
» sancta ac universalis synodus, cupiens occurrere temeritati
» eorum, qui scripto et verbo asseruerunt, ut etiam nunc multi
» asserunt, *ab Ecclesiae catholicae sensu et ab apostolorum tem-*
» *poribus probata consuetudine aliena*, peculiarem alium canonem
» addendum sibi esse duxit, quo universim declararet atque san-
» ciret, ut, *si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad*
» *iudices ecclesiasticos, anath. sit.* Ignotum nobis non est, quos-
» dam adesse, qui secularium principum auctoritati plus nimio
» tribuentes, et verba huius canonis captiose interpretantes, illud
» defendendum susceperint, ut, quoniam Tridentini Patres hac
» dicendi formula usi non fuerint, *ad solos iudices ecclesiasticos*,
» aut *omnes causas matrimoniales*, potestatem reliquerint iudi-
» cibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt
» *meri facti*. Sed scimus etiam hanc captiunculam, et fallax hoc
» cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim cano-
» nis generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complec-
» tantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum
» exceptioni aut limitationi locum relinquat. Si enim hae cau-
» sae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium,
» nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex
» septem legis evangelicae sacramentis, sicut haec sacramenti
» ratio communis est *omnibus* causis matrimonialibus, ita *omnes*
» hae causae spectant *unice* ad iudices ecclesiasticos, cum eadem
» sit ratio in omnibus ; ut concors est canonistarum sententia,
» ne iis quidem exceptis, qui minime favere Ecclesiae iuribus
» satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim ut verbis
» utamur Van-Espen (ius eccles. p. III. tit. 2. c. 1. n. 4. et n.
» 11. et 12.) *Unanimi consensu receptum est causas sacramen-*
» *torum esse mere ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam*
» *eorum, ad iudicem ecclesiasticum privative spectare, nihilque*
» *circa eorum validitatem et invaliditatem iudicem secularem posse*
» *decernere, eo quod hae natura sua sint mere spirituales. Et*
» *sane si quaestio vertatur de validitate ipsius matrimonii, solus*

» *iudex ecclesiasticus est competens, ipseque solus de hac quaes-* » *tione cognoscere potest.* »

Hactenus quidem Pius VI. qui deinde pergit haec ipsa communire, atque a nonnullis, quae afferri consueverunt, difficultatibus expedire. Ac praeterea adiecit, certum esse non eos modo, qui docent ad summas potestates spectare huius seculi leges de nuptiis ferre, sed eos quoque, qui factis hoc ipsum confirmant can. XII. anathemati concilii Tridentini obnoxios esse.

Denique idem pontifex propositionem LVIII. pseudo-synodi Pistoriensis, « quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere » civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum dispo- » nit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere, » — quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub » hac ratione iuri Ecclesiae » damnavit — uti *falsam, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam a sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesivam, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogantem.* »

Sic pleno germanoque sensu constituto canonis XII. conc. Tridentini (3), iam praestat eiusdem veritatem adstruere; quod quidem efficiemus tum sac. litteris, tum traditione, tum factis, quae Scripturarum, traditionisque doctrinam confirment.

Sane in sacris litteris reperimus, non solum Deum ipsum coniugium instituisse, atque unitatis et indissolubilitatis proprietates determinasse, sed praeterea idem coniugium patres familias seu patriarchas, qui erant sub lege naturae sacerdotes (4),

(3) Praeiverat Pio VI. in hac declaratione Benedictus XIV. qui in op. *De synodo* lib. IX. cap. 9. n 3. asserit causas, quae versantur circa initi coniugalis foederis firmitatem, *nullo catholicorum contradicente, in solo Ecclesiae foro* esse pertractandas.

(4) « Capita familiarum, inquit Cornelius a Lapide, earumdem erant sacer- » dotes. Ius enim sacerdotii illo tempore per generationem carnalem devol- » vebatur in posteros, scilicet in primogenitos, et in capita familiarum, et » consequenter omne sacerdotium Hebraeorum descendit ab Abraham eiusque » sacerdotio. » *Comment. in epist. ad Haeb.* VII. 4.

moderatos fuisse, ut constat ex Abraham, qui noluit ut Isaac in uxorem duceret mulierem Chananeam (Genes. XXIV. 3.) et ex Isaac, qui vetuit ne Jacob se cum aliqua eiusdem gentis coniungeret (ib. XXVIII. 1.). Postea vero sub lege scripta quaecumque ad coniugia spectant a Deo per Mosem determinata conspicimus (5). Iuxta leges a Deo sancitas causae matrimoniales dirimebantur a sacerdotibus, praecipue vero a pontifice, ut satis aperte patet ex Deut. XVII. 12., testaturque Iosephus Flavius scribens: « Sacerdotes summos omnium quaesitores » et controversiarum iudices et damnatorum punitores consti- » tutos esse a Moyse (6). « Sane nuspiam legimus, Deum aliquid regibus de coniugio praecepisse aut demandasse; contra vero reges ipsi legibus a Deo constitutis subiiciebantur iuxta sacerdotum interpretationem, si quod dubium excitatum fuisset.

In nova autem lege in primo libri huius capite ostendimus Christum auctoritate sua, nulla politicae potestatis habita ratione, absolutam decrevisse monogamiam, indissolubilitatemque perpetuam coniugii. Item Apostolum, pro facultate sibi a Christo facta, plura in causis matrimonialibus constituisse, quae versabantur sive circa coniuges christianos inter se, sive inter fideles ac infideles, sive circa viduas, quin ea hic opus iterare opus sit. His porro Apostolus ostendit apertissime, coniugium in lege christiana nullo modo pendere a Caesarum legibus, cum ea statuerit, quae eisdem adversabantur, vel certe in iis non continebantur. Absonum porro foret dicere penes civilia tribunalia fideles debuisse causas connubiales agitare, quae pro obiecto haberent sive a Christo sive ab Apostolo sancita.

Et haec quidem ex sacris litteris; quod vero attinet ad traditionem, omnigena suppetunt argumenta, quae veritati cui patrocinamur, suffragantur.

(5) Levit. c. XVIII. 5 seq. Deut. XXI. 15 seq. XXIV. 1. seqq. etc.

(6) Lib. II. cont. Appionem 22. ed. Havercamp. tom. II. pag. 485. Cuius rei monumentum ineluctabile nobis exhibet adeo apud legis doctores, seu sacerdotes agitata controversia circa divortii causas ad mentem legis Mosaicae Deuter. XXIV. de qua in libro insequenti.

Ac primo negativa, sed prorsus ineluctabilia: nulla siquidem tribus prioribus Ecclesiae seculis legitur causa connubialis christianorum ad magistratus politicos delata; imo absurdum est vel suspicari aliquam ad eos delatam fuisse.

Secundo vero documenta extant positiva, quod eiusmodi causae a tribunali ecclesiastico fuerint diremptae. Etenim praetermisso pseudo-Abdia, qui refert Philippis a B. Andrea apostolo vetitas fuisse nuptias duorum consobrinorum veluti incestas (7), legimus indultas a Callisto papa, secus ac ferrent leges Romanae, nuptias inter christianas ingenuas, foeminas et servos, easque ratas omnino ac licitas decrevisse. Qua de re antiquissimus auctor op. *Philosophumenorum* acerbe Callistum incusat (8), sed immerito prorsus, cum ad id sanciendum neces-

(7) Lib. III. *Historiae apostolicae* n. XI. apud Fabricium *Codex Apocryph. Novi Test.* tom. II. pag. 469 seq. Quae ad hunc scriptorem sane antiquum spectant, reperiuntur apud eumdem Fabricium in praevia *Testimonia et censur. de hoc opere Abdiae adscripto.*

Nos vix innuimus, quae illic habentur, cum nullius fere auctoritatis sit. Miror quomodo cl. Muzzarelli, illum adducat sub nomine Iulii Africani *in certamine apost.* lib. III.

(8) Hoc opus spectans ad sec. Ecclesiae III. repertum in quodam monasterio in Graecia a Mynoide Mynes ac Lutetiam delatum est. an. 1842 Oxonii typis vulgatum primum est an. 1851. Huius operis inscripti *Philosophumena* quodque exhibet haereseologiam trium fere primorum seculorum incertus est auctor. Miller illud tribuit Origeni; Iacobi in Germania an. 1852. adscribit alicui scriptori Romano; Bunsen in op. *Hyppolytus and his age* seu *Hyppolytus eiusque aetas* quatuor volum. editis sub finem eiusdem anni 1852. contendit verum auctorem fuisse S. Hippolytum, episcopum Portuensem, hanc eamdem sententiam amplexus est anglicanus Wordsworth in op. *Saint Hippolytus and the Church of Rome, Hippolytus et Romae Ecclesia* I vol. in-8. Alii tribuerunt Tertulliano aut Caio praesbytero. Huic posteriori opinioni favet cl. Cruice in op. *Etudes sur de nouveaux documents historiques empruntés à l'ouvrage récemment découvert des philosophumena.* Paris 1853. 1. vol. in-4. in altero vero opere cui tit. *Histoire de l'Église de Rome sous les pontificats de S^t Victor, de S^t Zephirin et de S^t Calliste.* Paris 1856. ab illa opinione recedere videtur, fateturque incertum adhuc esse *Philosophumenorum* auctorem. Cl. Dollinger in op. *Hippolytus und Callistus* an. 1853. pugnat pro S. Hippolyto, eo tempore, quo is ad Novatianas partes adhuc spectabat, quoque antipapa extitit, donec resipiscens ad catholicam unitatem se recepit in eaque martyrio functus est. Quidquid de hac sit controversia critica, duo, quos nominavi

sitate compulsus ex rerum adiunctis omnino fuerit (9). Interim hac ipsa incriminatione, qua sanctum pontificem vaferrimus eius hostis insectatus est, testimonium luculentissimum nobis suppeditat de Rom. pontificis potestate in christianorum coniugia causasque matrimoniales (10).

A sec. IV. ac deinceps nihil pariter occurrit de causis matrimonialibus christianorum quoad vinculum apud politicum regimen discussis; contra vero non pauca occurrunt documenta de his ipsis causis apud Ecclesiam expensis diiudicatisque. Praetermissis enim hoc loco decretis atque statutis conciliorum Romanorumque pontificum de coniugiis, quae minus directe ad praesentem quaestionem pertinent (11), iuverit ea tantum attingere, quae directe ad nostrum spectant argumentum.

Vigilius pontifex irritavit coniugium Theodoberti regis initi cum vidua seu relicta fratris sui, ac Theodobertus acquievit.

Leo III. nullum declaravit coniugium Henrici I., Castellae regis, cum filia regis Lusitaniae propter impedimentum consanguinitatis. Henricus vero eius sententiae cessit.

Gregorius V. dissolutum coniugium declaravit Roberti, Francorum regis, cum Berta affini sua; ac Robertus se ab illa seiunxit.

Edixerunt Galliarum episcopi a Carolo M. repudiandam Bertam, filiam regis Longobardorum, ob impotentiae defectum,

catholicos ac eruditos viros, vindicias Callisti et Ecclesiae Romanae strenue susceperunt adversus protestantes et Anglicanos, qui hoc opere abusi sunt. Cf. eruditam op. cit. D. Cruice dissertationem praeliminarem *Histoire* etc.

(9) Hic igitur S. Callisti vellicator inter caetera, quae ei crimini vertit et hoc est, quod vetitum ac illegale coniugium permiserit christianis lib. IX. ed. Oxon. 1851. pag. 291. « Praeterea, scribit, legitime (foemina) nubere potest, quemcumque demum elegerit tori socium *sive servum* sive liberum, et hunc pro marito habere, *licet non nupta secundum legem.* » Διὰ τοῦτο νομίμως γαμηθῆναι ἔχει ἕνα ὃν ἂν αἱρήσονται σύγκοιτον, εἴτε οἰκέτην, εἴτε ἐλεύθερον, καὶ τοῦτον κρίνειν ἀντὶ ἀνδρὸς μὴ νόμῳ γεγαμημένην.

(10) Cf. Döllinger op. cit. §. VI. ubi egregie defendit agendi rationem S. Callisti, amovetque istius haeretici Montanistae seu Novatiani accusationem.

(11) Cf. opusc. cui tit. *Sulla essenzione dei regolari dalla giurisdizione de' vescovi e sulle causae matrimoniali.* Assissi 1884. §. XI. pag. 79 seqq.

eique Carolus nuncium remisit. Ille nempe Carolus M. qui lib. V. suorum Capitularium cap. V. decreta sua omnia, quae pro obiecto coniugium habent conformia profitetur ordinationi Gregorii, summi pontificis : *quia sic Gregorius sentit*, et cap. VII. ubi agens de consanguineorum connubiis, standum esse constituit sacerdotii iudicio : « iuxta constituta sanctorum Patrum, » et iuxta decreta canonum iudicetur » non autem iuxta leges imperiales.

Carolus Calvus nunquam permisit, ut subsisterent connubia inter Francos ac Normannos inita, eo quod a Rom. pontificibus fuerint interdicta. « Si autem, ait ipse in decreto Pistensi » cap. XXX. de istis partibus in illis foemina maritum, aut » maritus foeminam accepit; illud coniugium, quia non est » legale, neque legitimum, sicut Leo in decretis suis et san- » ctus Gregorius in epistolis monstrant, dissolvatur. (12). »

Cumque ageretur in Galliis de matrimonio inter Philippum Augustum eiusque uxorum Ingenburgem, non tacuerunt, ut alias vidimus, duo pontifices Coelestinus III. et Innocentius III. Porro Coelestinus super hoc negotio ad Michaëlem, Senonensem archiepiscopum, litteras dedit. In iis inter caetera ostendit, non esse a temeritatis vitio alienum, quod in tam arduo ac difficili negotio non fuerit cura Sedis apostolicae requisita, per quam vel ipsam canonice finiretur, vel committeretur aliquibus, qui idem, servato iuris ordine, *secundum statuta canonum* terminarent.

Idem pontifex depositionis sententiam tulit adversus Theutgaldum Trevirensem et Guntarum Coloniensem archiepiscopum, eo quod *contra canones* iudicaverint in causa matrimoniali Lotharii regis et Theutbergae uxoris illius, illorumque sententiam, ut vidimus, de divortio omnino cassam ac irritam fecit (13).

(12) D. Gibert in suo tractatu *De traditione circa sacramentum matrimonii* tribus vol. in-4. ostendit serie non interrupta documentorum materiam hanc iugiter fuisse Ecclesiae iurisdictioni obnoxiam.

(13) Lud. Du Mesnil *Doctrina et disciplina Ecclesiae* tom. IV. ad an. 1195. n. XLII. Coloniae 1730. pag. 530.

Alia plura eiusmodi documenta silentio praetereo (14), cum praesto sint facta imperatorum ac regum, qui in causis suis aut subditorum suorum de nuptiis ad concilia aut ad apostolicam Sedem confugerunt. Sane Henricus VIII. cum dissolvi optaret coniugium suum cum Catharina initum, ad Clementem VII. suos oratores misit, nihilque intentatum reliquum fecit, ut summi pontificis animum flecteret, nec de schismate cogitavit, nisi postquam vidit illius animum flecti nullo modo posse (15). Ad apostolicam etiam Sedem Ludovicus XII. Galliarum rex se contulit, atque eius coniugium cum Ioanna Franciae nullum declaratum fuit. Cumque Ludovicus XIII. ad Urbanum VIII. misisset episcopum Montipessulanum in causa matrimonii quod Gasto, dux Aurelianensis et frater eiusdem Ludovici regis, cum Margaretha contraxerat; Rom. pontifex contra cleri Gallicani suffragium, qui illud irritum declaraverat coniugium ex defectu consensus regii, validum esse decrevit, eiusque sententia praevaluit (16).

Haec vero facta notissima sunt ac omnium manu trita. Insuper accedit, quod vel ipsi Galliarum reges non semel fassi sint, se nil posse in iis, quae ad coniugii substantiam et vinculum pertinent, ac si quidpiam statuerunt, quo connubia irrita ac nulla edixere, professi sunt, se nonnisi in ordine ad effectus civiles suas leges tulisse. Et haec pariter cognita sunt ac pervulgata; eo tamen consilio ea hic adiicimus, ne quid huic tractationi desit.

Itaque Henricus IV. se canoni Tridentino conformans con-

(14) Cf. Moser *De imped. matrim.* cap. XXIV. §. 7 seq. cum notis appositis.

(15) Totam hanc historiam cf. apud Lingard *Storia d'Inghilterra* trad. di Gregorii Roma 1831. vol. VI. cap. III. nec non apud Audin *Hist de Henry VIII.* Paris 1850. tom. I. pag. 250. suiv. Item apud Waterworth. *The substance of the historical lectures on the origin and progress in this country of the change of religion colled the Reformation.* Nowark 1849. in-4. *A seconde lecture* pag. 29 seqq.

(16) Cf. Moser loc. cit. atque opus cui tit. *L'autorité des deux puissances.* Paris 1761. tom. III. §. 8.

stituit, causas coniugales pertinere atque spectare ad cognitionem et iurisdictionem iudicum ecclesiasticorum. (17)

Cumque Ludovicus XIII. an. 1629. matrimonia filiorum familias irrita ac invalida decrevisset, quae contra voluntatem parentum fuissent inita, episcopi et clerus perturbati eiusmodi edicto, quasi rex in matrimonia, quae iuxta concilium Tridentinum rata ac valida sunt, sibi auctoritatem arrogasset, supplicaverunt eidem regi, ut dignaretur declarare legem suam de effectibus civilibus tantum esse intelligendam. Rex annuit eamque mentem suam esse per ministros suos patefecit (18), Et ita porro factum est penes omnes principes catholicos, ut quoties ageretur de causis coniugalibus, de dubiis et controversiis in iis, quae ad valorem et legitimitatem suorum coniugiorum spectarent, toties ad apostolicam Sedem se receperint, eiusque auctoritatem agnoscerent.

Quapropter vel ipsi scriptores Gallicani fassi sunt, has causas ante iudices ecclesiasticos esse discutiendas, atque ab ipsis decernendas. (19).

Verum quod rem nostram magis confirmat est ipsorummet

(17) Les causes concernant les mariages, soient et appartiennent à la connoissance et jurisdiction des juges d'église. « Ed. du 1606. art. 12. apud auct. cit. op. *De l'autorité des deux puissances.* loc. cit.

(18) Cf. Isaacum Habert, episcop. Vabremsem, in lib. *De iustitia connubialis edicti a Ludovico XIII. editi.* Ex quo auctore pariter comperimus, unanimem fuisse aetate sua cleri Gallicani universi sententiam de potestate exclusiva *unius Ecclesiae* circa causas matrimoniales, quae afficiant vinculum, seu coniugii substantiam. Cf. etiam Bened. XIV. *De synodo* lib. IX. c. XI. n. 5.

(19) Sic enim scribit D. D'Héricourt : « Si dans les oppositions qui ont été » formées au mariage, *il s'agit du lien et du sacrement :* comme si l'on pré» tend qu'il y a eu des fiançailles avec une autre personne faites par l'une des » deux parties, ou d'un mariage qui subsiste encore, il faut se pourvoir par » l'official écclésiastique sur les oppositions; mais si l'opposition est fondée sur » des intérêts temporels, comme celles des pères et mères, des tuteurs et des » curateurs, c'est devant le iuge séculier, que les oppositions doivent être por» tées. » *Les loix écclésiastiques de France.* Newchatel 1774. Troisième part. ch. V. *Du mariage* §. 25. et ibid. art. 4. §. 17. « La voie ordinaire pour se » pourvoir contre un mariage, c'est de s'adresser à l'official, qui est, suivant » les ordonnances, le iuge du sacrement et du lien qui le forme. »

protestantium sentiendi et agendi ratio, qui ecclesiasticum tribunal in causis matrimonialibus agnoscunt. Iuverit ad pleniorem regalistarum, qui se catholicos appellunt, confusionem, eorum sententias ac verba proferre. Boehmerus, Lutheranus iurisconsultus, scribit: « Sunt causae ecclesiasticae vel ad negotia » licita vel illicita referendae. Ad illa pertinent *matrimoniales*. » Refertur enim ad classem sacramentorum, adeo ut fere haec » unica causa sacramenti in foro contentioso peragatur; cum » reliquae in forum litemque rarius deducantur. Protestantes » sequuntur ius pontificium; quamvis enim negent, matrimo- » nium esse sacramentum, existimarunt tamen maiores nostri, » matrimoniales causas ad casus conscientiae esse referendas, » quorum cum non habeatur ratio in foro seculari, merito » easdem iudicio ecclesiastico esse delegandas (20). »

Et iterum: « Adeo vero causae matrimoniales ad consistoria » nostra spectant, ut doctrina iuris pontificii universa de hac » materia fere recepta sit. Pertinent itaque ad consistorium » etiam causae sponsaliorum, si vel maxime sint de futuro; et » quamvis haec rationem sacramenti non habeant de iure pontifi- » cio, hoc ipsum tamen eas suo foro vindicavit, et ad eius » exemplum praxis protestantium... Imo adeo ad consistorium » hae causae spectant, ut nequidem magistratus secularis per » modum praeventionis de iis cognoscere queat... Quid quae- » ris? Ius canonicum adeo causas matrimoniales foro eccle- » siastico vindicat, ut nequidem incidenter in foro seculari trac- » tari queant, veluti si matrimonialis quaestio per modum excep- » tionis, a reo opponatur, et inde litis principalis decisio pendeat. » Sic causa successionis saepe dependet ex quaestione legitimo- » rum natalium, quae rursus in novam solvitur litem, utrum » legitimum inter eius parentes, cui controversia status movetur, » matrimonium contractum fuerit? Proinde quaestio principa- » lis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro » ecclesiastico fuerit cognitum (21). »

(20) Boehmer. *Ius ecclesiastic. protest.* tom. I. lib. 2. §. 24. ed. 3. Halae 1730. pag. 996 seq.

(21) Ibid. §§. 25. 26. 27. pag. 997-1001. Eadem habet Bockelmann *De diffe-*

Kemnitius admisit quidem eiusmodi causas ad magistratum politicum pertinere, Ecclesiae tamen esse contendit de casibus conscientiae respondere, qui circa matrimonium ex verbo Dei pendent (22). Plures denique protestantes ipsum catholicorum ius canonicum adoptarunt (23), atque ad forum ecclesiasticum causas matrimoniales revocarunt. Auctoritas itaque saltem protestantium iis regalistis silentium imponat, quibus traditionis catholicae et Ecclesiae non sufficit actoritas.

ARTICULUS II. — Sponsalia, quatenus ad Sacramentum Matrimonii disponunt, subiacent iuri Ecclesiae.

Ad causas matrimoniales etiam causae de sponsalibus revocari solent. Superest igitur ut nonnulla adiiciamus circa eadem sponsalia, quae constituunt partem integralem ac praeparatoriam coniugiorum christianorum, de quibus disserimus. Paucis ab hac materia nos extricabimus, cum nobis in animo non sit persequi, quae ad theologiae, quam moralem vocant, aut ad iuris canonici quaestiones practicas referuntur.

Sponsalia definiri consueverunt : « promissio mutua et de» liberata futuri et aliquando contrahendi matrimonii suffi» cientibus verbis aut signis declarata inter personas ad con» trahendum iure habiles et idoneas. » A Nicolao I. Rom. pontifice dicuntur sponsalia « futurarum nuptiarum promissa » foedera (24). »

Haec vero sponsalia non subesse Ecclesiae potestati, sed unice potestati civili ac politicae synodus Pistoriensis autumavit, cuius proinde propositio, quae est sub numero LVII. a

*rentiis iuris civilis et canonici*, qui summis laudibus ius canonicum pontificium effert.

(22) In 2. part. *Examin. conc. Trid.* pag. 272.

(23) Id factum legimus in *Ordine Ecclesiae Brunsvicensis* an. 1669. Item in *Regulamento confessionali* Brandeburgensi an. 1573. vol. I. pag. 658.

(24) In resp. ad *Consulta Bulgarorum* cap. III. ubi subdit : « Quaeque con» sensu eorum, qui haec contrahunt, et eorum, in quorum potestate sunt, ce» lebrantur. »

Pio VI. in dogmatica constitutione *Auctorem fidei* censura notata est, prout superius vidimus, nec non iterum fuisse proscriptam in Nepomuceno Nuytz a Pio IX. patefecimus.

Iam vero iure ac merito damnatam fuisse eiusmodi doctrinam, nullius negotii est ostendere, si paulo animum intendamus ad principium, unde dimanat, ad rei, qua de agitur, naturam, ad Patrum doctrinam, ad usum denique et praxim Ecclesiae universae.

Etenim synodi Pistoriensis adeoque Nuytz doctrina circa sponsalia non est nisi corollarium principii antea constituti de potestate politica in matrimonium. Siquidem semel posito quod Principum sit matrimonium moderari, eiusdemque impedimenta dirimentia auctoritate propria constituere, aut relaxare, causas matrimoniales cognoscere ac iudicare, pronum erat inferre sponsalia quoque, utpote actum disponentem ad coniugii celebrationem, et cum eo intime connexum, a regimine politico pendere. Porro quum principium eiusmodi falsum, erroneum, immo vero et haereticum haberi debeat iuxta ea, quae fuse ostendimus, nos ex contrario principio colligimus, iure optimo veluti falsam, erroneam, ac haeretica labe infectam proscriptam fuisse pseudosynodi ac Nepomuceni Nuytz doctrinam.

Sed et ex intima rei natura id ipsum adstruimus. Cum enim matrimonium christianum sit a Christo ad sacramenti dignitatem evectum, ac re indistinctum a naturali contractu, omnino consequitur, quod, si illud ex divina dispositione subiacet Ecclesiae potestati, subiacere necessario debeant eiusdem auctoritati sponsalia, utpote quae ad sacramentum rite suscipiendum disponunt. Ad eum nempe modum, quo catechumenatus respectu baptismi, ac dispositiones praeviae ad sacramenta reliqua debent ab Ecclesia unice dirigi, adeo ut ipsa et quidem sola possit disponere, moderari, diiudicare, decernere, quae ad eadem valide, licite atque cum fructu suscipienda requiruntur, sic etiam solius Ecclesiae est ob intimum nexum, quem cum connubio sacramentali habent sponsalia, ea regere, de iis disponere,

leges statuere, deque ipsorum valore ac legitimitate iudicium ferre.

Huc accedit quod ex sponsalibus impedimenta oriantur sive dirimentia sive impedientia matrimonium, ut patet ex impedimento publicae honestatis, quod coniugium dirimit, atque ex impedimento, quod dicitur *sponsalium*, quodque impedit quominus is, qui sponsalibus cum aliqua obstrictus est, illis perdurantibus seu non solutis, cum alia se coniugio copulet. Quum vero Ecclesiae sit declarare, quando et in quibus rerum adiunctis quibusque sub conditionibus sponsalia vigeant, ac proinde matrimonii impedimentum recensitosque effectus pariant, ab hisque, si opus fuerit ac necessitas exigat, dispensare, Ecclesiae potestati sponsalia obnoxia esse necesse est, et quidem ut iure suo, non autem ex principum venia de iis possit iudicium ferre.

Quod vero Patres christianorum sponsalia habuerint uti rem sacram atque Ecclesiae legibus moderandam, ex eo deprehenditur, quod de iis tanquam de matrimonii parte integrali disserant. Sane Tertullianus in notissimo eius textu ex lib. II. *Ad uxorem* etiam sponsalia complectitur, dum dicit : *quod Ecclesia conciliat*, ut ostendunt Lacerda aliique huius scriptoris explanatores (25). Sic etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus exponens catechumenis sponsalia, quae apud christianos contrahuntur (26). S. Syricius autem pro certo assumit sponsalia a sacerdote esse benedicenda, in saepius laudata epistola ad Himerium Tarraconensem scribens : « Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, » *quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit*, apud » fideles cuiusdam sacrilegii instar est si ulla transgressione » violetur (27). »

Quapropter concilium Illiberitanum can. LIV. constituit :

(25) Cuiusmodi sunt Hamelius, Rigaltius in notis ad hunc locum, necnon Lupus, et Albaspinaeus in commentariis suis, aut explanationibus opp. Tertulliani.

(26) Catech. III. §. 1. et 2. ed. Touttei pag. 59.

(27) Apud Coustant. *Epist. Rom. pontif.* epist. I. n. 5. col. 628.

« Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant a communione ; si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes ; si in eodem fuerint vitio et polluerint se consentiendo, superior sententia servatur (28). » S. Augustinus passim de sponsalibus loquitur, ac de *tabulis matrimonialibus*, aut *signatoriis*, quae ex Ecclesiae praescripto legebantur in sponsalium celebratione, atque ab episcopo subscribebantur (29) ; ut alia documenta exploratissima missa faciam, in quibus etiam ritus describuntur de arrhis, deque annulis, iisque benedictis, quae in sponsalibus tradebantur (30).

Adeo vero res haec semper explorata fuit, ut innumeri prope habeantur canones a conciliis statuti, in quibus plura de sponsalibus decernuntur absque ullo ad leges civiles respectu, imo quibus leges civiles corriguntur et emendantur. Id patet ex iis canonibus, quibus distinguuntur sponsalia a matrimoniis ratis, prout in nonnullis imperatorum legibus spectabantur (31).

Ex his iam planum fit quid de perpetuo Ecclesiae usu et praxi, prout ultimo loco constituimus, sentiendum sit. S. Ambrosius loquitur de velamine, quod a sacerdote benedictum in sponsalibus tradebatur (32) ; de quo ritu longe ante iam

(28) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. I. col. 256. in quem canonem cf. quae erudite scripsit card. de Aguirre *Collect. maxima concil. omnium hispanicor.* tom. I. pag. 620 seqq. cf. item Albaspinaeum in hunc eumdem canon.

(29) *Serm.* 10. n. 18. item *serm.* 37. *n.* 7. *serm.* 51. n. 22. et *serm.* 332. n. 4. ed. Maur. in hoc postremo sermone expresse scribit S. Doctor : « Verum est : » istis tabulis subscripsit episcopus. »

(30) Cf. Marten. *De antiquis. Eccles. ritibus* lib. I. cap. IX. ar. 3. nec non Goarium in *Euchologio graec. in officio in sponsalibus* pag. 389. Item Bingham *Origin. sive antiquit ecclesiast.* lib. XXII. cap. III. §. 1 seqq.

(31) Cf. Lupum schol. in can. XCVIII. concilii Trullani, ubi inter caetera scribit : « Etiam sponsalia semper consueverunt in ecclesia fieri ; benedici a » sacerdote, esse summae obligationis : uti liquet ex can. IX. Ancyrano, et » LIV. Illiberitano » opp. ed. Venet. 1724. tom. III. p. 163.

(32) Lib. *De Instit. virgin.* cap. XVII. n. 108 seq. ed. Maur. tom. II. pag. 275. et item lib. *De exhort. virginit.* c. VI. n. 34. pag. 286. et alibi.

locutus fuerat Tertulianus (33) ; postea vero S. Isidorus Hispalensis (34), ac Theodorus Studita (35), nec non S. Nicolaus I. describens « morem, ut ipse loquitur , quem sancta Romana » suscepit *antiquitus* , et hactenus in huiusmodi coniunctioni- » bus tenet ecclesia vobis monstrare studebimus. » Deinde vero ritum exponit in sponsalibus servari solitum (36).

In non paucis conciliis particularibus invenimus praeterea fuisse sancitum, ut sponsalia in publica celebrarentur ecclesia coram parocho et testibus, ut in conc. Rhemensi, in quo statutum est ea fieri debere « nonnisi coram paraeco vel eius vica- » rio , idque in ecclesia, et non alibi, nisi de ordinarii licentia » gratis concedenda, quatuor vel tribus saltem testibus prae- » sentibus (37). » Eadem etiam publice celebrari longe ante iusserant synodus Coloniensis (38), item statuta synodalia Guillelmi Gubernatoris, Macloviensis episcopi (39), synodus Wigoriensis (40), quae in super constituit : sponsalia *nisi ieiuna saliva* fiant (41).

Cum igitur tum ex rei ipsius natura, tum ex Patrum doctrina, tum denique ex usu constanti iugique totius Ecclesiae praxi certum sit sponsalia spectata semper fuisse uti partem integralem matrimonii, cuius administratio a Christo Domino Ecclesiae commissa fuit, pluribus opus non est, ut concludamus iure meritoque inustam fuisse a Pio VI. pontifice censuram doctrinae synodi Pistoriensis, et iterum a Pio IX. eamdem confirmatam fuisse in damnatione operum Io. Nepomuceni Nuytz, professoris

(33) In lib. *De veland. virginibus* cap. XI seqq.

(34) Lib. *Etymolog.* lib. IX. c. 7. et *De officiis* lib II. c. 20. ed. Arevali Romae 1798.

(35) *Epistol.* lib. I. ep. 50. ed. Sirmondi opp. tom. V.

(36) In cit. *Resp. ad consulta Bulgaror.* loc. cit.

(37) Decreto de matrimonio n. 4. apud Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1287. celebratum est autem an. 1583.

(38) Cap. X. quae coacta est an. 1280. apud Hard. *Acta conc.* tom. VII. col. 829.

(39) Apud Martenium *De antiq. Eccl. rit* lib. I. cap. IX. art. 3.

(40) Cap. XIV. Ibid. col. 335. celebrata est haec synodus an. 1240.

(41) Cf. Marten. op. et loc. cit.

Taurinensis, qui obsoletam iamdiu iacentemque erroneam doctrinam e suis cineribus exsuscitare non dubitavit.

Non omnem tamen potestati politicae auctoritatem adimimus in sponsalia, sed eamdem ei tribuimus, quam ultro concedimus in coniugia, nimirum posse civile regimen ea statuere ac sancire, quae ad sociale bonum conducunt, quaeque intra fines temporalium effectuum continentur. Nempe ad eum modum, quo potestas civilis potest declarare in foro suo coniugia illegitima ac nulla, quae inirent subditi contra legum sanctiones, ita ut non fruantur civilibus effectibus, sic potest se gerere relate ad sponsalia, ita ut nullum civilem effectum producant. si secus ac a lege statutum est, celebrentur.

Et reipsa ita comperimus, antiquitus egisse Ecclesiam in relatione ad leges civiles quoad sponsalium effectus. Interdum enim probavit leges civiles, quae statuerant sine parentum consensu sponsalia celebrari non posse. « In sponsalibus, inquit iuris» consultus Paulus, etiam consensus eorum exigendus est, » quorum in nuptiis desideratur (42) ; » et in nuptiis parentum consensum desiderari idem Paulus testatur dicens : « nup» tiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, qui » coëunt, quorumque in potestate sunt (43). » Quare Ulpianus : « in potestate, inquit, manente filia, pater nuncium re» mittere potest, et sponsalia dissolvere(44).» Has leges Ecclesiam olim adoptasse constat ex pseudo-Evaristi decretali, quam afferimus tantum ut documentum antiquitatis : « Aliter, in ea » legitur, legitimum sicut a Patribus accepimus et a sanctis » Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non » sit coniugium, *nisi ab his, qui super ipsam foeminam domi*» *nationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor peta*» *tur, et a parentibus et a propinquioribus sponsetur* (45), »

(42) Paulus I. 35. *In edictum* in leg.7. *De sponsalibus.*

(43) Ead. lege *Ad edictum* ff. *De ritibus nup.*

(44) Ulpianus in I. *De potestate* 10. *De spons.* Constat autem ex A Gellio lib. IV. *Noct. Atticar.* c. 4. postea fuisse legem hanc sublatam aut temperatam.

(45) Apud Gratianum in cap. *Aliter.* 32. q. 5.

ut alia praeteream (46). Contra vero Nicolaus I. parentum aut propinquorum consensionem minime necessariam declaravit, dicens : « Sufficiat *secundum leges* (nempe Ecclesiae) solus » eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, caetera omnia, » etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur (47). » Eadem confirmat Innocentius III. (48), Lucius item III. (49), ac demum concilium Tridentinum (50).

Ex quibus illud etiam eruitur, non modo civiles leges, verum etiam ecclesiasticas in eodem censu habuisse sponsalia ac matrimonium, adeoque cum constet, Ecclesiam uti obiectum suum constanter habuisse coniugium, utpote sacramentum, et quidem exclusive, in quod exerceret suam potestatem, ita etiam constat, uti suae auctoritatis obiectum spectasse sponsalia, quae ad ineundum coniugium viam parant. Exinde novum oritur argumentum ad Ecclesiae potestatem in sponsalium vinculum exclusive adstruendam vindicandamque adversus Pistorienses, Nuytz, atque aulicos et regalistas caeteros (51).

(46) Tertul. lib. II. *Ad uxor.* c. V. scribit : « Nam neque in terris sine consensu parentum filii recte et iure nubent. » Cf. Gonzalez in *Notis ad conc. Illiberit.* ad can. LIV. Item Pontium *De matrim.* lib. II. cap I. §. I. et. II. Anastas. Germonium *Animadvers.* lib. II. cap. XI. Romae 1622. opp. tom. II. pag. 170. seqq. Espencaeum *De clandestin. matrim.* c. 11 seqq. opp. ed. Paris. 1619. pag. 635. Albaspin. ad Tertull. lib. observat. XXIV. Francisc. Hotmannum *De sponsal. illustrib.* quaest. IX. De his etiam agit Brissonius in duobus libr. *De ritu nuptiar. et de iure connubior.*

(47) *Consul. Bulgaror.* c. 3. Gratian. in cap. *Sufficiat.* causa XXVII. q. 2. c. 2.

(48) In cap. *Tuae fraternitati de sponsal. et matr.*

(49) In epist. ad Burgens. episc. in cap. *Cum causa de raptoribus. Decr.* lib. V. tit. 17. 6.

(50) Sess. XXIV. *De reform. matr.* cap. I.

(51) Vidimus paulo ante vel ipsum Boehmerum, iurisconsultum Lutheranum, ad causas mere ecclesiasticas sponsalia referre, atque uti tales a tribunalibus protestantium haberi.

## CAPUT VI.

**De Ecclesiae potestate in matrimonia haereticorum inter se vel cum catholicis.**

ARTICULUS I. — Generatim matrimonialis Ecclesiae legislatio Matrimonia respicit non modo catholicorum verum etiam mixta et haereticorum.

Suspicari forte quis posset ea, quae diximus de Ecclesiae potestate in matrimonium christianum, ad catholicos solum coniuges pertinere. At matrimonialis Ecclesiae legislatio matrimonia attingit non modo catholicorum, sed etiam mixta, et haereticorum. Ac de matrimoniis quidem mixtis plura dicenda essent, sed quoniam de iis fuse in theologicis nostris praelectionibus egimus, nil hoc loco addemus. Tres ibi propositiones statuimus ac vindicavimus : 1. coniugia inter catholicos et acatholicos regulariter illicita esse, utpote graviter improbata iure naturali et divino, atque a iure ecclesiastico penitus interdicta ; 2. non nisi Romani pontificis dispensatione licite posse iniri coniugia mixta ; graviter proinde peccarent sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, eiusmodi coniugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestarent ; 3. non posse acatholicos, quin omnia laedant aequitatis iura cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae neglectis canonicis sanctionibus contrahuntur (1). Quin igitur dicta repetamus, fixum maneat, Ecclesiam iure suo matrimonia mixta prohibere, eademque prudenter permittere, et Ecclesiae ipsius legislationi semper standum esse, quod attinet ad prolis praesertim catholicam educationem.

Matrimonia mixta obnoxia esse ecclesiasticis impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus satis per se apparet ; at quaeritur an idem dicendum sit de iisdem impedimentis circa matrimonia haereticorum. Tota quaestio est de ecclesiasticis

(1) In *Tract. de matrim.* cap. IV.

impedimentis ; nam quod attinet ad impedimenta, quae ex iure naturae, vel ex iure divino positivo oriuntur, evidens est iis non minus catholicos quam acatholicos devinciri. Hinc error, ex. gr., impotentia, amentia, ligamen, irrita reddunt haereticorum etiam coniugia.

Sed quaestio etiam de ecclesiasticis impedimentis facile solvitur ex generali principio, quo statuitur omnes baptizatos, adeoque etiam haereticos, universalibus Ecclesiae legibus obligari. Licet enim rebelles sint atque apostatae, licet sint extra Ecclesiam, ad Ecclesiam tamen iure pertinent, prout oves ex ovili profugae ad ovilis herum, ac prout transfugae milites ad principem spectant, cuius vexillum deseruere. Hac de re ita praeclare scribit Suarezius : « Haeretici sunt vere subiecti ecclesiasticae iurisdictioni : » nam retinent characterem baptismalem, quod est fundamentum huius subiectionis. Et licet secundum praesentem statum » non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, » et contra ius Ecclesiae acquisitum deliquerunt, se ab illa separando, semperque ad illam redire cogi possunt, quia signum ecclesiasticae iurisdictionis semper in se retinent, et » ratione illius veluti inchoationem quamdam habent membrorum Ecclesiae. Unde fit, ut eius praeceptis obligentur, et » contra ea peccent illa non servando (2). »

Cum igitur impedimenta coniugium dirimentia iure ecclesiastico constituta leges sint universales, evidens est etiam haereticos eisdem devinciri. Omnem hac in re dubitationem sustulit Benedictus XIV. in brevi ad card. Eboracensem die 9. Febr. 1749. ex occasione matrimonii initi inter virum Iudaeum et mulierem haereticam : ibi enim uti firmum principium assumit, haereticos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, *non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari* : tum subdit :

(2) *De legibus* lib. IV. cap. 19. n. 2. cf. etiam De Lugo in op. *De fide* disp. XXI. sec. I. et II. Bellarmin. *De Ecclesia* lib. III. cap. 4. n. 10. et lib. III. *De laicis* c. 22. nec. non Biner *Apparatus eruditionis ecclesiasticae* part. I. c. 5. aliosque passim.

« Haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus ecclesiasticis te-
» nentur. Cum vero intra leges Ecclesiae illa quoque recen-
» seatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptis-
» mum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostra
» etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier
» baptismo initiata Hebraeo nupsit, matrimonium illud pro ir-
» rito habendum esse (3). »

Idem principium eamdemque doctrinam inculcat ac late prosequitur Pius VII. in brevi ad archiepiscopum Moguntinum die 8. Octobr. 1803. in quo cum praemisisset : « Praetermissa
» quaestione illa, de qua nihil modo statuere volumus, an
» haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta,
» sacramenta sint nec ne? » Subdit ad rem nostram : « Sed
» quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant, haere-
» ticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse
» illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae
» auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt?
» Adversus illam clamant Scripturae, concilia, traditio denique
» universa. Omnium instar sit Tridentina synodus, quae sess.
» 24. cap. II. non baptizatos a baptizatis distinguens, illos
» tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affir-
» mat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non
» prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi
» baptizati ergo Ecclesiae filii, quanquam rebelles et transfugae,
» eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur ; quare iam in illos
» potestatem exercere nunquam praetermisit Ecclesia, potestate
» sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum
» historiarum monumentis testatum est, ac idem concilium
» Tridentinum non modo novissimos de matrimonio eiusque
» indissolubilitate errores, sed ipsos quoque errorum aucto-
» res diro anathemate percutit. Verum neque hic locus est,
» vindicandi Ecclesiae ius, quae haereticos suis legibus com-
» prehendit (4).»

(3) In Bullario Bened. XIV. tom. III. pag. 4. §. 14. et 16.

(4) Apud Roskovàny *Monumenta catholica* Quinque ecclesiis 1847. tom. II. pag. 86.93 seq.

Haeretici quidem ecclesiasticas leges, ac nominatim matrimoniales, non solum non observant, verum etiam contemnunt. Eo quod Ecclesiam reiecerint, se simul exuisse putant ecclesiasticum legum iugum tum in aliis, tum etiam in re matrimoniali, seque liberos dicunt ab Ecclesia tyrannide. At num ideo Ecclesiae leges irritae sunt quoad illos atque invalidae? Ex lex illa haereticorum agendi ratio leges nullatenus irritat, utpote quae unice ex illorum perduellione ac malitia dimanet. Peccant itaque contra leges, et sibi adscribere debent peccata, quae ex legum obligatione proveniunt, quibusque se inquinant illas transgrediendo, non legibus, quae per se bonae sunt ac rationabiles, atque ad commune bonum sancitae. Alioquin si hac agendi ratione haeretici a legum ecclesiasticarum observatione solverentur, propria ipsis prodesset malitia.

Unica esset via ad eos eximendos ab impedimentorum irritantium obligatione, scilicet ipsius Ecclesiae relaxatio; ast talis profecto non est Ecclesiae intentio, ac voluntas, cum hoc foret haereticis favere, privilegiisque eos cumulare; iam vero nunquam intendit Ecclesia favere haereticis, qui ex ipsa perduellione et contumacia in haeresi quovis favore indignos se praebent. Deinde absonum est vel cogitare, velle Ecclesiam haereticis concedere, quod filiis suis denegat.

Et hoc quidem in universum quoad impedimenta ecclesiastica ex. gr. criminis, disparitatis cultus, cognationis spiritualis, affinitatis, consanguinitatis quoad aliquot gradus, cum quibus si qua matrimonia ineant haeretici, ex dictis per se sunt prorsus irrita ac nulla, licet consuetudo eiusmodi coniugia ineundi apud eos invaluerit. Nam nulla consuetudo, quae virtute propria vincat legem, habetur, nisi accedat tacitus saltem aut praesumptus legislatoris consensus, qui in casu nostro nullatenus fingi potest, cum Ecclesia nolit eiusmodi consensum haereticorum consuetudini praebere, eo ipso quod ei rebelles sint, aut exhibere hac in re favorem, quem nullo modo merentur.

Idque confirmatur ex principio adoptato ex antiquo iure a

concilio Tridentino, quod agens de iis, qui ignorantes impedimentum, sine debitis proclamationibus coniugium cum eo contrahunt ait : « non enim dignus est, qui Ecclesiae benignita-» tem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere con-» tempsit (5). » Multo igitur magis principium istud valet quoad haereticos, qui omni qua possunt ratione adnituntur Ecclesiam quavis auctoritate destituere, atque eam omnino evertere. Item cap. *Quod super. de consanguin.* quorumdam matrimonia intra gradus prohibitos inhibentur cum expressa clausula : *non obstante consuetudine, quae dicenda est potius corruptela ;* potiori proinde iure haereticorum consuetudines Ecclesiae legibus adversantes *corruptelae* dici debent.

Neque est quod quisquam reponat, eiusmodi haereticorum connubia contra leges ecclesiasticas inita, saltem legitima censeri et esse uti contractus naturales ac civiles. Siquidem Ecclesia, ut plus semel ostendimus, nulla agnoscit in baptizatis coniugia, quae non sint sacramenta. Nam in cap. *De divortiis* matrimonium inter baptizatos universe *sacramentum* definitur (6), adeoque tale etiam inter haereticos esse debet, etiamsi eorum culpa eiusmodi non sit, quod ipsi invalide contrahunt. Cum proinde ob leges matrimonium irritantes nullum sit apud haereticos sacramentum, hoc ipso nullus est contractus sive naturalis sive civilis.

Neque tamen indidem sequitur, omnia haereticorum coniugia invalida esse ; etenim illa solum invalida sunt censenda ac reipsa irrita sunt, quae ineuntur cum aliquo impedimento dirimente, caetera vero non item. Et reipsa Ecclesia illorum coniugia constanter habuit uti legitima. Calumniarentur idcirco Ecclesiam, qui affirmarent, eam ceu totidem concubinatus, seu coniunctiones fornicarias spectare haereticorum coniugia. Immo Pius VII. positive reprobat illorum sententiam, qui effutiunt

(5) Sess. XXIV. cap. 5. *De reform. matrim.*

(6) In cap. *Quanto* lib. IV. *Decretal.* tit. XIX. 7.

« matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita ge-
» neratim nulla esse (7). »

Haec de matrimoniis haereticorum inter se relate ad impedimenta *in genere*, brevissimo hoc articulo innuisse sufficiat : at nominatim quod attinet ad impedimentum clandestinitatis a conc. Tridentino constitutum non brevis, neque omnino facilis erit disceptatio , quam distinctis articulis solvendam aggredimur.

ARTICULUS II. — Nominatim quoad impedimentum clandestinitatis, quaestio enodatur iuridica : an clandestina Matrimonia sive mixta, sive haereticorum sint irrita.

Decretum Tridentinum *Tametsi* (sess. XXIV. cap. I. de ref. matrim.), de quo in priori libro late egimus magnam in legislatione de matrimonio christiano mutationem invexit , ac merito peculiarem attentionem etiam hoc loco sibi vindicat. Impedimentum dirimens clandestinitatis eo decreto constitutum ex ipsa declaratione concilii non obligat nisi in paroeciis fuerit publicatum : hinc matrimonia non modo mixta et haereticorum, verum etiam catholicorum, eo impedimento non tenentur, ubi publicatio quacumque de causa facta non fuerit. At quaestio est implexa et salebrosa an eo impedimento invalida censeri debeant clandestina matrimonia sive mixta sive haereticorum iis in locis contracta, in quibus Tridentinum decretum fuerit publicatum, et in quibus modo haeretici vel dominantur , vel sub principibus etiam catholicis suos habent ministros, suaque templa, ac coetus propriae communionis , ut vocant, constituunt, adeoque ne cogitantes quidem de forma Tridentina, more suo ineunt coniugia.

Famosa est hac in controversia declaratio atque concessio Benedicti XIV. circa matrimonia Hollandiae , quae data fuit die 4. Novemb. an. 1741. quaeque sic se habet : « Quod attinet
» ad matrimonia ab haereticis inter se in locis foederatorum
» ordinum dominio subiectis celebrata , non servata forma per

(7) In allegato brevi ad archiep. Moguntinum loc. cit. p. 94.

» Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret,
» alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc
» expositis circumstantiis, sacram congregationem concilii pro
» eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum ha-
» bens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi
» matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum, et alioquin
» oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis
» locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda,
» quid generaliter de hisce matrimoniis censendum sit, decla-
» rare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum mo-
» mentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, ma-
» trimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereti-
» cos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur,
» etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis ce-
» lebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit *canonicum*
» *impedimentum* (8), pro validis habenda esse, adeoque si
» contingat, utrumque coniugem ad catholicae Ecclesiae sinum
» se recipere, eodem, quo antea, coniugali vinculo ipsos om-
» nino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho ca-
» tholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex
» coniugibus, sive masculus, sive foemina, convertatur, neu-
» trum posse, quandiu alter superstes erit, ad alias nuptias
» transire (9). »

Eadem porro declaratio atque concessio ad plures regiones apostolica auctoritate extensa fuit; adeoque ubi constet, vel Tridentinum decretum non fuisse publicatum, vel deinde Benedictinam declarationem et concessionem datam fuisse, ibi certe haereticorum connubia, sine catholici parochi praesentia celebrata, valida censeri debent.

Quaestio est historica et practica ubinam Tridentinum decretum fuerit nec ne publicatum, et ubinam apostolica concessio et

(8) Haec verba confirmant illud, quod in praeced. articulo statuimus, impedimentis canonicis etiam haereticos teneri.

(9) In Bullar. Bened. XIV. tom. I. pag. 87 seq.

declaratio, seu dispensatio extensa sit, nos hac de re plura monumenta in apposito articulo afferemus. At modo agitanda est quaestio iuridica, an valida sint haereticorum coniugia nec non coniugia mixta iis in locis, in quibus Tridentinum decretum publicatum rite fuit, et quibus nulla favent apostolicae Sedis indulta. Haeretici quidem coniuges sive sub haereticis principibus, sive etiam sub catholicis versentur, ne cogitant quidem debere se iuxta formam Tridentinam coram parocho catholico coniugium inire : dicendum ne erunt ea omnia coniugia nulla, irrita, invalida esse? coniuges eiusmodi haberi ne debebunt ut concubinarii ac fornicarii?

Quam durum hoc dictu videatur, nemo est qui non sentiat. Nil mirum proinde si in discrepantes sententias theologos canonumque interpretes concedere videamus, aliis propugnantibus valorem coniugiorum, de quibus agitur, sive haec sint mixta, id est inter catholicos et acatholicos, sive inter acatholicos invicem inita aut ineunda, aliis vero negantibus. Ut in re tanti momenti ea qua par est perspicuitate progrediamur, hanc methodum consectabimur : prius auctores, saltem praecipuos, recensebimus, qui pro illorum coniugiorum valore pugnant una cum fundamentis, quibus suam fulciunt sententiam; deinde commemorabimus pariter praecipuos auctores, qui contrarium placitum consectantur una cum rationum momentis, quibus innituntur. Crisin denique argumentorum utriusque partis instituemus, et quid nobis verisimilius sentiendum videatur, aperiemus. Distinctis paragraphis rem omnem absolvemus.

## §. I.

Illorum argumenta, qui pugnant pro valore coniugiorum clandestinorum, quae sive celebrantur inter catholicos et acatholicos, sive inter solos acatholicos in locis, in quibus publicatum est decretum Concilii Tridentini, proferuntur.

Haud pauci, ut innuimus, sive theologi sive iuris canonici periti pro valore certant coniugiorum, quae mixta dicuntur, aut eorum, quae acatholici ineunt inter se iis in locis, in quibus

Tridentinum decretum aliquando rite publicatum est. Eminent inter caeteros Pichler, qui hanc sententiam affirmat esse *communiorem* inter Germaniae scriptores et *probabiliorem* (10); et reipsa allegat pro ea Dianam, Gonzalez, Tannerum, Laymann, Stalenum, Kugler. Eamdem tuentur Pirhing, Marchand, Sporer, qui alios citat tredecim auctores (11), item Mayr (12), Theophylus Raynaudus (13), Van Espen (14), Antoine (15), Baston, Lamennais quos adducit Carrière (16), quibus addi debet card. Gotti (17), ut alios praeteream, de quibus postea redibit sermo.

Quaenam porro praecipua sint fundamenta, quibus innixi recensiti auctores in hanc devenerint sententiam, melius dignosci non posse videntur quam ex iis, quae refert Benedictus XIV. in op. *De synod. dioeces.* lib. VI. cap. VI. Scribit enim doctissimus pontifex, eosdem permotos fuisse primum ex mente ipsius concilii Tridentini, quod in suo decreto, ut refert eiusdem concilii historiographus, card. Pallavicinus (18), ideo conditionem publicationis in singulis paroeciis adiecit, quia absque illa ingens heterodoxorum querimoniis campus apertus foret, eoque magis aucta fuisset eorum a concilio aversio, si illius decreti vi decursu temporis uxores suas pro concubinis habere, suosque liberos illegitimos declarare debuissent; siquidem manifestum est, nunquam futurum fuisse, idque Patres ignorare non poterant, ut novum decretum ab illis acciperetur atque executioni mandaretur, eorumque matrimonia coram parocho catholico celebrarentur. Huic igitur incommodo provide occursum est per conditionem illam decreto adiectam, qua imposita

(10) *Candidatus abbreviatus iurisprudentiae* lib. IV. tit. III. n. 4. 5.
(11) *Theol. moral. De sacram.*
(12) *Iur. can. ad tit. De cland. despons.* n. 86
(13) *Heterocl. Spirit.* sect. I. *Punct.* 14. n. Opp. ed. Lugd. 1665. tom. XVI.
(14) *Ius. eccles. univ.* par. II. tit. XII. c. 5. n. 32 seq.
(15) *De matr.* par. III. num. XIII. not. 7.
(16) *De matr.* par. III. n. 1214.
(17) Tract. *De matr.* qu. VIII. dub. XI. §. 3. n. 22.
(18) Lib. XXII. cap. 8. n. 10.

fuit illius publicationis necessitas, ita ut in locis haereticorum, in quibus proculdubio nunquam huiusmodi publicatio fieret, non verificata conditione, a qua concilium pendere voluit decreti sui efficaciam, nec incolae haeretici unquam adstricti forent servandae formae in ipso decreto praescriptae (19). Ita disserebant theologi, qui in consultatione, quae habita est in sac. congregatione concilii circa valorem coniugiorum, quae in Hollandia et in foederato Belgio inter haereticos celebrabantur, pro illorum validitate pugnabant. Quapropter ut idem refert Benedictus XIV. loc. cit. n. 9., sic illi urgebant. Si nunc in proposito casu pronunciaretur pro nullitate matrimoniorum, quae ab heterodoxis illius regionis absque praesentia catholici parochi ineuntur, in omnia illa incommoda incideremus, quae Tridentini Patres laudatum decretum efformantes tanta prudentia evitare studuerunt.

Huic rationi petitae ex ipsa concilii mente aliae rationes accedunt, quas pro validitate eiusmodi coniugiorum pariter urgebant in eiusdem congregationis actis nonnulli theologi, quasque hisce verbis exponit laudatus pontifex loc. cit. : quod, si matrimonia, de quibus agebatur, irrita declararentur, si quando aliqui coniuges de abiuranda haeresi statuissent, ut ipsis liceret in coniugali societate permanere, necesse haberent consensum renovare coram parocho catholico et duobus testibus, alioquin pro legitimis coniugibus se invicem habere non possent. Quantum porro in huiusmodi consensus renovatione periculum insit, et quam gravia incommoda inde metuenda essent, enarrando pergebant. Primum videlicet quod plures coniuges, quibus

(19) Sane card. Pallavicimus loc. cit. scribit : « In fine si disponeva, che il » presente decreto avesse vigore in ciascuna parrochia *dopo trenta giorni* dal » di della prima publicazione. Il che oltre ad altri buoni effetti, ne recava uno » per allora non osservato da tutti : e questo era l' ovviare all' inconveniente » ricordato dal Lainez e da altri : cioè, che fra gli eretici, i quali non ubbidiranno » a quel decreto, *niun matrimonio in avvenire sarebbe vero, e niuna progenie* » *legitima*. Si ovviava, dico, a ciò, perocchè ne' loro paesi non avrebbero essi » lasciato publicare il decreto; e cosi non sarebbesi verificata la condizione » sotto la quale il concilio statuiva ch' egli obbligasse. »

catholicam religionem amplectendi desiderium inesset, illud fortasse abiicerent, utrimque metuentes, ne alter ab altero, cum quo multorum annorum spatio libenter vixisset, relinqueretur. Deinde, quod si forte vir uxori, vel uxor viro displiceret, nec alia illis suppeteret via, qua se a contracto vinculo liberarent, facillime evenire posset, ut simularent se ad catholicam fidem converti, qua sibi solutionem a matrimoniali vinculo quaererent, requisitam nempe consensus renovationem, post simulatam conversionem, alter alteri denegando. Tertium, quod etiamsi coniuges ad sanctam religionem serio ac firmo proposito converterentur, attamen fieri posset, ut praecipua causa, ad conversionem impellens, esset spes recuperandae libertatis, et abrumpendi vinculi, quod ipsis ad ferendum molestissimum esset, quod ubi eveniret, nemo est qui non videat, quanti conversiones huiusmodi faciendae essent.

Sane, pergit Benedictus XIV. n. 10. quod pertinet ad timorem simulationis, de qua modo dictum est, congruit Innocentii III. responsum ad episcopum Ferrariensem, relatum in cap. *Quanto. De divortiis*, ubi pontifex rogatus, num matrimonii vinculum dissolvatur, altero coniuge a catholica religione ad ethnicam superstitionem, aut ad haeresim transeunte, nequaquam dissolvi respondit; et hanc inter alias rationem affert : « *Quorumdam malitiae obviatur, qui in odium coniugum, vel* » *quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu* » *dimittere, simularent haeresim.* »

Alii praeterea, nec forsan immerito, in eo insistunt, quod impossibile prorsus esset haereticis legem Tridentinam observare; siquidem incurrerent in iram, animadversionesque ipsius sectae ministrorum, aut magistratuum; ab aliis eiusdem sectae hominibus ceu irrita, vel certe ceu illicita haberentur coniugia coram parocho catholico celebrata; verum, quod caput est, ab ipsis catholicis parochis haeretici contrahentes ad matrimonii celebrationem coram se non admitterentur (20).

(20) Cf. Carrière *De matr.* tom. II. n. 1214. qui allegat pro hac sententia plures theologos sive antiquiores sive recentiores. De quibus postea.

Hisce argumentis prima fronte non levibus, et alia haud spernenda accedunt : 1. est quod, ut adnotavit Benedictus XIV. in sua ipsa declaratione pro matrimoniis Hollandiae, « licet » Sanctitas sua non ignoraverit, alias in casibus quibusdam » particularibus, et attentis tum expositis circumstantiis, sacram » congregationem concilii pro eorum ( coniugiorum inter hae- » reticos ) invaliditate respondisse, aeque tamen compertum » habuerit *nihil adhuc generatim et universe* super eiusmodi » matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum; » ex quo sequitur, nihil obesse, quominus quis in benigniorem sententiam inclinet, eamque complectatur.

2. Est, quod licet *per se*, atque Tridentina dispositione in rigore accepta, haec matrimonia invalida dicenda essent, tamen ex Ecclesiae tacita saltem conniventia rata haberi possint ac valida. Reipsa card. Gotti, cum sibi obiecisset sac. congregationis concilii decretum an. 1602. quo irrita haec coniugia decernuntur, subdit : « Alii tamen probabile censent illos ( haereticos ), » ex *tacita* summi pontificis scientia non reclamantis dispensa- » tione, si nihil aliud obsit, valide contrahere, si contrahant » coram ministro suo, vel ubi consuetudo est, coram duobus » testibus. Et ratio est, quia Ecclesia eorum matrimonia *non* » *reïcit* tanquam illegitima (21). »

3. Est, quod haec Ecclesiae tacita conniventia non modo supponi potest, sed manifeste colligitur ex eiusdem agendi ratione : nam cum ambo coniuges ex haeresi ad professionem catholicae religionis se recipiunt, nunquam eos adigit ad renovandum consensum, quo illorum coniugium legitimum evadat, neque unquam permittit, ut novae nuptiae ineantur, ac si nulla ac illegitima haberet eiusmodi haereticorum connubia. Sic ex. gr. in Palatinatu Neoburgico, postquam ad obsequium Romanae Ecclesiae universa fere provincia rediit, nec ipsi coniuges subditi Palatinatus, nec episcopi solliciti fuere sive de renovandis matrimoniis, antea sine forma Tridentini contractis, sive de

(21) *De matr.* quaest. VIII. dub. XI. §. 3. n. 22.

procuranda super iis dispensatione; non alia profecto de causa, nisi quod uti valida haberentur eiusmodi coniugia. Accedit quod si alteruter acatholicorum coniugum convertatur, nunquam permittitur, ut dimissa haeretica parte novum cum catholica coniugium ineatur. Atque haec quidem agendi ratio, quae tacitam Ecclesiae conniventiam prodit, communis esse videtur.

4. Est, quod non modo constat de tacita Sedis apostolicae conniventia, verum etiam de expressa. Etenim Gregorius XVI. in Brevi ad episcopos Bavariae circa matrimonia mixta dato die 28. Maii 1832. inter caetera, haec, quae ad praesentem controversiam referuntur, edixit : « Post haec vix est, ut aliqua » addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii » inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars » acatholica haberet *viventem adhuc priorem coniugem, a qua* » *divortio seiuncta fuerit*. Nostis, ven. fratres, quanta ex divino » iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana » auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eius- » modi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus » atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nup- » tiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, » irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illis vere obsti- » terit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo « hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra » dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matri- » monium non permittatur, nisi postquam causa primi connu- » bii ab haeretica parte iam antea initi cognita fuerit ecclesias- » tico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium » idem fuerit irritum declaratum (22). »

In quo gravissimo documento plura sunt, quae singillatim possunt animadverti: ex eo enim constat 1. agi de matrimoniis inter haereticos initis in regionibus, quae subsunt principi catholico, cuiusmodi est rex Bavariae, in quibus tamen haeretici coalescunt in societates a catholicis separatas, adeoque suo ritu

(22) Apud Roskovàny *De matrim. mixtis* 1842. tom. II. pag. 217.

matrimonia ineunt. Constat 2. eiusmodi haereticorum coniugia a Rom. pontifice tanquam firma ac valida, et propterea indissolubilia haberi. Constat 3. ex iis coniugiis, non obstante civili divortio, exurgere impedimentum divinum *ligaminis*, quod quidem impedimentum exurgere non posset, nisi verum ratumque fuisset connubium sine parochi praesentia ab haereticis contractum. Constat 4. impedimenta canonica, seu iure ecclesiastico inducta ipsos haereticos afficere, adeo ut, si quae coniugia inter haereticos celebrata aliquo ex hisce impedimentis irretita fuissent, nulla prorsus essent, adeoque post ecclesiasticum hac de re iudicium novum coniugium iniri posse. Cum igitur laudatus pontifex loquatur de haereticis in regione degentibus, in qua decretum Tridentinum publicatum fuit, et quidem sub principe catholico, ac generatim tamen pro certo statuat ipsorum coniugia valida ac legitima esse, vix evidens non est, apostolicae Sedis conniventia obligationem celebrandi coniugia iuxta formam Tridentinam haereticos non afficere, adeoque practice Benedictinam declarationem ad omnia haereticorum coniugia extendi posse.

Atque hic quidem non erit abs re ea addere, quae Benedictus de semetipso scribit cum causa agitaretur de valore aut nullitate coniugiorum, quae in Hollandia ab haereticis celebrabantur. « Nos quidem, inquit, cum plurium annorum spatio, » antequam ad maiores dignitates ascenderemus, munera tunc » secretarii congregationis concilii Tridentini interpretis, tum » doctoris in decretis in poenitentiariae apostolicae officio, tum » etiam consultoris supremae inquisitionis exercuerimus, me- » moratorum coniugiorum discussioni interfuimus, *sed nun- » quam opinioni illi acquiescere potuimus*, per quam praedicta » matrimonia nulla iudicantur. Quare nobis continenter in » votis erat, ut aliqua se opportunitas offerret, in qua generalis » regula et lex pro eorumdem matrimoniorum aut nullitate aut » validitate statueretur; quoniam anteacto tempore nonnisi » particularia decreta in hac vel illa causa, condita erant, quae » ne inter se quidem conformia semper fuerant, propter varie-

» tatem circumstantiarum, quae modo in una facti specie » aderant, modo in altera desiderabantur (23). » Et reipsa ad pontificatum evectus suam edidit declarationem, de qua antea scripsimus.

Verum quidem est, urgent hi ipsi, qui validitatem huiusmodi coniugiorum propugnant, eam declarationem pro sola Hollandia datam esse; attamen argumenta sive motiva, quibus hic summus pontifex in ea edenda innixus est, aeque militare videntur pro caeteris haereticis ex rationis paritate.

Porro quae de coniugiis haereticorum dicunt, eadem applicant ad mixta coniugia; nimirum si haereticorum coniugia valida sunt, licet ad formam Tridentinam non celebrentur, idem dicendum erit de coniugiis mixtis, quum pars catholica eo ipso particeps censeri debeat dispensationis a norma Tridentina, quae pro parte acatholica ab huius sententiae fautoribus supponitur. Fatentur utique ad Tridentinam formam etiam haereticos teneri, qui sine statu civili ac religioso forte inter catholicos versentur; at contendunt valida esse sine parochi praesentia coniugia haereticorum sive etiam mixta in regionibus, quae protestantes dici solent vel mixtae, in quibus haeretici vel dominantur vel saltem societatem efformant a catholica societate distinctam, ut in Austria, in Galliis, in Bavaria.

Recentissime hanc sententiam in Bavaria defendit Adamus Iosephus Uhrig, professor Dilingensis (24). Clandestina matrimonia tum protestantium tum mixta valida esse docet ubicumque sint societates acatholicae, innixus potissimum declarationi Benedicti XIV. *Super matrimoniis Hollandiae* die 4. Nov. 1741. nec non litteris a Pio VII. die 20. Iunii 1805. ad Napoleonem datis, tum etiam Brevi Pii VIII. die 25. Martii 1830. atque instructioni, quam die 27. eiusdem mensis idem pontifex dedit

(23) *De synodo* lib. VI. cap. VI. n. 4.

(24) In responsione, quam dedit doctori Knopp in quaestione de extensione declarationis Benedictinae circa matrimonia Hollandiae vol. 1. in-4. Dilingae 1854.

ad quatuor episcopos provinciae Rheni inferioris. Quum vero a D. Knopp impugnatus fuerit, idem professor Uhrig sententiam suam confirmavit. Animadvertit porro supponi nullo modo posse, Tridentinos Patres decreto suo voluisse protestantium etiam coniugia irrita facere, quum ea, utpote haereticorum, a catholico parocho benedici non possent, licet id protestantes coniuges postularent. Opinionem suam confirmat S. Sedis declarationibus atque Ecclesiae praxi. Quod attinet ad matrimonia mixta, ait Tridentinam legem per se esse validam, sed quum ea non sit innixa iuri naturali aut divino, sed iuri tantum positivo ecclesiastico, contendit vim suam posse amittere ex contraria diuturna consuetudine, adeoque, ut valida haberi posse matrimonia mixta inita coram ministro acatholico, ubicumque mos hic diu invaluit, uti in Hollandia atque in Germania. Iam vero in aestu controversiae hic auctor eo usque progreditur, ut contrariam sententiam, quae tamen, ut mox videbimus, unice vera est, ut omnino absurdam vehementer insectetur.

In Galliis eadem etiam sententia de validitate fautores habuit, et quoad Gallias quidem nominatim nonnulli sunt theologi, qui diversas epochas distinguant, 1. illam scilicet, quae praecessit revocationem edicti Nannetensis; 2. illam, quae eiusmodi revocationem subsecuta est; 3. illam denique quae incoepit post edictum anni 1787. atque ad aetatem usque nostram protenditur. Nos historice ea exponemus, quae auctores quidam Galli quoad singulas has epochas tradunt.

Itaque edictum Nannetense latum est an. 1598. revocatum autem fuit an. 1685 valida fuisse protestantium coniugia ante eiusmodi revocationem plures docent Galli theologi duplici innixi fundamento; tum nempe quod haeretici tunc temporis societatem constituerent religiosam cum suis templis ac ministris, in quibus Tridentinum decretum promulgatum non fuerat; tum quod tacita saltem Ecclesiae dispensatio intervenerit, quae facultatem ratam habuit protestantibus datam in articulis secretis edicti Nannetensis, quo fiebat, ut coniugia haereticorum

cum ad Ecclesiam redirent catholicam, minime renovarentur (25).

Quoad alteram epocham vero, quae complectitur totum illum temporis tractum, qui protrahitur ab an. 1685., quo edictum Nannetense revocatum est, usque ad an. 1787. iidem auctores, qui steterunt pro legitimitate eiusmodi coniugiorum *ante* huius edicti revocationem, fere consentiunt in iisdem respuendis tanquam irritis post edicti revocationem. Cuius assertionis momenta praecipua sunt, quod cum haeretici non amplius fruerentur civili statu, subiecti erant illis paroeciis, in quibus morabantur, ideoque ad formam servandam Tridentinam adstringebantur, cum in illis concilii decretum publicatum fuisset. Quod si alicubi nuptiae aliter quam iuxta praescriptam formam initae ab haereticis fuissent, cum ad Ecclesiam catholicam redibant, istorum connubia instaurabantur (26). Exinde plures exortae illa aetate fuerunt controversiae, quas pertractant illius temporis in Gallia theologi, praesertim cum revocatione edicti Nannetensis cessaverit erga haereticos in Gallia degentes conniventia, sive tacita apostolicae Sedis dispensatio.

Circa tertiam epocham, quae desinit in annum 1787., quo Ludovicus XVI. iura civilia protestantibus in Gallia iterum concessit, ita tamen ut distinctam seu separatam communitatem non efficerent (27), usque ad aetatem nostram variae extiterunt theologorum in Galliis sententiae. Nec mirum ob tot in regno illo exortas perturbationes, atque idcirco etiam ob leges sibi invicem succedentes. Nam in ipsis Gallicae perturbationis initiis libertas absoluta cultuum promulgata est. Postea vero,

(25) Ita *Collat. Paris.* tom. III. lib. IX. conf. 1. §. 5. pag. 208. *Collat. Andegav.* VI. conf. Sept. 1724. 2. quest. pag. 213. eiusque continuator tom. IX. *bis* pag. 354. Bouniol *La voix du vrai patriote* p. 172. Iuvenin *De sacram.* diss. X. q. V. c. IV. pag. 13. Van Espen p. III. tit. XII. c. V. 17. Gohard *Traité des bénefices* tom. VII. p. 175. apud Carrière op. cit. tom. II. n. 1228.

(26) Carrière ibid. n. 1229. qui tamen cum Collet excipit protestantes Alsatiae, cum pluribus in locis huius provinciae conc. Tridentinum non fuerit promulgatum.

(27) Cf. Hunc actum ibid. n. 1230.

nimirum anno 1792. constitutum ut coniugia indiscriminatim omnia sive catholicorum sive acatholicorum coram solo magistratu seu officiali civili celebrarentur, eaque uti valida haberentur.

Duplex exinde orta opinio circa legitimitatem coniugiorum, quae toto hoc tempore ab acatholicis in Galliis inita sunt. Episcoporum plerique pro invaliditate steterunt, cum potestas civilis derogare non posset legibus ecclesiasticis, praecipue vero decreto Tridentino, quod hactenus in sua vi ac robore viguerat in Galliis universis.

Attamen non defuerunt, qui eiusmodi nuptiarum valorem propugnarent ac porro propugnent (28). Permoti autem sunt ad hanc consectandam sententiam hisce potissimum rationibus: 1. quod revocati fuerint acatholici in statum pristinum, in quo nimirum erant ante edicti Nannetensis revocationem, iam vero antea uti valida illorum habebantur coniugia; ergo valida etiam postea censeri debent; 2. quia ita fert analogia, quae intercedit inter conditionem acatholicorum in Hollandia, pro quibus suam declarationem dedit Benedictus XIV. et eam, in qua inveniuntur acatholici in Galliis, adeoque praesumi debet et ad hos conniventiam Benedictinam esse extendendam; 3. quia cum haeretici in Galliis societatem distinctam a catholicis efficiant cum suis propriis templis ac ministris, censeri debent veluti adepti plenam cultus libertatem, qui proinde coniugia sua iuxta proprias leges celebrare possunt, sin minus licite, saltem *valide*. In hanc sententiam in se spectatam satis inclinatum se profitetur D. Carrière (29).

(28) Quos inter cit. Carrière. n. 1233. allegat D. Labrunie, qui insufficiens nihilominus existimat edictum Ludovici XVI. eo quod non constituerentur protestantes in statu societatis distinctae ab Ecclesia catholica.

(29) Loc. cit.

## § II.

Argumenta proferuntur eorum, qui matrimonia sive mixta, sive acatholicorum inter se, nulla ac irrita esse contendunt, ubi decretum Tridentinum fuit publicatum.

Hactenus auctores recensuimus, qui valorem propugnant coniugiorum, de quibus agimus, et argumenta potiora, quibus sententiam suam statuere adnisi sunt. Id ipsum iam praestemus oportet tum quoad auctores tum quoad fundamenta sententiae negantis valorem eorumdem connubiorum.

Qui igitur nullius plane valoris eiusmodi matrimonia esse contendunt, pariter non pauci sunt : inter quos eminent Pignatelli (30), car. Vincent. Petra (31), Reiffenstuel (32), Lessius (33), Elbel (34), Franc. Schmier (35), Holzmann (36), Bockhn (37), Thenhaven (38), Poncius (39), Tropper (40), Collet (41), aliique magno numero, qui ab iisdem auctoribus allegantur, et qui post eosdem scripserunt usque ad aetatem nostram (42).

(30) *Consultation. canonicar.* tom. V. *consult.* LXXIX. n. 26. seqq. et tom. VIII. *consult.* CIV. n. 2.

(31) *Commentar. ad constitut. apostolic.* Romae 1711. tom. IV. ad constit. XII. Ioannis XXII. n. 24. seqq.

(32) Lib. IV. tit. III. n. 140.

(33) In *Auctuario complectente variorum casuum conscientiae resolutiones* inter eius opuscula, Paris. 1648. ad vocem *Matrimonium* Casus XVII.

(34) *De matrim.* n. 289. et n. 297.

(35) Lib. II. tract. 3. c. 5. sect. 4.

(36) In *Iure canon. practico* ad tit. *De clandestinitat. dispensat.*

(37) Tit. III. n. 35.

(38) In *Nucleo iuris canon.* lib. IV.

(39) *De matr.* lib. V. c. 7. n. 1.

(40) In *Tract. De imped. matrim.* part. II. *De clandestinit.* §. II. n. 556.

(41) *Traité des dispens.* n. LXII.

(42) Non ita pridem in universitate catholica Lovaniensi, nempe an. 1847. docta ac erudita dissertatio prodiit *De matrimoniis mixtis* ab Henric. Io Feye Amstelodamensi, in qua haec eadem sententia solide adstruitur, pars II. §. III et IV.

Istorum autem argumenta huc revocantur: *primo*, constituto semel principio ineluctabili, quod catholici subditi Ecclesiae sint, eiusque legibus vinciantur, prout et nos in superiori articulo ostendimus, et praeterea constat ex iis omnibus, quae Ecclesia constituit in universo *tit. De haereticis*, iam plane consequitur eosdem obnoxios esse legi a conc. Tridentino statutae circa formam celebrationis coniugiorum. Iam vero decretum Tridentinum, nulla interposita distinctione, nulla exceptione facta, illa omnia coniugia irrita omnino ac nulla edixit, quae fuerint celebrata iis in locis, in quibus decretum hoc fuerit rite publicatum. Igitur et acatholici hac lege obstringuntur, eorumque matrimonia nullius sunt valoris, si illis in regionibus celebrentur, in quibus illud decretum obtinet, sine praesentia parochi catholici, duorumque testium.

*Secundo:* Notum est ex historia concilii Tridentini, ideo concilium apposuisse suo decreto conditionem de publicatione in singulis paroeciis, ne irrita evaderent haereticorum connubia omnia, pro certo habens, quod ipsi non essent in suis ditionibus publicaturi hoc suum decretum. Ergo hoc ipso ostendit concilium velle se etiam haereticos, ubi publicatum fuerit suum decretum, obstringere (43).

Vel ipse Walter, professor Bonnensis, etsi de quaestione nostra haud satis definite ac perspicue pronunciet, testatur nihilominus protestantium matrimonia ab Ecclesia secundum ipsius leges iudicari, atque in matrimoniis mixtis servandam esse Tridentini formam expresse declarat, scribens: « Nei luoghi » dove il concilio di Trento è in vigore, e n'è possibile l'osservanza, debb' » essere osservato anche nei matrimonii tra un cattolico ed una acattolica » deinde mentione iniecta Declarationis Bened. XIV. pro Hollandia, concludit: « Negli altri paesi poi si sta *al diritto comune*. Cf. *Manuale del diritto eccle-* » *siastico* vers. dal tedesco. Firenze Tom. II. *Tratt. del matr.* cap. IV. §. 300 seqq.

(43) Huius rei testis est locupletissimus card. Pallavicini, qui consultus a Galliarum nuncio respondit: « *È certo* appresso i cattolici, che gl'impedimenti dirimenti statuiti dal diritto canonico, comprendono ancora gli eretici, e i loro matrimonii: imperocchè gli eretici in virtù del battesimo sono sudditi della chiesa, ne l'essersi da lei separati di fatto, gli ha potuto dissobbligare dalle sue leggi; come niun suddito, perchè di fatto si sottragga all' obbedi-

*Tertio :* Fatentur plerique omnes, coniugia mixta illis in regionibus inita, in quibus obtinet decretum Tridentinum, nullius plane esse valoris; porro non alia de causa irrita censentur ac sunt eiusmodi connubia, quam quod etiam haeretici illo obstringantur, alioquin ob individuitatem contractus, valida forent, si haeretici lege Tridentina non tenerentur; uti reipsa valent connubia haec, si pars catholica cum haeretico exempto nuptias ineat.

*Quarto :* Certum est, ut postea videbimus, declarationem Benedicti XIV. qua valida matrimonia sive inter haereticos ad invicem, sive mixta in Hollandia celebrata aut celebrantur, edicuntur, extensam esse ad plures regiones, in quibus haeretici dominantur, ut deinceps legitima seu valida illa haberentur, etiam praetermissa concilii Tridentini forma, quamvis eius decretum fuerit ibi publicatum. Ergo, inferunt, sine tali declaratione, nulla forent, prout etiam expresse saepius a sacris congregationibus, et a Rom. pontificibus declaratum est; tot igitur habentur ineluctabiles probationes de nullitate eiusmodi coniugiorum quot sunt regiones, ad quas Benedictina declaratio extensa est; alioquin prorsus inutilis eiusmodi extensio foret.

enza del suo principe, rimane sciolto dal debito d'osservar le sue costituzioni... Quando nel concilio di Trento si trattò d'annullare pel tempo avvenire i matrimonii clandestini, e di praescrivere a quaesto fine una nuova forma essenziale, fu opposto che ciò cagionarebbe litigi di legitimità e d'eredità; perchè tal forma dagli eretici non sarebbe osservata; e fu pensato di provedere a ciò con quella condizione, che tal decreto non obligasse, se non un mese da poi, che fosse publicato nella parochia: consideratosi, che tal publicazione non avverrebbe ne' paesi degli eretici, e cosi non si renderebbono nulli i loro matrimonii; *il che mostra che la chiesa ha inteso che gli eretici siam obligati non solo dalle sue leggi passate, ma eziandio dalle future.* L'altra è, che qualunque volta si convertano alla religione cattolica marito e moglie eretici, fra quali fosse impedimento dirimente, chiedono, e sogliono ottenere la dispensa di nuovamente contrarre. Lo che rende chiaro, che la chiesa, e comun senso de' cattolici ha quelli antecedenti matrimonii *per nulli*, come contratti dagli eretici contro la prohibitione ecclesiastica dirimente. » *Nelle lettere discorsive* fol. 113. apud Vinc Petra in *Comment. ad Constit. XII.* Ioannis XXII. n. 36.

Quorsum enim declarationem illam extendere, si valida iam celebrantur illis in regionibus connubia?

*Quinto* subdunt; illa unice vera sententia censenda est, quam theoretice ac practice ecclesia Romana seu apostolica Sedes iugiter a celebratione concilii Tridentini ad hanc usque diem consectata est; talis vero est ecclesiae Romanae doctrina et praxis, ut nulla constanter habuerit sive acatholicorum coniugia inter se, sive coniugia mixta, quae inita fuerint aut ineantur illis in locis, in quibus decretumTridentinum publicatum ac receptum est, nisi intervenerit aut interveniat Ecclesiae dispensatio. Idque sensit servavitque nulla ratione habita conditionis, in qua acatholici inveniantur, nempe sive cum catholicis commixti sint, sive peculiares distinctosque coetus constituant; item tum sub principibus catholicis, tum sub principibus acatholicis.

Quum vero hic agatur de facto adstruendo, quod nonnisi documentis constare potest, se vertunt ad ea congerenda; eaque promunt ex constitutionibus, brevibus, decretis, responsis, quae data sunt immediate a Rom. pontificibus, nec non ex rescriptis, instructionibus, responsis, quae emanaverunt a sacris Romanis congregationibus, quae Rom. pontificum instrumenta et organa sunt, quibus eorum mens patefit, nec unquam absque expressa ipsorum approbatione promulgari consueverunt; quo fit ut sac. congregationum responsa cuique privatorum theologorum aut canonistarum auctoritati praeferri debeant et anteponi.

Hoc praeiacto fundamento, in medium proferunt eiusmodi documenta.

Nos ut ea ob oculos subiiceremus in unum veluti collecta ex diversis istius sententiae auctoribus, una cum caeteris, quae nobis comparare potuimus, elenchum veluti quemdam eorum confecimus, quem hic exhibemus. Quandoquidem autem plura haec documenta sunt, ne inordinate ac sine delectu id praestaremus, hunc consectati sumus ordinem, ut prius afferamus, quae respiciunt peculiares regiones, deinde quae generalia sunt, sive agatur de coniugiis acatholicorum inter se, sive de coniugiis mixtis; cum una eademque sit omnium ratio.

## §. III.

Apostolicae Sedis decreta circa Matrimonia acatholicorum inter se, et Matrimonia mixta, ubi publicatum ac receptum est decretum Concilii Tridentini

Atque ut incipiamus a documentis, quae Galliam respiciunt, de qua ultimo loco disseruimus, primum sit responsum, quod a suprema SS. inquisitionis congregatione datum est an. 1818. die 19. Iulii vicariis capitularibus Pictaviensibus, qui exposuerunt quod cum « Hodie protestantes *statum civilem* in Galliis » habeant, *societatemque religiosam efforment a societate catho-* » *lica distinctam*, *quae suos ministros* suosque usus habent.... » Resp. sacra congregatio : « Vicariis capitularibus Pictavien- » sibus presse et stricte respondendum esse *iuxta responsiones* » *alias datas* consimilibus postulatis, nempe quoad matrimo- » nia, quae in praesenti rerum statu contrahuntur in Galliis » sive a protestantibus *inter se*, sive ab una parte protestante » et altera catholica, *non servata forma concilii*, an valida » habenda sint, prout valida declaravit Benedictus XIV. matri- » monia simili modo in Hollandia contracta : scilicet respon- » dendum esse : decretum Benedicti XIV. an. 1741. editum » super matrimoniis Hollandiae *taxative* respicere *tantum* » matrimonia *in iis provinciis* contracta vel contrahenda, *non* » *autem alia matrimonia in aliis locis et provinciis* inita vel » ineunda, quibus idcirco applicari nequit *absque nova et* » *speciali S. Sedis declaratione ;* multo magis in Galliarum » regno, ubi decretum concilii Tridentini de refor. matr. sess. » 24. cap. 1. absque ullo dubio immediate post concilium » publicatum fuit in universis provinciis, et constantissime » observatum (44). »

Haec verba aperta sunt, nulloque indigent commentario; ex his enim patet, 1. legem Tridentinam vix sancitam in universis

(44) Huius decreti, seu potius renovationis responsionum, quae olim iam datae fuerant, tenor legitur apud Pages *Dissert. sur le prêt.* 1. part. 165. eiusque meminit D. Carrière loc. cit. n. 1226. et 1231.

Galliae provinciis promulgatam fuisse constantissimeque servatam; 2. constitutionem Benedictinam per analogiam haud posse extendi ad alias provincias extra Hollandiam seu status Belgii foederatos, sed opus esse *speciali S. Sedis declaratione;* 3. matrimonia ab haereticis in Galliis sive coaluerint in coetum seu societatem distinctam sive non, inita aut ineunda, praetermissa forma Tridentina, esse prorsus invalida ac nulla.

De datis olim eiusmodi responsionibus, quarum mentio fit in hoc rescripto, nulla esse poterit dubitatio ei, qui animadverterit iamdiu a Pio VI. constituta. Is enim in Brevi *Laudabilem* 26. Sept. 1791. ad episcopos Galliae : « In Galliis, inquit, debent » matrimonia coniungi a suo parocho legitimo, vel alio sacer- » dote de eius vel ordinarii licentia; nam matrimonium aliter » celebratum nullam vim haberet ob celeberrimam Tridentini » concilii legem de clandestinis matrimoniis in *illius regni* » *parochiis promulgatam et constantissime* observatam. » Item in *Inst.* ad episc. Lucionensem 28. Maii 1793. « Frustra quaes- » tionem modo moveri, cum Tridentini concilii decretum publi- » catum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit. Cum enim certo » certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, » ut matrimonia celebrentur coram parocho et duobus vel tri- » bus testibus tanquam in exequutionem decreti concilii Triden- » tini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta » eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione » edita a S. C. concilii die 29. Sept. an. 1602., quae refertur » lib. 10. decr. pag. 47. *Publicationem praesumi ubi decretum* » *fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum concilii* » *observatum*. Idemque statutum legitur in alia resolutione die » 30. Martii 1669. »

Haec ipsa vero magis evoluta sunt in resolutionibus dubiorum particularium, quae proposita sunt sac. congregationibus. Idcirco nos paucas, speciminis gratia subiicimus ex iis, quae datae sunt pro Galliis. In dioecesi Valentiae 11. Febr. 1799. in quodam pago, ubi catholici numero parum excedebant haereticos, quaedam Victoria Ithien *catholica* se matrimonio iunxit cum

Antonio Thibaud *protestante*, ast tantum civiliter, *cum ad superiorem legitimum, vel alium sacerdotem ab ipso deputatum facile recurri poterat*. Orto vero inter contrahentes dissidio, divortio legali ab invicem se separarunt 26. Augusti 1801. Deinde praedicta Victoria an. 1804. novum attentavit coniugium civile cum Francisco Talon catholico. Factorum suorum poenitens suaeque conscientiae satisfacere cupiens, petiit, ut *nullum* declararetur primum matrimonium, quod contraxerat cum Thibaud adhuc in vivis agente, et sic legitime coniungi posset cum Talon. Suprema S. officii congregatio feria IV. 23. Mart. 1808. respondit. « Quatenus constet per legitimas proba-
» tiones, primum matrimonium fuisse contractum tempore, quo
» erat facilis et tutus accessus ad parochum catholicum, idem
» matrimonium esse *nullum;* ideoque nihil obstare, quominus
» secundum matrimonium ab oratrice contractum cum viro
» catholico renovari possit, servata forma concilii Trid., dum-
» modo non aliud obstet canonicum impedimentum. »

Possem alia non pauca documenta eiusmodi proferre, atque occasione data, alia etiam inferius afferam, quae omnia in unam eamdemque sententiam conspirant, nimirum nulla esse coniugia, quae in Galliis quovis tempore ab haereticis inter se celebrata sunt, sive obtinuerint sive non obtinuerint statum, quem civilem vocant. Apostolica Sedes semper sibi constans fuit in reiiciendis uti nullis ac invalidis eiusmodi haereticorum connubiis, eo quod ex una parte illi constiterit ab initio in universis provinciis decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum fuisse; ex altera vero Benedictinam decretalem an. 1741. pro Hollandia, statibusque foederatis Belgii datam, sine speciali eiusdem Sedis extensione ad alias regiones, ius commune non immutare. Quapropter illa diversitas epocharum superius commemorata inutilis prorsus est; quaecumque enim fuerit ac sit in Galliis haereticorum conditio, nulla unquam olim neque nunc temporis valida fuerunt habita, atque habentur ipsorum coniugia a Sede apostolica.

Neque hic praetermittere debeo ad dictorum confirmationem,

praxim esse constantem supremae sac. inquisition. congregationis admittendi instantias ex Galliis sibi oblatas, in quibus pars catholica post attentatum coniugium mixtum coram ministro acatholico et officiali civili ut suae conscientiae prospiciat, petit matrimonii convalidationem. Hisce in casibus, si pars heterodoxa nolit suos abiurare errores, dispensatio conceditur ea sub praescriptione, ut coniuges consensum suum renovent coram parocho ac duobus testibus, perinde ac si primum tunc matrimonium inirent. Quod si rerum adiuncta urgeant, ac pars acatholica novum praebere consensum reluctetur coram parocho catholico, solet dispensationem concedere *in radice* (45). Ex qua agendi ratione patet, veluti coniugia attentata, adeoque uti invalidas eiusmodi nuptias a Sede apostolica spectari, utpote non celebratas iuxta formam Tridentinam. Praeterea eadem sac. congr. absolvit a censuris incursis, si iis interfuerit minister acatholicus, atque iniungit renovationem consensus coram parocho catholico, aut concedit sanationem *in radice*. Adeo verum est sanctam Sedem tanquam nulla ac irrita spectare coniugia mixta in Galliis celebrata, quoties omittitur forma a concilio Tridentino praescripta.

Quae de Galliis diximus, eadem de aliis regionibus sive catholicis sive acatholicis sive mixtis dici debent, adeo ut generale sit principium, coniugia sive haereticorum sive mixta, ubi publicatum fuit decretum Tridentinum *Tametsi* et quo Benedictina constitutio pro Hollandia speciali ratione ab apostolica Sede extensa non est, esse irrita ac nulla. Si qua sit circa generale hoc principium exceptio, eam postea exponemus.

Hoc vero principium novis adstruimus documentis Romanarum congregationum pontificumque responsis.

Sane, quamvis celebris Benedicti XIV. declaratio pro Hollandia an. 1741. ob adiunctorum paritatem in alias quoque regiones implicitam habere videri posset extensionem pro valore eius-

(45) Ex hac sac. congregationis praxi magis confirmatur, quod antea diximus, ad sanationem coniugiorum in radice opus haud esse renovationis consensus, imo et obluctante alterutra parte, posse coniugium sanari.

modi coniugiorum, attamen contrarium constat ex responsione, quae anno insequenti, scilicet 1742. facta est a congregatione concilii sub oculis et approbatione Benedicti XIV. ipsius. Siquidem Ulmae in dioecesi Constantiensi quidam Marcus Christophorus Burk, dioecesis Augustanae catholicus, nuptias contraxerat cum muliere Lutherana, Anna Maria Megelin, coram ministro Lutherano. Hinc sac. congregationi propositum fuit dubium : « An constet *de nullitate matrimonii in casu etc.* » Sac. congregatio priusquam dubium solveret sollicite quaesivit : *Num concilii Tridentini decreta fuerint in Ulmensi civitate promulgata;* itidemque num forma ineundi matrimonii a laudato concilio praescripta consueverit ibidem *aliquando servari*? « Cui inquisitioni respondit episcopus Constantiensis his verbis : « Extare » *etiamnum* Ulmae ecclesiam catholicam a canonicis regularibus » S. Augustini inofficiatam, ad quam, *aliis dictae civitatis eccle-* » *siis ab heterodoxis occupatis*, cura animarum et iura paro- » chialia translata sunt, et *in hac* decretum S. concilii Triden- » tini fuit *promulgatum*, et etiamnum conformiter statutis » synodalibus huius dioecesis Constantiensis singulis annis pro- » mulgatur. A catholicis, quorum *aliquot familiae* usque in » praesentem diem Ulmae habitant, dictum decretum S. conc. » Tridentini inviolabiliter *observatur*. Adest et semper adfuit » Ulmae parochus catholicus, qui sacramenta administrat, et a » quovis catholico commode adiri potest. » Qua informatione accepta, ad propositum dubium sac. congregatio resp. *Affirmative;* seu constare de nullitate eiusmodi matrimonii. Agebatur tamen hoc in casu de regionibus, in quibus eadem rerum adiuncta vigebant ac viguerint in Hollandia. Nam Ulmae publicatum fuerat decretum Tridentinum, ibi etiam haeresis *impune grassabatur*, cum haeretici, expulsis catholicis, eorumque ecclesiis occupatis, dominarentur; vix anno anteacto declaratio Benedictina data fuerat, nihilominus coniugia ibidem absque Tridentina forma celebrata, nulla defectu clandestinitatis declarata sunt. Nullum igitur dubium superesse potest dispositionem Benedicti XIV. esse localem ex Sedis apostolicae mente, neque

ad casus similes extendi posse sine novo et explicito eiusdem Sedis decreto, quo ad alias regiones extendatur.

Sed praestat ad quaestionem prorsus dirimendam tum antiquiora tum recentiora documenta in medium proferre. Atque ut a matrimoniis mixtis incipiamus, primum mihi sese offert instructio a Sede apostolica data ad episcopum Rosnaviensem. Cum enim anno 1780. ille episcopus inquisivisset, utrum declaratio Benedictina debuerit haberi extensa ad Hungariam, respondit S. Sedes : « Donec per S. Sedem aliter declaratum fuerit, tan» quam *pro non extensa* ad Hungariam ab omnibus censenda » sit; » adeoque connubia mixta ibi clandestine celebrata tanquam irrita habita fuerunt. Quod magis confirmatur ex aliis eiusdem instructionis verbis : « Quamvis matrimonia mixta *coram* » *parocho catholico* absque alio dirimente impedimento cele» brata, valida dignoscantur, » iuxta regulam ab omnibus admissam, quod *inclusio unius est exclusio alterius*.

Aliud suppetit documentum in responsione data ad vicarium apostol. Bredensem, qui mense Decem. an. 1828. cum exposuisset : « In provinciis catholicis Belgii de tempore in tempus » detestabilia coniugia inter *catholicos et acatholicos* ineuntur » coram magistratu civili, non servata forma a Tridentino » praescripta; quod cum declaratio sa. mem. Benedicti XIV. » circa matrimonia Hollandiae data 4. Nov. 1741. *ad provincias* » *catholicas* Belgii, hactenus, ut putamus, *extensa non sit*, de » valore istorum matrimoniorum non constat, quod non raro » contingit, quod tali modo coniuncti homines ad nostrum » tractum, qui est in *confinio* dictarum provinciarum, deve» niant, ac in eo ut legitimo matrimonio iuncti vivant. Quamo» brem confessarii magnopere torquentur, ignorantes quomodo » sit procedendum cum parte catholica, si poenitentia ducta ad » tribunal poenitentiae sese praesentet; nam *admonere de* » *matrimonii nullitate non audent, nec, ut reor, expedit propter maiora mala inde verisimilius secutura*, cum civiliter » validum legitimumque habeatur tale coniugium. Quare EE. » VV. humiliter rogo, ut modum mediumque aliquod tuto

» procedendi in casu praescribere dignentur. » Cumque negotium istud, ut par erat, magna diligentia excussum fuerit, an. 1829. responsum est cum summi pontificis approbatione, quod « S. Sedes, ubi decretum concilii Tridentini publicatum fuit, » neque fuit extensa declaratio Benedicti XIV. *tanquam nulla* » *habet matrimonia celebrata contra formam Tridentinam:* ideo » recurrat in casibus particularibus pro opportuno remedio. »

Cumque an. 1847. propositus fuerit ab episcopo Fluminis Ianuarii (*Rio-Ianeiro* in Brasilia) insequens casus supremae SS. inquisit. congregationi : « Agnes et Paulus in Gallia, illa » *catholica* iste autem *acatholicus*, matrimonium inierunt *Pari-* » *siis*, sex vel septem ab hinc annis iuxta legem civilem, et a » ministro acatholico benedictionem acceperunt; illi, qui nunc in » suprema dicta dioecesi (Rio-Ianeiro commorantur, post bien- » nium, cum vitam maritalem amplius agere non valerent propter » graves dissentionum causas inter se ortas, auctoritati civili in » dicta dioecesi se stiterunt, et cum conciliari non possent, sepa- » rationem perfectam et absolutam pacti fuerunt, tanquam si » nunquam matrimoniun contraxissent. Quare Agnes episco- » pum consuluit, an liberum illi sit alium virum catholicum » ducere, prout in votis habebat; seu quod idem est, quodnam » iudicium efformandum sit de illo suo matrimonio cum Paulo » contracto? Agnes et Paulus filios non habent. » S. congr. res- pondit : « Iuxta exposita matrimonium Parisiis contractum esse » nullum et irritum; ideoque nihil obstare, quominus oratrix » ad alias nuptias licite ac valide transire valeat. »

Sic cum pariter proposita fuerit quaestio ab episcopo Corcy- rensi an 1726. « An matrimonia inter protestantem mulierem- » que catholicam Corcyri celebrata cum assistentia parochi mu- » lieris, aut praetermissa adsistentia parochi proprii, valida » haberi debeant, eo quod casus frequens sit inter viros graecos » et mulieres latinas? » Die 9. Octobr. a suprema S. officii congr. responsum fuit : « Matrimonia contracta inter virum haereticum » et mulierem catholicam absque praesentia parochi proprii in » locis, ubi publicatum est conc. Tridentinum, non sunt valida,

» non obstante contraria consuetudine, quae corruptela est, et » ideo tollenda; si vero sint celebrata coram proprio parocho » mulieris catholicae, erunt valida quidem, sed illicita. »

Insuper ab eadem suprema S. officii congregatione an 1803. decretum editum est die 3. Novembr. de nullitate mixti connubii clandestine in insula Melitensi celebrati.

Itaque extra omnem dubitationis aleam positum est coniugia mixta in locis, ubi conc. Tridentinum promulgatum est, celebrata, forma ab eodem concilio statuta praetermissa, nulla prorsus esse, nisi expresso et speciali Sedis apostolicae indulto fuerit extensa declaratio Benedictina. Idque valet sive acatholici permixti sint cum catholicis, neque templa, ministros, cultumque distinctum habeant, sive coaluerint in societatem distinctam cum suis templis, ac ministris, nec non sive sub principe catholico, sive sub principe acatholico degant.

Documenta, quae attulimus, ad regiones fere pertinent, in quibus catholici principes dominantur. Vix non supervacaneum videretur post haec alia documenta addere, quae ad regiones referuntur in quibus protestantismus vel alia secta haeretica est religio Status, quaeque acatholicis principibus subduntur. Nam ut ex afferendis documentis videbimus, non modo in regionibus protestantium, verum etiam in regionibus infidelium, seu Turcarum, et gentilium forma Tridentina in matrimoniis christianis servanda est sub nullitatis poena, ubi concilium publicatum fuit.

Hactenus de matrimoniis mixtis; iam quaedam documenta afferenda sunt quibus clandestina matrimonia etiam haereticorum inter se invalida declarantur.

Congregatio concilii die 19. Ian. an. 1605, in rescripto ad episcopum Trichariensem, nuncium apostolicum in Belgio, respondit: « Haereticos quoque, ubi decretum conc. Tridentini est pu- » blicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum » matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro » haeretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita » esse (46). »

(46) Hoc rescriptum referunt Gobat tract. IX. c. 17. sect. 1. n. 464. Diana

Et in una Bosnensi 14. April. 1631. quoad eos, qui absque forma concilii matrimonium contraxerunt, respondit : « Si in ea » regione decretum concilii observari consueverit, nulla esse » matrimonia, in quibus contrahendis parochus non fuerit adhi- » bitus (47). »

Eadem ratione respondit sacra poenitentiara in casu, quem refert Elbel, qui responsum profert, quo Lutherano ad fidem catholicam converso, qui in loco, ubi Tridentinum decretum publicatum fuerat, coram ministro haeretico matrimonium iniverat cum muliere pariter acatholica, facultas datur novum cum catholica inundi coniugium coram parocho (48).

Huc accedit solutio quaesiti seu dubii his verbis propositi an. 1843. ab episcopo Vivariensi in Galliis : « *Duo acatholici* matrimonium contraxerant, quorum unus postea religionem catho- » licam amplexus est. Tenetur ne, ut stet matrimonium, con- » sensum matrimonialem coram parocho renovare, aut potius » pars, quae catholicam religionem amplexa est, circa validita- » tem matrimonii in bona fide est relinquenda? » Cumque interrogatus fuisset episcopus circa particularia propositi casus adiuncta, respondit apposito scripto; cum publicatum fuit decretum Tridentinum circa necessitatem praesentiae proprii parochi ad matrimonii valorem, protestantes in illa dioecesi magno numero fuisse, distinctamque constituisse societatem religiosam, quae suas habebat conciones, suos ministros, suumque cultum; ex his inferebat, decretum Tridentinum spectari posse tanquam non satis promulgatum, eo vel magis, quod aetate illa haeretici saepe in bello adversus catholicos versarentur. Adiecit prae-

part XI tract. VI. resp. 1. Tamburinius *De matr.* lib. VIII. tract. VI. c. 2. § 2. n. 11. aliique passim.

(47) Apud Pascuccium tom. IV. in indic. ad Pignatelli verb. *De matrim.* §. *Statuendum* ; nec non apud Matthaeuccium *Cautela confess.* lib. IV. c. VIII. §. 16. n. 101. Alia cf. apud Thenaven, Bockhn, et Apolonium Holzmann tom. II. *De matr.* tract. II. n. 480

(48) Elbel *Theol. moral. sacramentalis tripartita* part. III. confer. 12 n. 299. Cf. etiam Reifenstuel *Theol. moral*, cum accessionibus Kresslinger et Kirkl tom. II. tract. XIV. n. 149.

terea quod, quamvis nunc valde imminutus sit in sua dioecesi protestantium numerus, attamen supra triginta adhuc millia reperiantur; et licet saepe contingat ambos coniuges in sinum religionis catholicae se recipere, nihilominus interdum alteram tantum partem catholicam religionem profiteri, dum altera in propria secta adhuc permanet; in utroque vero casu aegre coniuges induci ad renovandum consensum coram parocho, cum hoc implicitam confessionem includat, se hactenus in concubinatu vixisse. Responsum porro est ad propositum dubium a sac. congregatione supremae inquisitionis die 8. Iulii 1848. « Praevio recessu a decisis sub feria IV. 14. Ianuar. 1846. » Consulendum SS. pro responsione dirigenda episcopo Vivariensi » iuxta mentem patefactam an 1737. in causa Iprensi a S. congr. » concilii, nempe coniuges de validitate matrimonii non dubi» tantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione » sacramentorum arcendos fore. Peculiares vero casus et circum» stantias eorum, qui scrupulis super suorum matrimoniorum va» liditate anguntur, oportere ab eodem episcopo distincte exponi.» Haec autem resolutio ab alia particulari congregatione adoptata est, quae insuper addit: « Quamvis autem *nulla sint haec ma*» *trimonia*, consultum tamen quam maxime erit in casibus particu» laribus recurrere ad Sedem apostolicam, expositis omnibus » facti circumstantiis, quae tunc modo magis opportune huic rei » providebit. »

Huc pariter spectat responsio emissa a sac. poenitentiaria die 28. Mart. 1834, cui, quum proposita fuissent nonnulla dubia ab episcopo Gratianopolitano; tertium istorum dubiorum ita se habebat: « Utrum matrimonia ab haereticis *inter se* inita, » aut *cum catholicis* iuxta solas leges civiles, seu *coram minis*» *tro haeretico* sine praesentia parochi catholoci *valida sint* in » Galliis, et *in aliis regionibus*, ubi, uti in Galliis, protestantes et » haeretici omnes habent suos ministros, templa, seu statum » legalem a gubernio probatum. » Respondit: Ad. 3. *Negative*, exceptis regionibus de quibus loquitur Benedictus XIV. in declaratione die 4. Novemb. 1741., atque ad quas per successores suos illa eadem declaratio extensa est. »

Iam ab anno 1678. totam hanc doctrinam perspicue accurateque proposuerat S. Congregatio concilii in decreto, quod, Innocentio XI. expresse probante, vulgavit, in quo tria haec edicuntur: « Ubi decretum eiusdem concilii (Trid.) cap. I. » sess. XXIV. De reform. matr. *Non* est publicatum in parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formae a concilio praescriptae. II. Publicationem praesumi, ubi » decertum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum concilii observatum. III. *Haereticos etiam*, ubi decretum » dicti capitis est publicatum, teneri talem formam observare, » et propterea ipsorum matrimonia absque forma concilii, » quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, *nulla et irrita* esse (49). »

Eadem responsa magno numero habentur S. Congreg. concilii, quae vulgatissima sunt; nos aliquot exhibebimus, alia indicasse contenti, ne nimis prolixus evadat hic noster elenchus. Igitur iam ab an. 1572. die 19. Maii sac. congr. concilii resolvit: « Nullum esse matrimonium contractum coram parocho, » haeretico, si decretum concilii c. I. De reform. matr. publicatum fuerit in parochia, et lapsi erant triginta dies a die prima publicationis (50); » et iterum die 26. Sept. 1602. sac. congregatio dicerte pronuntiavit: « Haereticos quoque, ubi » decretum dicti cap. I. est publicatum, teneri talem formam » observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia, absque » forma concilii, quamvis corum ministro haeretico vel magis» tratu loci contracta, nulla atque irrita esse (51). » Quod decretum, ut vidimus, alias confirmatum passim fuit. Idem responsum datum fuit in una Poloniae an. 1638. (52); item in una Ruremondensi an. 1676, item in una Gedanens. an. 1677.;

(49) In *Tricatiensi* 8. Ianuar. 1678.

(50) Lib. X. *Decret.* p. 47.

(51) Apud Vinc. Petra in *Comment.* ad Const. XII. Ioannis XXII. n. 20. et apud Pignatelli *Consult. canon.* 79. n. 27.

(52) In Act. *De matrim. inter haereticos et inter haeret. et cathol.* Reverendiss. P. D. *Cavalchini.* Romae 1741. E., p. III. p. LI.

item in una Hollandiae an. 1681. ; item in una Boscoducensi an. 1685. (53) ; item in Coloniens. an. 1719. in Moguntina 1721. (54); item in una Paderborn. an. 1725. (55) : in una Coloniens. an. 1725 (56) ut alia praeteream.

In suprema congr. S. Officii feria IV. 18. Iunii 1831. discussum fuit dubium propositum ab episcopo Cameracensi : « Utrum in dioecesi Cameracensi, ubi conc. Tridentinum promulgatum fuit, haberi debeant matrimonia protestantium, » qui nunquam religionem catholicam amplexi sunt, quique coram magistratu civili tantum contraxere , *veluti nulla* aut » *veluti dubia ?* » Responsumque ab eadem est « matrimonia » ibi *inter haereticos* contracta habenda esse ab Ecclesia *tanquam invalida.* »

Eadem responsio ab hac ipsa congreg. , data est vicario generali Parisiensi D. D'Astros , non obstantibus rationum momentis ab eo prolatis pro valore coniugiorum, quae contrahuntur ab haereticis *inter se* in Galliis, et quamvis affirmaverit firmam ibidem sententiam praevalere de eorumdem coniugiorum valore : idque feria IV. die 26. Febr. 1817.

Atque haec documenta attulisse sufficiat, quae collecta sunt tum ex congr. suprema SS. Inquisitionis , tum ex Congr. Concilii , tum ex sac. poenitentiaria , aut ex responsis summorum pontificum , quaeque unanimi consensione conspirant in pronunciandis invalidis coniugiis clandestinis omnibus, quae celebrata fuerint , aut celebrentur sive ab haereticis inter se , sive ab haereticis cum catholocis ubicumque semel fuerit decretum Tridentinum promulgatum. Nam plura alia mihi praesto essent , quae luculenter evincunt, constantem hanc fuisse et esse Sedis apostoliae doctrinam et praxim, quaeque proferre possem, si opus adhuc esset post ea, quae hactenus adduxi. His addunt impugnatores

(53) Ibid. in Act. p. LIII.
(54) Ibid. p. LX.
(55) Ibid. p. V.
(56) Ibid. p. LX.

valoris eiusmodi coniugiorum, *nunquam* Ecclesiam vel unico in casu ratum habuisse coniugium, quod ab haereticis in locis, in quibus publicatum est decretum Tridentinum, celebratum fuerit, multo vero minus coniugium mixtum.

## §. IV.

Argumentorum, quae pro utraque sententia allata sunt, epicrisis.

Eo quo par est animi candore argumenta, quae a theologis ac iuris canonici peritis ad propugnandum proprium placitum urgeri consueverunt, attulimus; nunc vero ea invicem conferre debemus, eorumdemque vim expendere, ut, quae nobis magis probetur, sententia demum promatur.

Expendentes igitur fundamenta, quibus innituntur propugnantes coniugiorum, de quibus agitur, valorem, deprehendimus huc ea revocari: 1. Noluisse concilium haereticos suo decreto obstringere, ut patet ex clausula de publicatione ipsius decreti in singulis paroeciis ad incommoda vitanda, quae alioquin orirentur; 2. nihil adhuc generatim et universe ab apostolica Sede definitum; 3. praesumendam esse eiusdem apostolicae Sedis conniventiam aut tacitam, vel etiam manifestam, eo quod ab haeresi conversos non adigat ad renovationem consensus coram parocho ac testibus; praesertim vero 4. ex Brevi Gregorii XVI. ad episcopos Bavariae, in quo tanquam valida ea haereticorum connubia perinde ac mixta perhibentur; 5. urgent haesitationem Benedicti XIV., imo et contrariam eius mentem cum hoc negotium in congregationibus Romanis agitaretur, quae supponi nequeunt, si quidpiam certi fuisset ab Ecclesia aut ab apostolica Sede statutum; 6. impossibilitatem adimplendae formae Tridentinae tum ex parte haereticorum, tum ex parte catholicorum, cum prohibeantur parochi, etiamsi vellent haeretici coram ipso consensum suum emittere, illorum coniugiis assistere; 7. diversam de-

mum sentiendi et agendi rationem, quae circa eiusmodi coniugia pro diversis epochis obtinuit in Galliis.

Porro, ut patet, eiusmodi argumenta magna ex parte non prae se ferunt nisi meras coniecturas, easque levis admodum momenti.

Etenim, noluisse concilium suo decreto haereticos obligare, est aperte contra veritatem ; conditio ipsa seu clausula, quae a Tridentinis Patribus apposita est de publicatione sui decreti in singulis paroeciis, ut vim habeat, et quidem post mensem a publicatione, liquide ostendit mentem fuisse concilii obligandi etiam haereticos ubicumque fuerit suum decretum publicatum ; alioquin frustra illam conditionem apposuisset. Praeterea id ipsum luculenter constat ex eiusdem concilii historia, ut vidimus. Ergo primum hoc argumentum eliminandum est.

Nihil esse ab apostolica Sede hac de re universim definitum, verissimum est, cum eiusmodi definitione opus non sit, eo ipso quod iamdiu ab ipso concilio res fuerit definita generali suo decreto, quo omnes indiscriminatim abstrinxit ad servandam formam a se constitutam in celebratione coniugiorum sub nullitatis poena. Adeoque et hoc secundum argumentum eliminari debet.

Praesumi vero non posse apostolicae Sedis sive expressam sive tacitam conniventiam, abunde liquet ex perpetua, iugi, constantique eius agendi ratione. Ex ea enim constat tum *negative*, tum *positive*, nunquam ipsam connivisse. Negative quidem, quia nec unum proferri potest exemplum, quod ratum ipsa habuerit coniugium sive ab haereticis inter se celebratum, sive mixtum sine forma Tridentina initum ubi publicatum fuerit concilii decretum. Positive, ut patet ex omnibus resolutionibus, quae datae sunt sine a Rom. pontificibus, sive a sacris congregationibus a sec. XVI. usque ad medium seculum XIX. nempe quoties in casibus particularibus super his consulta fuit. Exinde contrariae sententiae theologi sic potius suum instaurant argumentum. Quando contraria legislatoris voluntas est manifesta, nec benignae interpretationi, ut evi-

dens est ac receptum in materia *de legibus*, locus relinquitur, neque contraria consuetudo vim ullam habere valet, utpote cum ad eam, ut potens sit ad abrogandam legem, tacitus saltem et legalis legislatoris consensus sit necessarius (57). Porro tantum abest, ut apostolica Sedes siluerit, ut innumeras pene contrarias declarationes ad hanc usque diem emiserit. Quod si in aliquibus particularibus casibus ex prudentiae regula matrimonia isthaec invalida expresse non declaravit, maioris damni vitandi causa, privatim nulla ea fuisse edixit; quo spectat illa formula: *ad mentem;* deinde subditur: *mens est non esse valida censenda* (58). Idcirco tertium pariter hoc argumentum de conniventia apostolicae Sedis eliminandum est.

Gregorium vero XVI. in Brevi ad episcopos Bavariae expressam S. Sedis conniventiam nulla prorsus ratione significasse, exinde patet quod in eo de clandestinitate coniugiorum ne verbum quidem habeatur. Totus igitur summus pontifex fuit in asserenda coniugiorum firmitate, quae semel legitime ac valide sive ab haereticis inter se, sive cum catholicis fuerint celebrata. Adeoque extranea omnino sunt, quae ab adversariis dicuntur, a quaestione hac nostra. Imo non desunt documenta, quae evincant Gregorium XVI. oppositam prorsus sententiam

(57) Cf. S. Thom 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3. nec non Suarez *De legibus* lib. 7. cap. 18 n. 20. quorum vestigiis inhaerent doctores plerique omnes. Plura de hoc principio invenies in Dissert. Domin. Turani soc. Iesu *De mente conc. Trident.* part. II. §. 7. inter *Folia sacr. congreg. concilii* edita a reverendiss. P. D. Cavalchini. Romae 1741.

(58) Cf Nepom. Tropper ex ord. min. *Tractatus duo in quibus impedimenta matrimonii contractum impedientia et dirimentia explanantur.* Monachii 1653. part. II. n. 557.

Reipsa in causa *Hollandiae matrimoniorum.* 25. Augusti 1681. et in causa Boscoducensi 13. Febr. 1683. sacr. congr. censuit abstinendum ab expressa resolutione, sed rescripsit: *Secretario cum Sanctissimo ad mentem.* Ut autem exponit card. Petra loc. cit. n. 23. seq. « Sententia quidem sac. congrega-» tionis erat, matrimonia haereticorum cum catholicis coram ministro hae-» retico iis in locis contracta, esse invalida, sed tamen non expedire huius-» modi declarationem edere, ne catholici nimium gravibus obiicerentur pe-» riculis. »

tenuisse, quae partim allata sunt, partim afferentur (59). Igitur et hoc fundamentum nullum est, adeoque concidunt, quae superstructa sunt ; eo vel magis quod provinciae protestantes regno Bavariae adiectae non fuerint nisi post ita dictam *restaurationem* nempe an. 1814. ac praeterea forte in illis decretum Tridentinum non fuerat publicatum.

Quae autem de se ipso refert Benedictus XIV. deque sua haesitatione in op. *De synodo*, coarctantur ad sola matrimonia Hollandiae ob peculiaria illius regionis adiuncta, in quibus etiam a nonnullis dubitabatur, num reipsa in singulis paroeciis publicatum Tridentinum decretum fuerit, ob perpetuos bellicos motus, quibus aetate illa status foederati agitati erant.

Accedit, responsum congregationis S. officii ad hanc ipsam quaestionem an. 1671. a Ioanne episcopo Castoriensi, et per provincias confoederatas vicario apostolico Romae propositam, datum, nempe « Non convenire, ut ea quaestio a S. officio de- » finiretur, verum statueret ipse, quod crederet animarum sibi » creditarum saluti maxime expedire » maiorem creasse difficultatem. Nam quum episcopus Castoriensis iudicaverit tum ad scrupulos abigendos, et ad varias difficultates vitandas, tum ad servandam pacem et catholicorum persecutiones praecavendas plurimum expedire, ut eiusmodi matrimonia reputarentur valida ; hoc suum iudicium post reditum ex Urbe episcopo Gandavensi per litteras datas die 14. Augusti an. 1685. et Antonio Hoessac, cathedralis Antwerpiensis canonico, sub die. 17. Decemb. eiusdem anni, non tam commendavit, quam enixe prae-

(59) Sane in quodam voto pro suprema S. officii congreg. 11. Aug. 1825. §. 25. ita tunc ab. Maurus Cappellari, postea Gregorius XVI. mentem suam hac super re aperuit : « È da osservarsi che le disposizioni e dichiarazioni per » in Belgio servir possono bensì di *norma* per giudicare se convenga esten- » dere ad altri determinati luoghi la detta Costituzione (Benedettina), ma non » per inferire, che dunque in parità di circostanze seco porti, che debba » ella interdersi estessa *a iure* senz' altra dichiarazione della S. Sede, richie- » dendosi per estenderla altrove *l'istessa suprema autorità*, da cui emanò per » l' Olanda, cioè l' autorità pontificia. » Ex quo principio concludit pro nullitate istorum matrimoniorum, ubi declaratio Benedicti XIV. extensa non fuit.

cepit ad praxim deducere ; nec contra hoc praeceptum quidpiam a S. Congregatione reclamatum est, licet illud eidem fuerit communicatum , ut refert Stalenus (60). Denique episcopus Antwerpiensis in sua relatione ad S. Congregationem de praxi suae dioeceseos data, testatus est, de valore eiusmodi Matrimoniorum nullum ibi esse dubium, saltem post pacem Monasteriensem, in qua speciali ratione cautum fuerat , matrimonia in foederato Belgio celebrata debere etiam in Belgio Hispanico reputari valida (61).

Hisce omnibus permotus Benedictus XIV. se animo pendentem exhibuit, cum hoc de negotio ageretur in sacris congregationibus, atque etiam in partem faventem se inclinare fassus est. Caeterum ad alias regiones quod attinet, quaenam mens steterit Benedicto XIV. hac super re patet tum ex ipsa celebri sua declaratione ; tum ex iis, quae immediate post ipse gessit. Etenim in declaratione pro matrimoniis Hollandiae, statuit ut » de iis *iuxta canonica iuris communis principia,probatasque in* » *similibus casibus alias editas a s. congregatione concilii resolu-* » *tiones, ubi disputatio contingat* decidant (62). » In una vero Ulmensi, quae ut vidimus, resoluta est an. 1742. seu anno immediate insequenti a data declaratione pro Hollandia, coniugium initum inter catholicum et acatholicam sine praesentia parochi pronunciatum fuit *nullum*.

Demum non dicit *absolute* Benedictus XIV. haud fuisse inter se conformes resolutiones sac. congregationum, sed *propter varietatem circumstantiarum*, *quae modo in una facti specie aderant* , *modo in altera desiderabantur* : Quibus tacite alludit ad ea, quae retulimus de episcopi Castoriensis consultatione, deque sac. congregationis resolutione, et iis , quae subsecuta sunt. Dempta igitur harum circumstantiarum diversitate, sibi constiterunt tum concilii tum aliarum congregationum de-

(60) In *Dissertat. theolog. polit. De matrimon. haeretic.* part. II. c. IV.
(61) Cf. Io. Nep. Tropper op. et loc. cit. n. 555.
(62) §. Ult.

creta ; scilicet in protuenda coniugiorum nullitate , quae sive ab haereticis inter se, sive inter catholicum et acatholicam, et vicissim, celebrantur illis in regionibus, in quibus Tridentinum decretum publicatum est et executioni mandatum. Ergo nec Benedictus XIV. ullum praebet huic sententiae fundamentum.

Quod autem sexto numero ponitur argumentum, illud est quod solam veram difficultatem creet. Quamvis vero ea non semel in ipsis congregationibus Romanis proposita fuerit, nunquam, quod sciam, expresse resoluta est. Duo porro certa sunt, nimirum 1. legem Tridentinam ipsos acatholicos obligare, ubi semel fuerit rite promulgata et in usum deducta ; 2. nec tamen posse parochos catholicos acatholicorum nuptiis praesentiam suam exhibere (63). Quid igitur factu opus est? Sunt qui respondeant his in casibus recurrendum ad generale illud principium, legem humanam non obligare ubi physica aut moralis eam observandi impossibilitas interveniat ; atque idcirco in subiecta materia, perinde ac si parochus absens fuerit, aut nec possibilis nec tutus ad eum pateret aditus, satis esse, ut interdum a catholicis ipsis fit, adimplere decretum Tridentinum ex ea saltem parte qua potest, nuptias celebrando praesentibus duobus aut tribus testibus (64).

Verum alii reponunt, assertum principium eatenus tantum valere, quatenus impedimentum servandi legem aliunde proveniat, quam ex culpa eius, qui legis obligatione adstringitur, ne

(63) Et vero Congreg. concil. die 22. Iun. 1624. rescripsit : « Sive alter tantum » ex coniugibus sit haereticus, sive ambo, nullatenus debere parochum haereti- » corum matrimonio assistere. » Et in dubiis iurisdictionis capellanorum exercitus die 6. Mart. 1694. cum propositum fuerit VIII. loco : « An capellani » catholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis et res- » pective catholicis etiam intra fines Italiae? » Resp. *Negative*. Quod quidem ad haec usque tempora Rom. pontifices confirmarunt, ut notum est.

(64) Ita censuisse card. Bellarminum refert Sgobar in *Theol. radical. tract.* 116. cap. 4. *De matrim. clandest.* page 528. eiusque meminisse *Rotam Rom. Decis.* 308. n. 25, Atque insuper ita etiam respondisse congreg. concilii die 26. Sept. 1602. et in *una Belgii* 27. Mart. 1652. iuxta decretum quod refert et

alioquin culpa ipsa commodum afferat exemptionis (65). Adeoque ex sola ipsorum haereticorum malitia fit, ut gravia oriantur incommoda, cum ex ipsis pendeat legem servandi potestas.

Nos vero addimus, quod si quidpiam roboris haberet eiusmodi exceptio, frustra omnino hoc decretum sancitum a Tridentino concilio et constitutum fuisset respectu haereticorum omnium, qui sive sub principibus acatholicis sive sub principibus catholicis degerent; frustra item respectu coniugiorum mixtorum. De primis non est dubium, et res patet per se, cum istorum coniugiis parochus catholicus interesse non possit; adeoque omnia omnino ipsorum matrimonia valida essent sine praesentia parochi inita ubi publicatum est concilii decretum. Quoad matrimonia mixta id apertum fit ex communicatione partis exemptae alteri parti ob individuitatem contractus; adeoque et haec pariter omnia valida forent. In hac hypothesi, frustra iterum tot per tria continentia secula dubia proposita fuissent sacris congregationibus circa valorem eiusmodi coniugiorum; inania, imo et falsa evaderent earumdem responsa ac resolutiones, quibus nulla declarata sunt eiusmodi connubia sive acatholicorum inter se, sive mixta. Falsae item evaderent tot Rom. pontificum declarationes. Nominatim vero supervacanea foret celeberrima Benedicti XIV. declaratio pro matrimoniis Hollandiae, eiusque in tot provincias, ut videbimus, ab eius successoribus facta extensio. Quorsum enim et declaratio et extensio eiusmodi si omnia haereticorum matrimonia ea de causa valida essent? Cum vero haec omnia absona prorsus sint, Sedi apostolicae iniuriosa ac dictu etiam impia, planum fit et hoc fundamentum esse eliminandum.

exornat card. Vinc. Petra maior poenitentiarius tom. IV. *Comment. ad Constit. XII.* Ioannis XXII. n. 50 et Fugnanus in cap. *Si clericus* n. 58. *De foro competent.* Ast perperam; nam de alia omnino re disserunt eiusmodi auctores, sed de casu, in quo parochus reipsa sit absens, nec tutus pateat ad eum aditus, ut videre est apud card. Petra et Fagnanum loc. citt.

(65) Ita in causa *Wormatiens.* 7. Iul. 1751. disserebant theologi. Cf. *Thesaur. resolut.* tom. V. pag. 157.

Quod demum septimo loco petitum est argumentum ex diversa sentiendi agendique ratione, quae circa haereticorum coniugia, aut coniugia mixta pro variis epochis obtinuit in Galliis, iamdiu eliminatum est ex multiplicibus Rom. pontificum, sacrarumque congregationum rescriptis ac resolutionibus, quibus nullo cuiusvis epochae ac diversi status acatholicorum discrimine facto, illorum coniugia nulla ac irrita pronunciata sunt. Hoc ex allatis superius documentis evidenter innotescit.

Falsum pariter ex iisdem documentis deprehenditur, quod a nonnullis incaute adiicitur, Ecclesiam non adigere haereticos ad catholicam fidem conversos ad renovandum consensum coram parocho ad normam Tridentinae legis. Nam certum est Ecclesiam eiusmodi renovationem exigere, quoties sine periculo fieri potest, aut dissimulare, si periculum instet, eosque relinquere in bona fide, ut aiunt, aut in radice sanare (66).

Et haec quidem quoad fundamenta prioris sententiae, quibus eiusmodi matrimoniorum valor propugnatur. Ex collatione animadversionum, quae ab huius sententiae impugnatoribus fiunt ad vim enervandam argumentorum pro validitate coniugiorum, quae ab haereticis contrahuntur in locis ubi decretum Tridentinum promulgatum est, quisque intelligit ea nullius penitus roboris esse, ac serio discussa prorsus evanescere. Constat siquidem quaecumque proferuntur ab horum matrimoniorum fautoribus aut meris inniti coniecturis, aut falsis hypothesibus, quae nullo negotio disiiciuntur.

(66) Reipsa etiam D. Bouvier. *Instit. theolog. De matr.* art. IV. §. 2. refert « in nonnullis Germanicis dioecesibus, ex. gr. in Frisingensi, testante Collet » tom. XIV. matrimonium haereticorum ad fidem catholicam redeuntium ite- » rantur. » Ita quidem; ast non solum in Germaniae dioecesibus, sed ubique locorum, dummodo rerum adiuncta patiantur, renovatur eiusmodi consensus ab iis, qui catholicam religionem, abiurata haeresi, profitentur. Cumque rerum adiuncta id poscant, venia conceditur parti ad veram fidem conversae novas ineundi nuptias, ut caeteris ommissis, constat ex decr. sac. congreg. concilii in causa Wormatiensi an. 1731. 13. Febr. in qua non solum referuntur decreta iamdiu in eumdem sensum emissa de *nullitate* coniugiorum, de quibus est sermo, inter haereticos, verum etiam tribuitur facultas aliud ineundi coniugium. Cf. in *Thesauro resolut.* tom. V. pag. 157 seqq.

Ast idem ne ferendum est iudicium de argumentis, quae a contrariae sententiae theologis et canonistis urgentur ad eiusmodi coniugiorum valorem impugnandum? Nil minus. Etenim quum haec innitantur universim tum legi ipsi a concilio Tridentino sancitae, qua indiscriminatim nulla ac irrita fiunt connubia omnia, quae iuxta formam a se constitutam, ubi fuerit sancitum decretum rite promulgatum; tum innumeris prope innitantur trium continentium seculorum declarationibus, responsis ac resolutionibus Rom. pontificum et sac. congregationum, quoties quaestio excitata est, aut dubium propositum; tum praxi innitantur constanti Ecclesiae et apostolicae Sedis facultatem praebentis hisce in casibus parti conversae transeundi ad nova vota, aut quando ambo ita dicti coniuges ad catholicae Ecclesiae unitatem se recipiunt, praecipientis renovationem consensus iuxta formam Tridentinam; aut si rerum adiuncta id non patiuntur, eiusmodi coniugia sanantis *in radice*, aut relinquentis eos in bona fide, ut aiunt, et dissimulantis (67), concludunt, nisi documenta haec omnia expungantur ac destruantur una cum lege Tridentina et Ecclesiae praxi, necesse ineluctabiliter sit, ut inferatur, nulla ac irrita esse prorsus eiusmodi sive mixta, sive haereticorum inter se inita coniugia.

Huius illationis ineluctabilem vim perpendentes haud pauci theologi, qui leviter nimis, specie capti rationum, quae a propugnatoribus valoris horum coniugiorum efferuntur, in hanc sententiam concesserant, non modo pedem ab illa retraxerunt, sed palam professi sunt, sententiam illam omni probabilitate destitui, neque attendendos eiusmodi theologos esse aut canonistas (68).

(67) Hac ratione facile explicatur quod dictum est de incolis Palatinatus Neoburgici, qui cum ad unitatem catholicam redierint, ad renovanda propria coniugia minime compulsi fuerint, quamvis in provincia illa decretum Tridentinum fuerit publicatum. Nam aut eos apostolica Sedes in bona fide reliquit ac dissimulavit, aut eos ab servanda hac lege dispensavit, sanando eiusmodi coniugia *in radice*

(68) Sic inter caeteros Placidus Bockhn op. cit. ad tit. *De clandestinit. desponsat.* nec non Io. Nepom. Tropper op. cit. n. 556. cuius verba hic describo: « Bockhn, inquit, Reiffenstuel et Holzmann *ll. cc.* cum Lessio, Thenhaven in

Quae cum ita se habeant, iam quisque intelligit, nos haud posse sententiam, seu potius veram doctrinam de nullitate coniugiorum, de quibus agitur, non amplecti, eamque non tueri.

Asperam forte doctrinam hanc nonnullis in theologicis aut canonicis disciplinis non admodum versatis accidere haud diffitemur, si res *theoretice* spectetur; ast si practice ac in ordine reali, ut aiunt, perpendatur, plurimum eiusmodi asperitatis doctrina haec deperdet. Multo vero minus haeretici habent, quod de ea iuste conquerantur, aut in Ecclesiam catholicam hac de causa insurgant.

Etenim, ut ex dicendis in insequenti articulo patebit, Ecclesia mitissima se cum haereticis ratione se gessit ac gerit; nullam unquam iis hac de causa molestiam intulit aut infert. Dissimulatione passim ac tolerantia utitur, ac si quid ex hac doctrina et praxi provenit, vertitur demum in bonum ipsorum acatholicorum, si quando contingat eos in Ecclesiae catholicae sinum redire, dum ipsis indulgetur, ita poscentibus rerum adiunctis, vel ob mutua dissidia, vel ob separationem ab invicem, aliaque eiusmodi, novas inire nuptias, uti ex non paucis resolutionibus liquet, aut proprium instaurare coniugium si ambo convertantur coniuges.

Argumento denique evidenti quod eiusmodi doctrina acatholicos non permoveat, est ipsa eorum agendi ratio. Nam quamvis doctrina, quam adstruimus, notissima sit ac pene innumeris voluminibus typis quavis aetate et ubique locorum mandatis vulgata ac propugnata, scilicet in Germania, in Belgio, in Galliis, in Italia et alibi, ut constat ex allegatis auctoribus et documentis; tamen, quod noverim, nemo unus conquestus est, aut litem movit, imo ne iscivit quidem. Nulla igitur erat ratio

» *Nucleo iuris canon.* I. IV. aliisque *nullam probabilitatem* valori illorum matrimoniorum admittunt, asseruntque *nec attendendos esse oppositos DD.*, nec eorum opinionem in praxi consulendam, cumque videam haec ab illis non immerito dici, libenter illis adhaerendum arbitror, tametsi aliquando in hoc *tractatu* ante aliquot annos edito, in oppositum propendere visus fuerim. »

quare deberemus veritatem dissimulare aut silentio premere inconsulto. Caeterum si his non obstantibus, cuipiam magis arriserit prima sententia, dummodo se extricet ab allatis documentis per nos licet, ut ei adhaereat.

## §. V.

Sententia, quae tenet irrita esse clandestina Matrimonia haereticorum ac mixta, ulterius illustratur, certis limitibus definitur ac vindicatur.

Iam ad pleniorem rei declarationem quaedam occurrunt animadvertenda, quae hic subiicimus.

Primum est, non debere permisceri bonam, quam vocant, fidem, qua ab haereticis in praefatis rerum adiunctis celebrata coniugia sunt, cum legitimitate eorumdem connubiorum ob prudentem Sedis apostolicae dissimulationem. Nam etiamsi Ecclesia prudenter dissimulet ac toleret eiusmodi connubia, ea tamen minime probat, aut pro legitimis habet. Sane in instructione a sac. congregatione concilii data ad episc. Rosnaviensem fer V. 16. Mart. an. 1780. legitur: «Quanquam enim commendata provisio » (scilicet constitutio Benedictina) *donec* per S. Sedem apostolicam » *aliter* declaratum non fuerit, tanquam *pro non extensa ad* » *Hungariam* ab omnibus censenda sit, priora tamen (matri- » monia) nempe *haereticorum inter se* coram ministro haeretico » inita, ita a te oportet *dissimulari*, ut super eorumdem validitate » sive invaliditate ab omni prorsus abstineas nedum ferendo iudi- » cio, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam » utilitatis fructus, quam offensionis et periculi motus in catholi- » cae religionis perniciem foret expectandus; posteriora autem, » scilicet *catholicorum cum haereticis*, quae apostolica Sedes, prout » ex eodem, quem laudas, fel. rec. Benedicti XIV. plane didice- » ris, in aliquibus locis, cum ea impedire non valeat, *tolerat* qui- » dem, et ecclesiastica quadam prudentia, commisseratione, » et mansuetudine, ne maiora enascantur mala, dissimu- » lat (69). »

(69) Apud Roskovàny *De matr. mixtis* tom. II. p. 539. §. *Noveris*, ita manu

Eiusmodi porro dissimulationem aestimari omnino non posse tanquam *approbationem*, prout quidam autumarunt iuxta regulam glossae (70), patet tum ex aliis capitibus, tum ex declaratione Gregorii XVI. de extensione, ut postea videbimus, Benedictinae decretalis ad Hungariam, quae locum habere non potuisset, si illa dissimulatio tanquam tacita approbatio eiusdem extensionis haberi debuisset. Ad summum ex eiusmodi dissimulatione repeti posset *bona fides*, quam vocant, illorum, qui coniugia valide se contrahere censent in locis, in quibus decretum Tridentinum promulgatum est.

De eadem prudenti dissimulatione, qua utitur Ecclesia, alia suppetunt documenta. In sac. congreg. concilii, quamvis ageretur de regionibus, in quibus concilium Trident. publicatum fuerat, respondit : « Ne catholici, qui aliquando matrimonium » cum haereticis inierunt sine parochi praesentia, *ni mium gravi-* » *bus obiicerentur periculis* (ut legitur in *Iprensi* §. *Verumtamen*) » noluit de eorumdem matrimoniorum nullitate quidpiam edi- » cere. » Deinde rescriptum his verbis coarctatum fuit : « Ad » mentem cum Sanctissimo, scilicet, si esset respondendum » dubio, esset respondendum *negative* » id est esse invalida.

Interdum eadem S. congreg. aestimavit, aliud esse prudentiale capiendum temperamentum. Nam in causa *Iprensi in visit. sacror. liminum* 17. Aug. 1737. §. *Attamen* haec habentur : « Si qui in haeresi coniugium invalide inierint, forma » Tridentini non servata, subindeque ad catholicam religionem » conversi, bona fide in eo perseverant, suoque coniugio ad- » haerent, relinquendi potius videntur in eadem bona fide, » quam de nullitate monendi, ne alias, cum velint matrimo- » nium, renovato consensu coram parocho catholico convali- » dare, plurimis gravibus subiiciantur periculis, quae facile

propria a Pio VI. haec verba digesta sunt. Id ipsum scriptum fuit an. 1794, 28. August. feria V. ad episc. Agriensem in Hungaria.

(70) In cap. *Super eo de cognat. spirit.* ubi super illa verba : *dissimulare poteris* haec habet : « Talis dissimulatio loco *probationis tacitae* habetur, et merito, cum nullum subsit impedimentum. »

» sibi impenderent ob odium et persecutionem principis seu » magistratus acatholici aegre ferentis validitatem matrimonii » coram ministro haeretico initi in dubium revocari, » deinde emisit decretum: *Ad mentem;* mens autem fuit: « Ut rescri- » batur episcopo, coniuges de validitate matrimonii non dubi- » tantes in bona fide esse relinquendos, neque a sacramento- » rum participatione arcendos fore: peculiares vero casus et » circumstantias eorum, qui scrupulis super horum matri » moniorum validitate anguntur, oportere ab eodem episcopo » distinctim exponi. »

Sed quid si ageretur de eo, qui conversus est, ac dubitaret de valore sui antea initi coniugii? Haec occurrit in cit. causa *Iprensi* §. *Coniuges* animadversio eius, qui tunc temporis erat a secretis: « Recens ad fidem conversi, si dubitantes de valore » matrimonii in haeresi coram ministro haeretico contracti, pas- » tores seu confessarios suos consulant, num sibi licitum sit in » eo coniugio sic inito permanere; inducendi omnino sunt, ut » caute coram parocho catholico consensum renovent, ac ita » matrimonium revalident. Quod si tuto et commode id fieri » nequeat, non desunt DD. qui putant eis licere in usu matri- » monii iam initi, non renovato consensu coram parocho ca- » tholico, perseverare, arbitrantes, hanc opinionem veluti » probabilem admitti posse, non obstante prop. ab Innocen- » tio XI. proscripta, quae de sacramentis administrandis vel » conficiendis et respective de matrimonio contrahendo, non » vero de iam celebrato, loquitur.... Alii vero censent, praes- » tare, ut summus pontifex suprema sua auctoritate coniugibus » conversis indulgeat in matrimonio celebrato coram ministro » haeretico, etiam dicto consensu non iterato, permanere... et » sane, sicut summus pontifex, concurrente legitima causa, » potest matrimonium irritum propter defectum praesentiae » proprii parochi, vel ob aliud quodvis impedimentum de iure » tantum ecclesiastico, matrimonium dirimens *in radice* con- » validare.... Ita ponderandum est, num id generali quopiam » decreto fieri expediat pro casibus, quos ita generatim epis-

» copus consilium ac remedium postulans exponit in iis potis-
» simum circumstantiis, in quibus facile patet, coniugem aca-
» tholicum nulla ratione ab haeretica pravitate resilire velle,
» cum de caetero in praecitata Traiectensi, ubi praeter dubium
» concernens validitatem matrimonii inter haereticum et catho-
» licam initi, discussum quoque fuit, num quatenus invali-
» dum illud iudicaretur, concedenda esset facultas caute reno-
» vandi consensum coram parocho catholico, sac. congreg.
» noluerit quidpiam circa id respondere, tametsi matrimonium
» irritum esse censuerit. »

Alterum, quod animadvertere nobis proposuimus, illa spectat coniugia, quae licet ab initio nulla fuerint, utpote celebrata coram haeretico ministro in regionibus, in quibus publicatum est Tridentinum decretum *Tametsi*, deinde valida facta sunt, si renovatus postea fuerit consensus coram solo ministro protestante, aut publico magistratu iuxta civiles leges, ubi illud decretum promulgatum non est. Hoc perspicue significatum habemus in variis resolutionibus a sancta Sede emissis. Nos exempli causa unam aut alteram hic iam subiicimus.

Itaque propositum fuit supremae SS. inquisitionis congregationi dubium ab officiali dioecesano Parisiensi de quodam coniugio an. 1832. inito Parisiis coram solo magistratu civili inter Caeciliam catholicam et Alphonsum calvinianum, quorum uterque nati ac educati fuerant Lutetiae. Contrahentes post biennium se in Angliam contulerunt, ubi ortis dissidiis, vir se recepit in Americam ubi cum altera muliere matrimonium contraxit, Caecilia pariter se matrimonio iunxit cum anglo catholico coram parocho catholico. Cumque scrupulis conscientiae agitaretur Caecilia, Parisios rediit, et casum suum confessario exposuit, qui dubitanter respondit, primum coniugium invalidum fuisse clandestinitatis vitio, validumque secundum; contra vero confessarius alter ei respondit primum *illicitum* fuisse coniugium, sed *validum* eo quod pseudo-reformati iam non teneantur in Gallia impedimento dirimente clandestinitatis a conc. Tridentino inducto, quia licet vivant in regno, ubi

promulgatum est concilii decretum, habent tamen statum civilem, et liberum suae religionis exercitium; nec velle Ecclesiam tot inter ipsos matrimonia contracta in Galliis absque praesentia parochi, esse concubinatus, et illud quasi privilegium factum parti acatholicae communicari parti catholicae cum illa contrahenti propter individuitatem contractus. Attamen sac. congreg. an. 1842. resp. « Quatenus Caecilia et Alphonsus » Parisiense domicilium relinquentes, et in Angliam migrantes » ibi scientes matrimonii Parisiensis nullitatem, *novo illud consensu non revalidaverint*, secundum matrimonium Caeciliae » fuisse *validum*, secus *nullum;* » nempe nullum fuisse primum matrimonium, si in Anglia, ubi decretum Tridentinum publicatum non est, consensum non renovassent.

Item proposito dubio, num validum censendum foret matrimonium inter catholicam mulierem et virum acatholicum Lutetiae pariter Parisiorum initum coram haeretico ministro, quod postea ob exorta inter coniuges dissidia, vir dissolverat, atque adeo cum altera connubium celebraverat, a sac. inquisit. die 5. Iulii 1848. ita resolutum fuit: « Matrimonium, de quo » agitur, iuxta exposita esse *nullum*, *dummodo contrahentes* » *aliquo alio in loco*, *in quo Tridentinum publicatum non fuit*, » *scientes Parisiensis matrimonii nullitatem*, *novo illud consensu non revalidaverint*, ideoque nihil obstare, quominus » oratrix, praevia absolutione a censuris, et impositis poenitentiis salutaribus, ad alias nuptias licite ac valide transire » valeat. » Ergo per novum consensum, qui iis in locis, in quibus praedictum decretum Tridentinum publicatum non est, coram haeretico ministro, aut publico magistratu praebeatur, matrimonium prius irritum, validum fieri potest.

Rursum ab eadem sacra congreg., probante summo pontifice, in pari casu haec data est resolutio die 13. Augusti 1849. « Sanctiss. etc. audito eminentiss. inquisitorum generalium suffragio, ac referente me infrascripto supremae inquisitionis » assessore, in casu, de quo agitur, mandavit rescribi: Si vera » sunt exposita, satis constare, matrimonium quod anno 1832.

» catholica N. contraxit cum viro potestante N. sine praesentia » parochi catholici fuisse nulliter contractum, ac proinde, *si* » *illud nunquam fuit revalidatum*, posse eamdem N. transire » ad alias nuptias cum viro tamen catholico, dummodo nullum » aliud obstet impedimentum, praevia etc. » Eadem porro est ratio coniugiorum, quae haeretici inter se in iisdem rerum adiunctis inirent, atque coniugiorum mixtorum; adeoque si illorum nuptiae fuerint instauratae, ubi nunquam viguit Tridentinum decretum, eae validae erunt censendae.

Tertio animadvertendum est, quemadmodum iam innuimus, atque ex dictis clare colligitur, generalem regulam, qua clandestina matrimonia haereticorum et mixta dicuntur invalida, suas exceptiones habere, quas declaravit Pius VII. in Brevi ad archiep. Moguntinum dato die 8. Octobr. 1803. Cum enim exposuisset nonnullorum theologorum sententiam « matrimonia » haereticorum coram ministro acatholico inita *generatim* nulla » esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo » coram catholico parocho contrahantur, *nec undique vera est* » *nec satis tuta*, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas » tua, huius generis matrimonia rata et firma consistere, iis in » locis, in quibus concilii Tridentini decretum *vel nunquam* » *publicatum fuit* (71), vel nunquam observatum tanquam » eiusdem concilii decretum, vel, si quando observatum fuit, » longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc » factum est, ut praefata opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico *generatim* nulla et » irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero » plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem » retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a

(71) Haec verba desunt in hoc Brevi vulgato a Roskovàny loc. mox citando; at inveniuntur in authentico mss. quod Romae asservatur, quodque prae oculis habui, in eo haec postilla opposita est. « Breve riformato dell'Emo Anto- » nelli col l' intelligenza dell'Emo Di Pietro e spedito li 9. Ott. 1803. all'elettor » di Magonza. »

» Benedicto XIV. an. 1741. pro matrimoniis Hollandiae cele-
» berrimam declarationem. Cave igitur, ven. fr. tuoque exem-
» plo tuisque monitis edoce episcopos suffraganeos tuos, ne in
» praefatis matrimonialibus casibus expendendis et diiudicandis
» pravis hisce doctrinis, fallacibusque rationibus decipiantur,
» sed concilii Tridentini canones et decretum adamussim obser-
» vent et sequantur (72). »

Hactenus quidem Pius VII. ubi animadvertendum est illlorum theologorum opinionem ab ipso reprobari, qui *generatim* tanquam nulla ac irrita autumabant esse haereticorum inter se celebrata connubia, adeoque ubi etiam non fuerat publicatum concilium Tridentinum, aut *nunquam observatum* tanquam eiusdem concilii decretum, aut si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit; item ubi Benedictina declaratio extensa est, ut liquet ex allatis eius verbis. Quam sententiam merito uti improbabilem pontifex reiicit; minime vero disserit de illorum sententia, quam sequuta est constanterque sequitur ecclesia Romana, ut ostendimus, relate ad matrimonia ab haereticis inter se inita coram ministro acatholico iis in locis, in quibus decretum Tridentinum publicatum, atque ut tale observatum est, alioquin sibi ipse contradixisset, qui non semel vel per se, vel per organum congregationum eiusmodi coniugia nulla ac irrita ipse edixit (73).

Hac animadversione ad omnem aequivocationem eliminandam praemissa, patet ex Pii VII. verbis non modo valida habenda esse acatholicorum coniugia vel inter se inita coram ministro acatholico, vel cum catholicis ubi promulgatum non est decretum Tridentinum, aut ubi extensa est Benedictina declaratio, verum etiam ubi etsi publicatum vel nunquam observatum est ut decretum concilii, aut a longo temporis inter-

(72) Apud Roskovàny *Monumenta catholica* tom. II. pag. 86. 94 seq. Quamvis in hac publicatione reperiantur nonnullae variantes ab authentico nuper citato, tamen prae omnibus quae impressa sunt, est magis accurata.

(73) Recolantur resolutiones, quas in art. praecedenti retulimus ex congreg. S. Officii an. 1808. nec non an. 1829. et an. 1817.

vallo in desuetudinem abierit. Circa quam postremam clausulam cum dubium suboriri possit, quodnam temporis intervallum requiratur et sufficiat ad illam *desuetudinem* inducendam, ut connubia valida haberi debeant, in casibus particularibus Sedes apostolica est consulenda, quae spectatis omnibus rerum adiunctis, decernet quod in ipsis iudicium ferendum sit.

Quarto, occurrendum est iniustis hac de re haereticorum querelis, si quas forte moverent. Sententia, quae docet, invalida esse christiana matrimonia non modo haereticorum inter se, verum etiam mixta ob ecclesiasticum clandestinitatis impedimentum, dubio procul iras excitat haereticorum, qui nullatenus ferre possunt, ut Ecclesia, quam ipsi reiiciunt, ius suum in eorum etiam matrimonia adhuc dum tueatur. Accusabunt Ecclesiam perinde ac si sibi in eos ius arroget, qui eius auctoritati non subsunt. At num ideo Ecclesia ius amittit, quia rebelles subditi obedientiam detrectant? Num protestantium irae et querelae efficient, ut matrimonia, quae ex Ecclesiae lege sunt irrita, valida evadant ac legitima? Si clandestina haereticorum matrimonia sunt irrita, haeretici nullo modo de Ecclesia queri possunt, quae iure suo utitur impedimentum clandestinitatis instituendo. Caeterum practice non est cur hac sententia protestantes, aut acatholici in genere admodum permoveantur.

Etenim praeter quam quod ad omnes fere regiones, quae subduntur principibus acatholicis extensa est Benedictina declaratio, qua valida decernuntur connubia utriusque speciei, immo etiam quandoque ad regiones, in quibus principes catholici dominantur, ut in insequenti articulo allatis documentis ostendemus, duae illae, quas recensuimus, Pii VII. verbis exceptiones, haud parum conferunt ad tranquillitatem inducendam. Quamvis enim alicubi ab initio publicatum fuerit Tridentinum decretum, si tamen ob rerum perturbationes ac vicissitudines aut *nunquam* fuerit observatum, aut a multo tempore in *desuetudinem* abierit, perinde est ad effectum, quod attinet, ac si nunquam promulgatum fuisset; adeoque coniugia quae, forma Tridentini neglecta, sive coram ministro haeretico, sive coram magistratu cele-

brata sunt, quicumque fuerint contrahentes, ex impedimento clandestinitatis non sunt invalida.

Accedit, in nonnullis peculiaribus rerum adiunctis, uti constat ex allatis documentis, sanctam Sedem praescripsisse, ut, si qui in bona fide, ut aiunt, circa initas nuptias reperiantur, in eadem relinquantur, neque arceri, si ad catholicam fidem pervenerint, a sacramentorum susceptione, aut quavis ratione iis creari molestia debeat. Quod si post aut amborum coniugum, aut alterutrius conversionem conscientiae scrupuli insurgant, ac periculum timeatur a renovatione consensus coram parocho catholico, Sedes apostolica consulatur, quae in casibus particularibus decernet quid facto opus sit. Qua agendi ratione profecto nihil mitius, suavius nihil ac prudentius excogitari potest. Talis semper fuit spiritus lenitatis, quo Rom. Sedes informata est. Utinam eodem spiritu informarentur acatholici, qui tanto interdum in eam furere odio consueverunt.

ARTICULUS III. — Quaestio exponitur historica ubinam Tridentinum decretum de Matrimoniis clandestinis publicatum fuerit, ac ubinam auctoritate apostolica eidem derogatum.

Post solutam theoretice quaestionem iuridicam de clandestinis matrimoniis sive mixtis sive haereticorum, ut practicae quaestiones singulares solvi facile possint, restat ut historice exponamus et propriis documentis confirmemus, primo quidem ubinam Tridentinum decretum publicatum fuerit, vel non; ubinam deinceps Benedictina declaratio fuerit extensa.

Quamvis autem nulli pepercerimus diligentiae ad elenchum sive positivum, sive negativum conficiendum locorum, in quibus Tridentinum decretum fuit publicatum, et in quibus promulgatum non est, ac sategerimus opportunis communire documentis, profitemur tamen hunc nostrum elenchum, etsi caeteris, qui hactenus exhibiti sunt, pleniorem, nondum tamen esse omnino completum absolutumque. De cunctis enim orbis christiani regionibus statuere, fuerit in iis necne promulgatum decre-

tum, de quo disserimus, ardua res est, ac plane difficilis ob documentorum praesertim defectum. Atque ut iam incipiamus ab illis regionibus, in quibus fuit promulgatum Tridentinum decretum, initium ducimus ab Europa.

I. EUROPA - Itaque 1. publicatum est in Italia universa ac in insulis adiacentibus, ut notum est ex more ubique locorum recepto de celebrandis coniugiis iuxta formam a Tridentino praescriptam in eiusdem decreti executionem. Hic proinde documentis opus non est, cum constet ex facto luculentissimo.

2. In Galliis pariter universis statim a celebratione eiusdem concilii, uti constat ex allatis in art. praeced. Rom. pontificum decretis, atque congregationum concilii, et SS. inquisitionis responsionibus (74).

3. In universis Hispaniarum regnis, ut omnibus notum est (75) sub Philippo II.

4. In regno Lusitaniae, opera piissimi regis Sebastiani (76).

5. In Poloniae regno universim ex senatus regisque Sigismundi decreto (77).

6. In archiducatu Austriaco et provinciis ei annexis sub imperatore Maximiliano, eiusque successoribus (78).

7. In Silesia superiori et inferiori, praesertim vero in superiori, ut ostendit inter alios Kugler (79) universitatis Leopoldinae Wratislaviensis cancellarius. Haec provincia magna ex parte nunc subest Borussiae.

(74) Cf. etiam card. Pallavicin. *Istoria del conc. di Trento* lib. XXIV. cap. X. n. 15. Cf. etiam Theoph. Raynaudi *Heteroc.* XIV. n. 8. opp. tom. XVI.

(75) Cf. Pallavicin. Ibid. cap. XII. n. 2.

(76) Ibid. cap. IX. n. 15.

(77) Ibid. cap. XIII. n. 2. et 3. Cf. etiam Gobat tract. IX. *De matrim.* cap. XVIII. sect. 1. n. 485.

(78) Apud Pallav. loc. cit. cap. XII. n. II. Adeoque et in civitate et provincia Friburgensi in Bisgovia publicatum est concilium Trident. Siquidem tum temporis civitas ac provincia haec magni ducatus Badensis erat sub ditione Austriaca.

(79) *De matr.* n. 289.

8. In Bohemia, prout fidem faciunt litterae datae an. 1626. ad S. congreg. S. officii (80).

9. In Moravia (81).

10. In Hungaria universim, si nonnullas excipias peculiares regiones, ut aliqui contendunt (82).

11. In Moldavia publicatum tantum inter catholicos, adeoque non in ecclesiis schismaticorum, quorum illa provincia referta est (83).

12. In Valachia, perinde ac dictum est de Moldavia, publicatum est in ecclesiis tantum catholicorum (84), nec fortasse in omnibus; ut patebit ex iis locis, de quibus dicemus adhuc dubi-

(80) Legitur enim in *Actis* istius congreg. « S. congr. mandavit decreta au-» thentica de matrimonio contrahendo a catholicis cum haereticis publicata in » Bohemia ab Illmo card. Harrach una cum copia authentica litterarum eius-» dem card. tradi assessori S. off. et d. Alemanno sub bibliothecario, ut asser-» vetur in archiviis eiusdem congr. et Castri S. Angeli. 26. Iun. 1626. »

(81) Siquidem in Act. congr. S. off. 11. Maii 1633. legitur : « Referente » card. Spada publicationem decreti concilii Trid. de matr. factam a card. » Dietrishstein in Moravia, S. Congregatio iussit tradi S. Congr. concilii, ut apud » eam conservetur. »

(82) Patet ex Instruct. data die 30. April. 1841. de qua paulo post.

(83) In iisdem Actis decr. 1775. 19. Iul. ubi matrimonium mixtum coram ministro schismatico validum est declaratum.

(84) Etenim congr. S. off. declaravit validum coniugium initum inter catholicum et acatholicam coram ministro lutherano ; cuius responsionis fundamentum fuit, quia decretum Trid. publicatum est in *ecclesiis catholicis* in ditione Turcica existentibus, nunquam vero in ecclesiis schismaticis aut haereticis. Quocirca matrimonia catholica sunt nulla ; valida autem inter haereticos inter se, aut mixta. et haec quidem de Moldavia ; quod vero speciatim attinet ad Valachiam, haec habetur resolutio eiusdem congreg. S. off. feria V. 31. Maii 1708. « Quidam catholicus nupsit mulieri Valachae alienae fidei co-» ram quodam schismatico pastore : Nunc facti poenitens ab alias nuptias cum « muliere catholica convolare desiderat. Quaeritur : Quid agendum ? Nam hoc » denegato, periculum evidens est perversionis quinque animarum in ditione » turcica. - Sanctiss. auditis etc. dixit matrimonium esse validum, quatenus » catholicus, de quo in casu, illud contraxerit cum muliere baptizata, et dum-» modo eis aliud non obstet canonicum impedimentum ; quatenus vero ma-» trimonium contraxerit cum non baptizata, esse nullum. Ad 2. Resp. » Negative. Eadem porro huius resolutionis est ratio. Vide tamen infra ubi de » locis dubiis. »

tari utrum concilii decretum fuerit publicatum. Demum ratio etiam haberi debet diversitatis temporum, ut omnia haec apprime concilientur.

13. Ulmiae, quae nunc est sub ditione regis Wurtembergensis (85).

14. In tribus electoratibus Coloniensi, Moguntino, ac Trevirensi, qui postea cesserunt regno Borussiae, ac in Monasteriensi dioecesi sub eiusdem regni dominio (86).

15. In ducatu Cliviensi sub rege Borussiae (87).

16. In Bavaria, saltem in primitivis, ducatus huius nominis provinciis, ut constat ex variis Rom. pontificum constitutionibus seu rescriptis pro istius regni regionibus (88).

17. In Franconia (89).

18. In Palatinatu Neoburgico (90).

19. In ducatu Limburgi, Harlemi, ac Mosae traiectinae (91).

(85) Constat ex decreto, quod superius attulimus, de nullitate matrimonii sine parochi praesentia ibi celebrato an. 1742.

(86) Ad istos episcopos Pius VIII, ut videbimus, dedit Breve ac instructionem ad *validam* coniugiorum mixtorum celebrationem sine parochi praesentia 25. Mart. an. 1830. adeoque receptum ibi erat decretum Trid.

(87) Patet ex Brevi Pii VI. eiusque instruct. data 19. Iun. 1782.

(88) Nos in praec. artic. descripsimus verba Gregorii XVI. in Brevi dato pro regno Bavariae, in quo decreti Trident. supponitur promulgatio; et praeterea habetur instructio data 12. Sept. an. 1834. quae eidem nititur promulgationi, dum permittitur parocho catholico, si id exigant rerum adiuncta, ut praebeat assistentiam materialem nuptiis mixtis, ne coram ministro acatholico celebrentur.

(89) Ex decr. S congreg. concil. 4. August. 1743. in quo legitur: « Cum » nonnullis abhinc annis contractum fuerit in Franconia, et in loco, in quo » concilium Tridentinum fuit acceptatum, matrimonium inter comitem Fri- » dericum Christianum de Schaunburg et Lippe sectae lutheranae, et eiusdem » sectae mulierem, non praesente parocho catholico, sed iuxta ritum et » praxim Protestantium; acceptaque a muliere fuga ad partes anglicas etc. » Ab episcopis Paderbornensi et Monasteriensi, et suffraganeo episcopo Thiatirae, matrimonium istud (haereticorum inter se), declaratum est nullum; et sac. congreg. conc. hanc sententiam confirmavit, deditque facultatem praedicto comiti ad fidem catholicam converso novum ineundi coniugium.

(90) Ex Tropper op. et loc. cit. pag. 376.

(91) Ex Decr. S. off. 1. Iul. 1843 « In loco Harlem ex hactenus deductis

20. In Hollandia, Zelandia, Frisia et confoederatis provinciis, Belgio, ubi ante defectionem a Philippo II. Tridentinum fuisse promulgatum an. 1570. refert Vex (92).

21. In ducatu Luxemburgi (93).

22. In urbe Genevensi (94).

23. In insula Tine Archipelagi (95).

24. In toto archipelago universe publicatum est in Ecclesiis catholicis (96).

25. Constantinopoli ac in suburbio Perae in ecclesiis pariter catholicis promulgatum est (97).

servandum esse decretum (Trident.). Item S. off. an. 1844. quoad Mosam traiectinam.

(92) *Opusc. Canonico-Tridentin. De sponsalibus.* Oeniponti 1692. part. I. §. IV. n. 1. Ac praeterea id liquet ex publicis documentis. In congreg. S. off. feria V. 16. Febr. 1832. coram Sanctiss. propositis precibus administratoris apostolici interini vicariatus Sylvaeducensis ad episcopum praef. Sanctiss. auditis... Constare de *nullitate matrimoniorum in Belgio non servata forma conc. Tridentini.* » Haec eadem resolutio communicata est caeteris missionariis an. 1836. in singulis casibus particularibus.

(93) Ex Act. S. off. an 1845. pag. 27. ubi vic. apostolicus scribit : « *Essendo* » stato pubblicato in quaesto vicariato il conc. Tridentino etc.»

(94) Ex iisdem Act. an. 1852.

(95) Ex iisdem Act. in quibus legitur 12. Apr. 1685. card. Gonettus debebat referre processum ab episcopo Tinensi transmissum circa publicationem et observationem decreti conc. Tridentini de matrim. in insula Tinensi, sed dixit non esse necessarium, ut referat, ne Sanctiss. taedio sine fructu afficeretur.

(96) Ex iisdem Actis ad an. 1758. Pro dioecesi Santorini S. congreg. S. off. decrevit die 28. Mart. 1756. matrimonia mixta inter catholicos et schismaticos illicita esse sed valida. Die vero 25. Ian. 1758. ab eadem decisum fuit : « Archiepiscopo (Naxiae) interroganti quomodo se gerere debeat circa matri- » monia catholicorum cum schismaticis, idipsum respondendum censuerunt, » quod a congreg. S off. sub die 26. Mart. 1786. responsum fuit eidem in- » terrogationi factae ab episcopo Santorini, ac proinde edictum tunc ab ea- » dem congregatione Naxiam esse transmittendum, atque in *subiectis insulis* » exacte observandum. » Quo decreto patefit publicatum quidem fuisse Tridentinum decretum in ecclesiis catholicis non autem in ecclesiis schismaticorum.

(97) Ex decreto S. off. fer. V 20. Aug. 1769. « Sanctitas sua auditis etc. de- » crevit, quod per S. Congreg. de propag. fide scribatur vic. apostolico Constan- » tinopolitano, opportuna aliqua capta occasione, eidemque significetur, matri-

26. In pluribus Hiberniae dioecesibus; siquidem in nonnullis, praesertim septentrionalibus iam ab haereticis occupatis publicari non potuit (98).

27. In aliquibus imperii Russiaci provinciis (99).

» monia tam contracta, quam contrahenda vel *inter utramque partem haereticam*, » vel inter *unam catholicam et alteram haereticam* in *civitate Constantinopolitana* » *et eius suburbiis esse valida*, sed illicita, ideoque parochos huiusmodi matrimo- » niis contrahendis nullum omnino consensum nec praesentiam praestare » debere. »

Et iterum in alio eiusdem S. off. congreg. decreto dicitur : « Conc. Triden- » tinum in Pera habetur pro publicato iuxta declarationem S. congreg. con- » cilii Tridentini ; nam adest declaratio quod in parochia etc. » Quo fit ut matrimonia inter solos catholicos inita absque forma conc. Tridentini ibi nulla sint, ut alias fuit declaratum decreto S. off. an. 1850.

(98) Nam an. 1784., ut dicemus, a Pio VI. extensa fuit declaratio Bene dictina ; ideoque publicatum iam diu erat decretum Tridentinum.

Hinc die 7 Mart. 1785. rescriptum archiepiscopis Hiberniae. « Exploratum » est Amplitudini vestrae nonnullos Hiberniae antistites sac. hanc congrega- » tionem de propag. fide pluries postulasse, ut S. Sedis iudicium ipsis inno- » tesceret circa validitatem matrimoniorum, quae inter unam partem catholicam » et alteram haereticam, non servata forma concilii Tridentini in isto regno » contrahuntur. Cum itaque necessariae ad resolvendum dubium notitiae re- » quisitae fuerint, ac demum sub die 3. Mart. currentis in maturum examen » in S. congreg. S. off. coram sanctiss. D. N. Pio VI. vocatum fuerit. Sanctitas » sua, auditis eminentiss. card. generalium inquisitorum suffragiis, decrevit » matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma » conc. Tridentini *in locis in quibus* sive concilium Trid. sive eius decretum » sess. 24. c. 1. De reform. *forsan fuit promulgatum*, alio non concurrente » canonico impedimento, quamvis illicita, habenda esse ut valida etc. »

Attamen in *Ordine divini officii*, ad usum ven. cleri Hibernici iussu Illmi. ac Rmi. Archiepiscopi Dubliniensis Cullen, pro anno MDCCCLVII. pag. V. haec leguntur : — Hoc decretum (Trid. de matrim. clandest.) vigebat a tempore immemorabili in omnibus dioecesibus Hiberniae praeter archidioecesin Dubliniensem et dioeceses Kildariensem, Fernensem, Ossoriensem, Midensem et Galviensem ; sed in his dioecesibus publicatum fuit die 2da Decemb. 1827, et vigorem habuit triginta post dies, nempe in die 1ª Ianuarii sequentis anni 1828 adeoque nunc viget in tota Hibernia.

(99) Publicatum fuit Chioviae. Cum enim metropolita Chioviensis irritasset nonnulla coniugia clandestina, constitutum est dubium, an irritatio eiusmodi potuerit rite fieri ? Congr. S. off. *affirmativam sententiam amplexa est.* — Ergo eidem constitit de publicatione decreti Tridentini. Hinc decreto 22.

28. Apud Ruthenos (100).

Non fuit autem Tridentinum decretum in Europa promulgatum :

1. In Anglia, Scotia, ac nonnullis Hiberniae provinciis (101).
2. In Borussia presse sumpta, seu primitivo huius nominis principatu.
3. In Pomerania.
4. In Saxonia.
5. In Svecia.
6. Agentorati (102).
7. In plerisque Helvetiae provinciis.
8. In Dania (103).
9. In Norvegia.

Ianuar. 1626. S. off. dicitur : « Revera et in effectu metropolita publicavit con» cilium Trid. *in omnibus parochiis,* ut idem concilium praecipit ; nam ha» buit intentionem ipsum publicandi, illudque in substantia publicavit. »

(100) Id constat ex S. congreg. S. off. an. 1855.

(101) Praeter decisionem S. off. an. 1782. 22. Iul. in qua dicitur : « Cum » minime putet S. congreg. decretum conc. Tridentini, quo clandestina con» iugia irritantur, in Angliae paroeciis publicatum fuisse ; idcirco matrimonia » inita coram ministro haeretico *valida* esse arbitratur. » In congreg. de propaganda fide an. 1787. 18. Iul. decisum est. « Non constare de decreti publi» catione, adeoque matrimonia coram ministello haeretico valida omnino esse » habenda. »

(102) Nempe in solis ecclesiis protestantium, quae defecerunt an. 1529. In ecclesiis catholicis post Ludov. XIV. restituto ibi cultu catholico, promulgatum est et servatum conc. Tridentinum. Hinc ex decr. S. congreg. S. off. 25. Iul. 1842. matrimonia haeretic. valida ; irrita catholicorum sine forma Trid. declarata sunt.

(103) Harum omnium regionum una eademque est ratio, quia longe ante an. 1565. quo editum est concilii Tridentini decretum, iam defecerant per apostasiam a fide catholica ; immo nonnullae ante an. 1545. quo convocatum fuit concilium, haereseos veneno iam infectae erant. Helvetia iam ab anno 1519. Wittenbergae eodem fere tempore ac universa Saxonia ; Svecia ab an. 1523. Item Dania et sic plus minus reliquae eiusmodi regiones ab Ecclesia Christi separatae sunt.

10. In regionibus schismaticorum et haereticorum sub ditione turcica aut persica aliorumque infidelium (104).

Loca de quibus adhuc dubium viget utrum fuerit nec ne publicatum concilii Tridentini decretum ad Europam spectantia.

1. Bremae in circulo Saxoniae inferioris, nunc post congressum Viennensem an. 1815. libera declarata (105).

2. In Valachia ex iis, quae post annum 1708. ad sac. congreg. de propaganda fide deducta sunt (106).

3. In Bulgaria, praecipue vero in dioecesi Sophiae (107).

(104) Hae nimirum parum sollicitae fuerunt cognoscendi leges ab ecclesia Latina, ut ipsae loquuntur, sancitas.

(105) Scriptum est a S. congreg. de propag. fide die 14. Iul. 1764. Vicario apostol. missionum: « Cum constet istam ecclesiam nonnisi post Westphaliae » tractatum episcopali Sede fuisse spoliatam et ad secularem formam fuisse » redactam, dubitandi locus adhuc relinquitur, dum aliquis episcopus medio » illo tempore concilium promulgaverit. Quod vero attinet ad matrimonia » quae cum haereticis aut coram ministris acatholicis contrahuntur, S. congreg. » censuit valida quidem esse, sed illicita, nitendumque est propterea missionariis, ut in iam contractis pars catholica debitis poenitentiis se subiiciat, et omni ope haereticae partis conversionem, et prolis in religione catholica educationem curet; in contrahendis vero hortandos esse fideles, ut » se a tali nefaria et detestabili coniunctione omnino abstineant. »

(106) In congr. de prop. fidie die 29. Maii an. 1785. « Eminentiss. decreverunt non constare ex iis, quae proponuntur, de publicatione conc. Trid. » quoad matrimonia clandestina. Curet tamen episcopus, ne ullo modo ista » celebrentur, nec omittat gregem suum monere, quod catholica Ecclesia » semper ea abominata, ac detestata est. » et ad 3. dubium, resp. « Matrimonia, de quibus agitur, nullo modo esse invalida ac nulla » et haec quidem ita resoluta sunt post informationes episcopi Nicopolitani iam ab an. 1778.

(107) Ex decr. S. off. 31. August. 1758. quod ita se habet: « Sanctissimus... » auditis eminentiss suffragiis decrevit matrimonia... a catholicis celebrata, » aut quae celebrentur in dioecesi Sophiae, non servata forma decreti conc. » Trid. sess. 24. c. 1. non esse inquietandos, *ex quo non constat de suffi-* » *cienti ibidem promulgatione* praefati decreti, ideoque pro iam contractis » coniuges fideles non esse inquietandos, monendos tamen eos fideles, quod » etsi talia matrimonia coram Koggia contracta valida sint, illicita tamen esse, » et ita contrahentes peccare eisdemque imponendas esse poenitentias salutares. »

His demum ea adiicimus loca Europae in quibus quamvis non constet de Tridentini decreti promulgatione, tamen, servatur ut concilii decretum ab immemorabili ; quo fit ut legitima quidem seu valida habeantur illic celebrata connubia sive a schismaticis aut haereticis inter se, sive connubia mixta, nulla vero ac irrita sint matrimonia catholicorum , non servata forma Tridentina talia sunt :

1. Transilvania ac praecipue dioecesis Fogarats, nunc a Pio IX. erecta in archidioecesim Alba Iuliae nuncupatae, in qua degunt Graeci uniti commixti Graecis schismaticis (108).

2. Bulgaria , Valachia, nominatim vero Bukarest (109).

II. Asia. — Ac primo in Indiis orientalibus fuit promulgatum Tridentinum decretum.

1. In Indiis, ac nominatim in archidioec. Goana (110).

2. In ora Malabarica (111).

Similiter non esse licitum catholico contrahere matrimonium cum persona schismatica, seu haeretica, vel coram parocho schismatico vel haeretico, ideoque quantum fieri potest, huiusmodi matrimonia impedire debere, et quatenus impediri non possint, monendos esse coniuges catholicos de stricta obligatione educandi prolem in religione catholica, et procurandi conversionem coniugis schismatici, vel haeretici, eidemque imponendas ut supra pro modo culpae, congruas poenitentias salutares, ad quem effectum scribendum archiepiscopo iuxta instructionem etc. »

(108) S. Congregationi de propaganda fide data est informatio 4. Iun. 1767. « Irritationem matrimoniorum clandestinorum non provenire in illa dioecesi, » saltem coram vulgo, ex vigore legis Tridentinae demptis quibusdam doctoribus) sed potius ex particulari constitutione episcopi Aaron. Quamvis in » parochiis Latinis, (in quantum mihi cognitum est,) non fuerit promulgatum » decretum conc. Tridentini, tamen *ab immemorabili*, non tantum a Latinis » verum etiam ab Armenis adamussim observatur. »

(109) Die 9. Maii 1818. resolutum est ab eadem sac. congreg. nunquam ibi publicatum fuisse decretum Tridentinum, verumtamen observatum ut concilii decretum post constitutionem. *Inter omnigenas ;* adeoque matrimonia inita ab haereticis aut schismaticis inter se, et mixta esse valida ; invalida autem catholicorum inter se, si sine parochi praesentia inirentur coniugia.

(110) Ex sacr. congreg. de propag fide decreto 4. Sept. 1764. ex quo constat ab archiepisc. Goano fuisse acceptatum, ac proinde promulgatum concilium Tridentinum in omnibus dioecesibus suffraganeis.

111) In congreg. S. off 6. April. 1669. fuit propositum dubium,num in illa

3. In Pondicerii ( Pondichery ) vicariatu atque in universa ora Coromandelica (112).

4. Calecutiae (113).

5. In regione Bombay (114).

6. In pluribus imperii Sinensis provinciis (115).

7. In Tunchino orientali pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum Tridentinum, nempe quoad necessitatem solum duorum aut trium testium, non autem quoad illam, quae exigit praesentiam parochi (116).

Deinde vero absolute ac integrum hoc ipsum decretum publicatum est (117).

regione matrimonium clandestinum fuerit validum; ratio dubitandi erat, quod quamvis in synodo celebrata ab arch. Goano acceptatum fuerit conc. Tridentinum, nullam tamen eius cognitionem christiani illi haberent. - S. congreg. respondit, quod si decretum illud fuerit in parochiis intelligibili lingua publicatum, clandestina sunt invalida. - Praesumendum autem quod fuerit hoc modo publicatum, si de tempore vel praesenti vel praeterito sit memoria, quod matrimonia contrahi solebant coram parocho, aut missionario et testibus tanquam ex praescripto conc. Tridentini. Et iterum : « Publicationem praesu- » mi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum » concilii observatum. »

(112) Ex decreto S. off. 1845.

(113) Nam, ut videbimus, ibi extensa fuit declaratio Benedictina; proinde promulgatum fuit decretum Tridentinum.

(114) Nam et ibi, ut dicemus, extensa fuit declaratio Bened. XIV. quae publicationem supponit.

(115) Ad instantiam vicariorum apostolicor. utriusque Tunchini orientalis et occidentalis, Sutchuensis et Cocincinae data est instructio a sac. congreg. de propag. fide pro Sina ac regnis adiacentibus an. 1821. Iuxta hanc instructionem promulgatum est in Sina *pluribus in locis* decretum Tridentinum. Verum ob difficultates obortas ob eiusmodi publicationem, suspensa est. Post haec, nova instructio ab eadem sac. congreg. ad eosdem directa est, quibus probatur publicationis suspensio, et interea missionarii se gererent ad normam earum praescriptionum, quae datae sunt vicario apostolico Tunchini orientalis; de quibus mox.

(116) In instructionibus datis a sacr. congreg. de propag. fide, in quibus dicebatur, quod si expedire haud iudicaretur publicatio integri decreti publicaretur saltem ea pars, qua constituitur, ut matrimonium celebretur coram duobus aut tribus testibus ad valorem coniugiorum, quae postea celebrarentur.

(117) Nam postea vicarius Tunchini orientalis rescripsit : « Pluribus in locis

8. In Iaponia (118).

9. In Batavia (119).

10. In Georgia (120).

11. In locis Terrae sanctae nuncupatis, publicatum est in ecclesiis Latinorum (121).

12. Smyrnae in Natolia (122).

» huius vicariatus *integrum* laudati concilii decretum non sine magno anima- » rum lucro praecedentibus annis publicatum est » et haec anno 1833. Iterum vero an. 1837. idem scripsit: « Multis in locis huius vicariatus decretum » concilii Trid. felici successu publicatum fuit; » Quin haec loca in specie nominet.

(118) Ex decretis S. off. collectis iussu Benedicti XIV. tom. 1. pag. 2. legitur: « Quoad matrimonia Iaponiae in futurum contrahenda S. congr. de speciali » mandato sanctiss. D. N. censuit, ut *non obstante decreto conc. Tridentini* » *iam pridem in ea insula publicato*, matrimonia in praesentia duorum tes- » tium tantum celebrata contrahi possint etc. »

Idem iam praestitutum fuerat ab Urbano VIII. 2. Iul. 1625.

(119) Ut liquet ex rescripto sac. congreg. de propaganda fide an. 1823. « Ubi » rerum circumstantiis perpensis, iudicio tuo relinquitur dispensationem im- » pertiri, promissione potius quam iuramento requisita, non erit in posterum » timor ne apud ministrum haereticum ea matrimonia ob iusiurandum recu- » satum contrahantur, *ac propter legem Tridentinam isthic vigentem irrita* » *fiant.* »

120) Eadem de causa; ac praeterea, datur missionariis illius regionis tan- quam regula, quod scripsit Bened. XIV. in Brevi ad p. Paulum Simonem a S. Ioseph 17. Sept. 1746. « Si quod tum super hac re, tum super aliis, quae » istam missionem respiciunt, nobis suggerendum esse putetis, communicato » inter vos concilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem » invenietis. » Ita an. 1823.

(121) Quocirca decernitur ut idem obtineat quoad matrimonia clandestina sive schismaticorum inter se sive quoad mixta, quod declaratum est pro caeteris orientalibus, ac potissime Constantinopoli ac in suburbio Perae, de quibus antea.

(122) In sac. congreg. de propag. fide expensum fuit dubium an. 1721. 22. april. « An matrimonia catholicorum Europaeorum Smyrnis degentium, vel » saltem illa, quae ibi contrahentur ab indigenis sine parochi praesentia » valida sint. » Resp. *Negative* « Idque post informationes de decreto ab im- » memorabili observato, ac fuisse revalidata coniugia celebrata non servata » Tridentina forma » ut ex actis.

Contra vero in congreg. S. off. 1852. resolutum fuit validum at illicitum con-

Loca in quibus decretum Tridentinum publicatum in Asia non est, haec recensentur :

1. In vicariatu Sutchuensi, saltem usque ad annum 1803. (123).

2. In non paucis imperii Sinensis provinciis (124).

3. In regionibus orientalibus generatim sub ditione Turcica et Persica constitutis, de quibus nulla specialis facta est mentio (125).

Loca vero in quibus dubium est utrum facta fuerit concilii Tridentini decreti publicatio, haec mihi nota sunt :

1. In Syria (126).

2. In insula Cypri (127).

3. Sub aliquo respectu in ora Malabarica (128).

iugium illic celebratum inter catholicam et protestantem coram protestante ministro.

(125) Id habetur in synodo Sutchuensi hoc an. 1805. celebrata in qua cap. IX. §. V. legitur. « Quamvis matrimonia clandestina seu sine praesentia sacerdotis celebrata, valida sint iis in locis, ubi decretum conc. Trid. non fuit publicatum, aut saltem non fuit observatum tanquam lex concilii, *prout de hoc vicariatu constat etc.* »

(124) Patet ex superius relatis.

(125) A congreg. S. off. 1843. 12. Maii et a congreg. de propag. fide 1785. decisum est valere matrimonium per consensum datum coram magistratu turcico.

(126) Ex Actis congreg. de propag. fide eruitur ad interpellationem vic. apostolici, atque ex huius responsione, videri in Syria non fuisse publicatum, quia illarum missionum praefecti affirmabant, non fuisse promulgatum sub debitis formis, dum alii contendebant fuisse debito modo promulgatum, eo quod fuerint regiones illae sub ditione Veneta post celebrationem concilii Tridentini.

(127) Eadem ratio valet pro insula Cypri, ac de missionibus Syriae; nam vic. apostolicus Aleppi an. 1764. existimabat in hac insula fuisse publicatum decretum Trid. ac innitebatur huic motivo, quod nempe Veneti non fuerint exinde expulsi nisi an. 1570. id est sex an. ex quo confirmatum fuerat concilium Tridentinum. Res est incerta.

(128) In congreg. de propag. fide an. 1764. 4. Sept. relatum est *non constare sufficienter* promulgatum conc. Tridentinum in Malabaria, quia licet fuerit ab arch. Goano acceptatum decretum in quadam synodo, tamen non fuerat publicatum lingua Syriaca aut Malabarica; quapropter revocabatur decretum S. con-

III. Africa. - Pauca mihi suppetunt istius regionis documenta; publicatum videtur Tridentinum decretum

1. Tripoli in Barbaria seu Mauritania (129).
2. Iuliae Caesareae, seu Algieri (130).

Non habet vigorem lex Tridentina.

1. In Abyssinia (131).

IV. - America. Cum bifariam dividatur haec orbis pars, scilicet in meridionalem et in septentrionalem; de utraque subiiciam quae colligere potui circa publicationem Tridentini decreti. Porro in America meridionali publicatum fuit.

1. In omnibus regionibus, quae sub ditione quondam fuerunt sive Hispanorum sive Lusitanorum.
2. Curaçao nominatim in Mexico (132).
3. In insula SS. Trinitatis (133).

greg. concilii an. 1673. « Ubi decretum eiusdem concilii.... non est publicatum » in parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formae a conc. » praescriptae. »

Analoga resolutio data est a congreg. S. off. 6. April. 1669. sub Clemente IX.

(129) Ex Act. congreg. de propag. fide an. 1802. constat, in usu fuisse publicationes a conc Tridentino praescriptas ad ineunda coniugia; quocirca allatum est sufficiens fundamentum ad adstruendam observationem huius decreti, atque efficax praesumptio de publicata ibidem lege Tridentina circa matrimonia.

(130) Ex litteris datis ad sac. congreg. de propag. fide a D. Le Roy, vicario apostolico provinciarum Algeriensis, et Tunetensis die 26. Iunii 1769. huius tenoris : « Fidem facimus, et attestamur decretum sacrosancti conc. Tridentini » quantum ad matrimonia clandestina in nostra Ecclesia vicariali, et in tribus aliis » in hac civitate Algeriensi existentibus die dominica quinquagesimae, quinta » mensis Februarii an. 1769. de mandato summi pontificis fel. mem. Clemen- » tis XIII. fuisse publicatum inter missarum solemnia sine ulla cuiuscumque » oppositione et reclamatione. In quorum fidem etc.

Quod documentum effecit, ut a sac. congreg. *nullum* declararetur matrimonium ibidem celebratum sine forma Tridentina, quod prius in hypothesi de non facta publicatione *valide initum* edixerat.

(131) Ex litteris datis ad sac. congreg. de propag. fide. an. 1840.

(132) Patet ex extens. declarat. Benedictinae, de qua postea.

(133) Et in hac insula extensa fuit declaratio Bened. XIV., ut videbimus. Ergo publicatum fuit decretum.

Quoad Americam septentrionalem idem decretum promulgatum est.

4. In Canadà (134).
5. In Florida (135).
6. In Lovisiana superiore et inferiore (136).
7. In *urbe* Detroitensi (Détroit) (137).
8. In urbe et dioecesi Quebecensi, saltem *ex parte* (138).

Constat non fuisse publicatum.

1. In dioecesi Baltimorensis (139).

Dubium adhuc viget, num fuerit promulgatum.

1. In universa dioecesi Detroitensi (Détroit) Mechingan (140).

(134) Pariter in hac provincia praesertim inferiori, data est extensio declarationis Benedicti XIV. quia vigebat decretum conciliare.

(135) Item.

(136) Item.

(137) Feria IV. die 26. Ian. 1842. in congreg. s. off. « Eminentiss. dixerunt non constare ex deductis de promulgatione decreti Trident. in universa dioecesi Detroitensi, *excepta paroecia civitatis Detroitensis, etc.*

(138) Ex Act. sac. congreg. de propag. fide 1824. colligitur, scriptum esse ad archiep. Quebec.: « Si agatur de missionibus aut paroeciis iam praeexis- » tentibus, non esse quidem necessariam, sed posse expedire publicationem » conc. Tridentini. Si vero agatur de missionibus aut paroeciis erigendis ex » integro, iisque in locis, ubi non viget observantia decreti, *omnino esse* » *publicandum*, erectione confecta, ut vigeat clandestinitatis impedi- » mentum. »

(139) Ex litt. 13. Dec. 1817. « Cum eae sint in foederatis istis Americae » septentrionalis provinciis circumstantiae, ut Tridentini decreti publicatio » quoad matrimonia multo plus detrimenti, quam utilitatis afferat, S. con- » greg. convenit, ut ipsius decreti, promulgatio tamdiu differatur, quamdiu » salutares effectus, quos lex sibi proposuit, haud sit allatura. » Et reipsa nondum publicatum decretum est.

(140) Post nuper descripta verba ex congreg. S. off. 26. Iun. 1842. ita prosequuntur eminentiss. « Ideoque non esse inquietandos, qui matrimonia » per dioecesim inierunt, non servata formula concilii, dummodo nullum » esset canonicum impedimentum. »

Quae confirmantur ex decreto synodi illius regiou. an. 1843. his verbis concepto: « Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentin. de clan- » destino matrimonio *ad alias paroecias dioeceseos Detroitensis* extra ipsam » civitatem extendere, nec ad alias dioeceses Americae septentrionalis » praeter eas, in quibus iam noscitur promulgatum, et orandum S. Sedem, » ut *dispenset quoad ipsam civitatem.* »

2. In California superiore (141).

4. In dioecesi ac provincia Quebecensi in Canadà superiore (142).

Atque haec sunt, quae colligere potui suisque documentis communire. Ast non satis prospexissem huic argumento, nisi adiicerem loca omnia, quibus ex S. Sedis indulto extensa est declaratio data a Benedicto XIV. de matrimoniis Hollandiae. Haec enim historica notitia non parum inservit dirimendis quaestionibus, quae identidem insurgunt circa valorem coniugiorum. Nam, ut vidimus, haec declaratio data est ad connubia sive haereticorum inter se, sive ad connubia mixta valida declaranda, sive quae in Foederatis provinciis Hollandiae inita fuerint, sive quae in posterum inirentur sine praesentia parochi, quamvis illic publicatum iam fuerit concilii Tridentini decretum de matrimoniis clandestinis.

Porro, ut ostendimus allatis documentis ac decisionibus Roman. congregationum, ubilibet locorum, in quibus concilii Tridentini decretum promulgatum est ac observatum, etiamsi regiones illae in ditionem venerint haereticorum, christiani omnes lege illa tenentur, atque ideo coniugia illic celebrata sine hac forma, caeteris paribus, nulla ac irrita habentur.

Ut huic incommodo occurrerent Romani pontifices identidem declarationem illam, quae pro sola Hollandia primitus data est ad alias regiones, quae in pari necessitate versabantur, extenderunt.

Eadem autem methodo in horum locorum recensione utemur, quam prosecuti sumus circa publicationem decreti Tridentini, ut ordini et claritati inserviamus, incipientes ab Europa. Itaque :

I. In Europa ipsemet Benedictus XIV. non solum in foede-

(141) Ex congreg. S. off. 1853. hoc anno solo praesumptio habebatur de decreti promulgatione, eo quod a missionariis Hispan. illuc fides delata fuerit. Ast adhuc desideratur optata necessaria certitudo.

(142) Recolantur paulo ante adducta ex actis congreg. 1824.

ratorum ordinum Belgii provinciis valida esse memorata coniugia edixit, sed praeterea.

1. Similia matrimonia valida esse etiam contracta extra fines dominii eorumdem foederatorum ordinum ab iis, qui addicti sunt militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas; dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat (143), declaravit.

2. Huiusmodi declarationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Traiecti ad Mosam, quamvis non iure dominii, sed oppignorationis tantum a republica foederatorum ordinum possessa, voluit (144).

Ubi animadvertendum est ex epistola decretali eiusdem pontificis ad P. Paulum, carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium, quae incipit *Redditae sunt*, sub die 17 Sept. 1746. edixit, huiusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu, aut haeretico ministro consensum in matrimonium de praesenti emiserint, nec illud ad formam Tridentini contraxerint, aut post contractum more haereticorum, consensum coram Ecclesia non renovaverint (145).

3. Uratislaviae an. 1765. ex quo sub ditione Borussiae extitit (146).

4. Ulmiae an. 1774. in ditione regni Wurtemberg. (147).

5. Illi Poloniae parti, quae ab an. 1780. in Russiaci imperii ditionem venit, quae administrata erat ab episcopo Mallo (148).

(143) In cit. Const. die 4. Novemb. 1741.

(144) Ibid.

(145) Ex eiusdem pontificiis Bullario tom. III. pag. 583.

(146) Ex actis congreg. de prop. fide.

(147) Ibid.

(148) Ex Actis S. congreg. de propag. fide. Nempe primum ad hanc Poloniae partem extensa est, postea vero, ut dicetur paulo infra, ad alias protensa est.

6. Ducatui Cliviensi regno Borrussiae obnoxio anno 1795. (149).

7. Incolis civitatis Mastricht (Trajecti ad Mosam) prope Leodium anno 1836. (150).

8. Constantinopoli eiusque suburbiis an. 1769. quamvis Benedictina declaratio non fuerit expresse extensa, aequivalenter idem constitutum est quoad illa loca, in quibus publicatum fuerat conc. Tridentinum, dum valida, quamvis illicita, contracta illic matrimonia edicuntur (151).

9. Sic etiam in Hibernia an. 1785. (152).

10. In provinciis Rhenanis sub ditione Borussica anno 1830. (153).

(149) Item, et apposito Brevi Pii VI.

(150) Item.

(151) Ex Decr. S. off. feria V. 20. August. 1769. « Sanctitas sua au- » ditis etc. decrevit quod per S. congreg. de propag. fide scribatur vic. » apostolico Constantinopolitano, opportuna capta occasione, eidemque » significetur, matrimonia tam contracta quam contrahenda, vel *inter* » *utramque partem haereticam*, vel inter *unam catholicam et alteram* » *haereticam* in civitate Constantinopolitana et eius suburbiis esse valida, » sed illicita, ideoque parochos huiusmodi matrimoniis contrahendis nullum » omnino consensum, nec praesentiam praestare debere. »

(152) Ex Decr. congreg. S. off. 1785. feria V. 7. Mart. « Sanctiss. au- » ditis etc. decrevit matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, » non servata forma conc. Tridentini in iis locis, in quibus decretum » eiusdem concilii sess. 24. c. 1. De ref. fuit forsan promulgatum, alio » non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda tamen » esse uti valida, idque significandum archiepiscopis et episcopis dicti » regni, eosque hortandos, ut curent retrahere catholicos ab huiusmodi » illicitis nuptiis. »

(153) Ex Brevi Pii VIII. ad episcop. Borussiae Rhenanae: « Iam vero ad » coniunctiones quod attinet, quae *isthic* usque ad praesens tempus *sine* » *parochi praesentia* initae sunt... per nostras litteras volumus ac man- » damus, *ut matrimonia mixta*, quae posthac in *vestris dioecesibus* con- » trahi contingat, non servata forma a conc. Trident. praescripta, si eisdem » nullum aliud obstet canonicum impedimentum, *pro ratis* ac *veris con-* » *nubiis* habeantur, prout nos, auctoritate nostra apostolica, matrimonia » ea vera ac rata fore declaramus, atque decernimus, contrariis quibus- » cumque non obstantibus ».

11. In provincia Posnaniensi et Gnesnensi pariter sub ditione Borussica an. 1841. (154).

12. In universo imperio Russiaco, et in regno Poloniae an 1844. (155).

13. Extensa fuit declaratio Benedictina in Mosa Traiectana ad parvum S. Petri suburbium in vicariatu Limburgi an. 1844. (156).

Et haec quidem quoad illas regiones, quibus dominantur principes acatholici; nam quod attinet ad illas, quae subsunt orthodoxis seu catholicis nunquam voluit Sedes apostolica eamdem declarationem extendere.

Verumtamen peculiare temperamentum caepit in ordine ad matrimonia *mixta*.

1. In Bavaria an. 1834. (157).

(154) Prout liquet ex Epistola Gregorii XVI. ad archiepiscopum Posnaniensem et Gnesnensem Martinum Dunin die 22 mai 1841. in qua ita scripsit summus Pontifex « Iam vero, quod de catholicis quaeris, qui » contra formam Tridentini concilii matrimonia parocho suo non praesente » cum acatholicis contraxerint, habentes ob oculos quae de vi nuptiarum » huiusmodi in aliis istius Borussici regni dioecesibus a sancta hac Sede » diversis temporibus decreta sunt, inspectisque tuarum quoque dioece- » sium peculiaribus circumstantiis, ac re, uti par erat, perpensa, edi- » cimus, et Apostolica nostra auctoritate decernimus, ut matrimonia eadem, » ubi aliud eis non obstet canonicum dirimens impedimentum, *etsi illicita* » *omnino sint*, *habeantur tamen uti valida*. Hinc vero ad rationem quod » attinet erga resipiscentes tenendam, respondemus, posse ipsos ad sacra- » mentorum participationem admitti, postquam idonea dederint verae poeni- » tentiae signa. »

(155) Ex congreg. negotiorum extraordinariorum ecclesiasticorum decre- » tum est: « Respondendum *oretenus* matrimonia *mixta*, quae in *Russiaco* » *imperio* et in *regno Poloniae* inita sint praeter formam a Tridentino » concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, » *pro validis habenda*, nisi tamen aliud obstet canonicum dirimens im- » pedimentum. » 19. Augusti 1844.

(156) Ex congreg. S. off. an. 1844.

(157) Ex quadam instructione data ab apost. Sede ac typis edit. 12. Sept. 1834. in qua ita legitur: « Si ex temporum, locorum ac personarum condi- » tione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, absque » maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti non pos- » sit, tunc sane ad maiora mala et scandala praecavenda abstinendum erit a

2. In Hungaria an. 1844. (158).

II. In Asia. — Extensa fuit declaratio Benedicti XIV.

1. Pondicerii an. 1833. (159).
2. In Georgia, saltem aequivalenter an. 1845. (160).
3. In ora Coromandelica an. 1831. (161).

» catholico coniuge censuris ibi illum nominatim expressis corripiendo ; imo » vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, » omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt » contracturi, ut etiam de factis proclamationibus litterae merae testimoniales » concedantur, in quibus, (si nullum adsit dirimens impedimentum,) unice » enuncietur nil aliud praeter vetitum Ecclesiae impedimentum mixtae reli- » gionis matrimonio conciliando obstare, nullo prorsus addito verbo, ex quo » consensus, aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. Quod si in Ec- » clesiae utilitatem, et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, » nuptias quamtumlibet illicitas et vetitas coram parocho catholico, potius » quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, » celebrari ; tunc ipse parochus catholicus, aliusve sacerdos eius vices agens, » poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesias- » tico ritu adesse. »

(158) Ex instructione data die 30. April. 1841. a sac. congreg. negot. extra- ordin. ecclesiast., in qua dicitur : « Quod autem attinet ad connubiorum is- » torum (mixtorum) coram acatholico ministro, seu *non servata concilii Tri-* » *dentini forma* celebrationem... inspectis tam praeteritis, quam praesentibus » *locorum, de quibus sermo est*, peculiaribus circumstantiis, erunt ab episcopis » et a parochis *prudenter dissimulanda et pro validis habenda,* nisi tamen » canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum. »

(159) Ex litteris 23. Mart. 1833. directis ad vicarium apostolicum, in quibus legitur :« His litteris adiecta Amplitudo tua reperiet duo rescripta ; in quorum » altero extenditur a sanctiss. D. N. ad ista loca iurisdictioni tuae subiecta » declaratio s. m. Benedicti XIV. 4. Nov. 1841. de matrimoniis mixtis Hol- » landiae. »

(160) Ex congreg. S. off. an. 1845. Dubio siquidem excitato, num non modo tanquam illicita, sed praeterea tanquam invalida haberi deberent matrimonia contracta ex una parte catholica, ex altera autem Russica coram ministro haeretico, ubi contrahentes vi legum educare liberos tenentur in religione schismatica. Resp. « Matrimonia, de quibus agitur, tametsi sint illicita, tamen ut » valida habenda esse. »

(161) Ex litteris S. congreg. de propag. fide, ex quibus etiam habetur an. 1831. extensam fuisse eamdem declarationem ad colonias Gallicas.

4. In Iaponia aequivalenter iam ab an. 1625. (162).

5. In ora pariter Malabarica sub ditione quondam Hollandiae an. 1765. (163).

6. Bombay ex quo pervenit sub ditionem soc. ab Indiis nuncupatae an. 1761. (164).

III. In America pariter sive septentrionali sive meridionali locum habuit extensio declarationis Benedictinae.

1. In provinciis Canada ex quo sub ditionem Angliae pervenerunt an. 1763. (165).

2. Curaçao an. 1851. (166).

3. In insula sanctissimae Trinitatis an. 1825. (167).

(162) Ex Act. Congreg. de propag. fide 2. Iul. 1625. « Ad dubium Iaponiae, » ubi supponitur conc. Tridentinum fuisse publicatum, plura cum fuerint ma- » trimonia celebrata absque parochi praesentia ob penuriam sacerdotum, » maxime post persecutionem exorta m an 1614. Quaeritur 1. Utrum Papa » possit in praedictis matrimoniis dispensare supplendo defectum substantialis » solemnitatis, ita ut contrahentes non teneantur iterum contrahere, saltem se- » creto, praesertim cum difficillimum sit illa matrimonia fere innumerabilia » eo modo celebrare durante praesertim persecutione? — Urbanus VIII. ap- » probans sententiam sac. congreg propag. fidei declaravit : — Praedicta ma- » trimonia in Iaponia sine parochis, ut praefertur, contracta, fuisse et esse » valida iuxta declarationem cardinalium concilii Tridentini interpretum pro » Hollandia, Zelandia et Frisia editam. »

(163) Ex Act. congreg. de propag. fide, et ex decr. 8. Maii an. 1669. proban- te Clemente IX. congreg. S. off.

(164) Item.

(165) Ex iisdem actis.

(166) Ex decret. congreg. S. off. cum supervenientibus novis colonis sub ditione acatholicorum, obliterata fuerit memoria et praxis formae Triden- tinae; « Eminentiss. decreverunt matrimonia clandestina hactenus contracta » pro validis habenda, si nullum aliud intervenerit impedimentum, si Sanc » tissimo placuerit ; in posterum vero contrahenda pariter pro validis esse » habenda, donec ab apostolica Sede aliter statutum fuerit, salva semper lege » ecclesiastica, quae eiusmodi connubia vetat etc.»

(167) Quaesita fuit extensio declarationis Benedictinae congreg. S. off. quoad matrimonia clandestina, eamque obtinuerunt illius insulae incolae; siquidem missa est ad vicarium apostolicum.

4. In utraque Lovisiana atque in Florida an. 1831. (168).

Ex hac recensione, quam maiori, qua per nos fieri potuit, diligentia hactenus prosecuti sumus, quisque facile colligere poterit, 1. reipsa illis in regionibus, in quibus decretum Tridentinum promulgatum est ac observatum, eo retineri non solum catholicos, verum etiam acatholicos sive isti sub principibus catholicis, sive sub acatholicis versentur, nisi ad illas regiones indulta fuerit declaratio Benedicti XIV. pro matrimoniis in Hollandia. 2. Eiusmodi declarationem, licet eadem adiuncta in aliis quoque regionibus vigeant ac in Hollandia, tamen, ad solam illam regionem exclusive determinatam esse, ita ut suffragari non possit, nisi auctoritate apostolicae Sedis expresse fuerit extensa (169); 3. Eamdem declarationem favere solis acatholicorum coniugiis non autem catholicorum, qui omnino adiguntur propria coniugia celebrare ad normam a concilio Tridentino constitutam sub nullitatis poena. 4. Quod si coniugia mixta vi huius Benedictinae declarationis, ubi extensa est, valida habentur, id repetendum esse ex ratione ab ipso Benedicto XIV. adducta, nimirum : « Quoniam, cum coniugum » alter, tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, » in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae synodi lege; ex- » emptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet,

(168) Ex litt. an. 1831. constat a Leone XII. extensam ad has regiones fuisse declarationem Bened. XIV. pro Hollandia. Ex act. congreg. de propag. fide.

(169) Praeter ea, quae superius attulimus, quod hic asserimus, confirmatur ex responsione data a congreg. S. off. 13. Iul. 1818. ad vic. gener. Parisiens. an. 1817. Vic. enim Parisiensis hoc proposuerat dubium : « An matrimonia » contracta inter catholicos et haereticos absque parochi praesentia, licet » illicita, sint tamen valida? » Resp. « Respondendum prout etiam responsum » fuit episcopo Rosnaviensi an. 1780.; episc. Melitensi an. 1803. et rectori » Lorepediensi an. 1808. Nempe decretalem Bened. XIV. an. 1741. editam » super matrimoniis Hollandiae, *taxative* respicere tantum matrimonia in iis » provinciis contracta, non autem alia matrimonia in aliis locis et provinciis » inita, quibus idcirco applicari nequit absque nova et speciali S. Sedis de- » claratione, *multo minus* in Galliis, ubi decretum conc. Tridentini sess. 24. » c. 1. De ref. absque ullo dubio immediate post concilium publicatum fuit *in* » *universis paroeciis*, et constantissime observatum »

» *propter individuitatem contractus*, vi cuius, exemptio, quae » uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam civi- » les leges, extenditur, eidemque communicatur (170). »

Et haec de principiis generalibus, quae ex publicatione sive decreti Tridentini, sive declarationis Benedicti XIV. sequuntur ; nam quod spectat ad nonnullas peculiares quaestiones de matrimoniis clandestinis, quae cum illis connectuntur, de his agemus in articulo insequenti.

ARTICULUS IV.—Quaestiones nonnullae enodantur relate ad impedimentum clandestinitatis in Matrimoniis sive catholicorum sive mixtis, sive haereticorum.

Quum nobis propositum fuerit difficile hoc de impedimento clandestinitatis argumentum, quoad ejus fieri potest, elucidare, idcirco hoc in articulo incidentes varias quaestiones, quae agitari possunt immo et solent, discutiendas assumpsimus, ut circa eas singillatim quid sentiendum sit indicemus.

Prima igitur, quae sese offert, quaestio coniugia spectat eorum, qui e loco, ubi Tridentinum decretum non viget, ad locum, ubi illud viget, deveniunt. Constituimus enim, sive haereticorum, sive catholicorum et acatholicorum mixta coniugia celebrata, ubi promulgatum ac usu receptum est Tridentinum decretum, illegitima ac invalida esse, si coram alio quam proprio parocho ac duobus testibus ineantur. Interim passim contingit, ut nonnulli ex loco, in quo decretum Tridentinum non fuit promulgatum aut non est receptum, ad locum transeant, ubi obtinet ac servatur, nuptiasque celebrent aut coram ministro haeretico aut coram civili magistratu. Exinde permota quaestio : utrum istorum coniugia rata ac firma haberi nec ne debeant. Porro constans est doctorum sententia eiusmodi connubia ex regula iuris nullius prorsus esse valoris, quia ab omnibus servari debet forma recepta in illis regionibus, in quibus

(170) *De synodo dioeces.* lib. VI. cap. VI. n. 12. Et revera haec ratio est, quam passim allegant sac. congregationes Romanae, dum decernunt valida matrimonia mixta illis in regionibus, ad quas declaratio Benedictina extensa est.

contractus initur. Et hoc tam pro foro civili quam pro foro ecclesiastico. Cum igitur hi suum celebrent coniugium, ubi viget lex Tridentina, quamvis regio, ex qua discesserunt, ab eadem lege exempta sit, certum est illud nullum ac irritum esse.

Hinc Schmalzgrueber post verba, quae ex eo in altero articulo adduximus, ita prosequitur : « Et hoc verum est, *etiamsi* » *vagi sint aut peregrini*, qui veniant ex loco *ubi Tridenti-* » *num non est receptum, et ibi habeant domicilium*. Et ideo » *si haeretici* venientes *ex sua patria ubi Tridentinum non* » *est receptum* in locum, ubi illud receptum est, et haeresis » publicum exercitium non habet (171), veluti in Bavaria » nostra, clam contrahunt, *invalide* contrahunt ; quia con- » tractus *regulari debent secundum leges et consuetudinem* » *loci*, in quo celebrantur, et non solum cives, sed omnes ibi- » dem contrahentes, forum loci illius sortiuntur ; in omni » enim loco observanda est forma substantialis contractus, quae » pro illo loco praescripta est : idque in specie deciditur etiam » in contractu matrimoniali cap. *De Francia. I. De sponsal.* » ubi matrimonium contractum, *non observata lege, vel con-* » *suetudine* patriae, initum *tamen secundum leges loci* ubi » uxor ducta est, pronunciatur *validum* (172). »

Hic etiam Pirhing scribens : «*Peregrini* transeuntes per *locum*, » *ubi servatur* decretum *concilii Tridentini, invalide* contrahunt » matrimonium sine parocho ac testibus, quamvis *in loco do-* » *micilii* illud decretum *non sit receptum*. Ratio est, quia » peregrini, saltem quoad solemnitatem contractuum, tenentur » ad leges eorum locorum, per quae transeunt, cum ratione » contractus sortiantur forum : nam ea est in unoquoque lo- » co substantialis forma contractus, quae pro illo praescribi- » tur. Si ergo in aliquo contractu non servetur forma eo » loco praescripta, non subsistit contractus (173). » Atque

(171) Haec clausula, ex dictis, non obstat nullitati matrimonii, de quo disserimus.

(172) Tit. III. *De clandestin.* § II. n. 101.

(173) *Ius canon.* lib. IV. tit. III. §. II. n. 10.

aliis omissis ; Machat et ipse eamdem tuetur doctrinam, cum scribit : « Fideles *transeuntes ex loco*, *ubi* Tridentinum non » observatur, *ad locum, ubi observatur*, tenentur servare for- » mam Tridentini, nam ratione contractus sortiuntur forum. » Ergo *ut valide* contrahant, tenentur servare formam sub- » stantialem praescriptam matrimonio in tali loco contra- » hendo (174). »

Huic principio innixae sunt plures resolutiones sac. congregationum Rom. quas in altero articulo dedimus. Talis fuit resolutio sac. congreg. concilii in causa *Augustana* an. 1742. coniugii mixti Ulmiae celebrati coram ministro haeretico, quamvis eiusmodi contrahentes essent vagi ac peregrini. Talis pariter fuit resolutio sac. poenitentiariae quoad validitatem coniugii mixti, quod in Galliis duo iter facientes coram ministro acatholico celebraverant ; nam die 28. Mart. 1845. respondit illud tribunal *negative*, seu eiusmodi matrimonium nullum fuisse. Nec alio modo suprema SS. inquisitionis congregatio resolvit dubium sibi propositum die 5. Iul. 1847. tum circa valorem coniugii mixti initi Lutetiae Parisiorum coram ministro haeretico et dedit facultatem parti catholicae per divortium derelictae ad nova vota transeundi ; et ita passim in aliis eiusmodi resolutionibus, licet contrahentes alicuius essent regionis, in qua Tridentinum non viget.

Quapropter ea coniugia quae sive Romae, sive Florentiae sive Augustae Taurinorum aut alibi in Italia a protestantibus inter se, aut a protestantibus cum catholicis ineuntur aut coram solo magistratu, aut solo praesente haeretico ministro, nulla omnino sunt vitio clandestinitatis (175).

Idque etiamsi ineantur in sacellis ac domibus exemptis regii ministri acatholici in locis, ubi viget Tridentina lex. Cuius asser-

(174) *Institutiones canonicae* tit. III. n. 14.

(175) Idcirco matrimonium Romae attentatum ab apostata Hyacintho Achilli, cuius meminimus in op. *Il protestantesimo e la regola di fede* par. III. cap. VI. in nota, non modo nullum fuit ob impedimenta canonica *ordinis* et *voti*, verum etiam ob impedimentum *clandestinitatis*.

tionis vadem damus resolutionem, quae emissa est a suprema congreg. SS. inquisitionis in causa cuiusdam Aloysiae Mariae N. N., quae orta in Anglia una cum familia sua exilio inde expulsa venit Lutetiam Parisiorum. Haec cum Romam venisset an. 1832. eiuravit errores sectae protestantis, in qua orta et educata erat, petiitque facultatem contrahendi ibi matrimonium. Quandoquidem autem in instantia sua exposuerat se die 27. Iulii an. 1822. contraxisse matrimonium civile cum gallo catholico Frider. N. N. coram magistratu, ac die insequenti, nempe 28. Iulii, coniugium iterum celebrasse in domo regii oratoris Britannici Parisiis iuxta formam ecclesiae Anglicanae coram capellano Anglici ministri, expensa fuit quaestio circa validitatem eiusmodi coniugii in memorata suprema S. off. congregatione, eo quod adhuc in vivis ageret N. N. Post desumptas informationes, feria IV. 14. Mart. 1832. decretum est: « Nihil obstare, quominus oratrix Aloysia Maria N. N. admit- » tatur ad iuramentum suppletorium. » Quod perinde est ac declarare invalidum coniugium ab N. N. initum cum N. N. Parisiis prius civiliter, deinde vero coram *ministro anglicano in domo ministri regii Britannici.*

Hanc excipit quaestio opposita, scilicet eorum, qui ex locis, ubi receptum atque in usu est decretum Tridentinum, se conferunt in alium locum, ubi idem decretum nec receptum neque in usu est, ut ibi inire possint nuptias sine parochi praesentia. Proposita haec fuit quaestio ab archiepiscopo Goano in Indiis Benedicto XIV. Etenim haud raro accidebat, ut sponsi ex illa dioecesi in proximum territorium se conferrent, ut clandestine matrimonium celebrarent, quum ubi publicatum non fuerit decretum Tridentinum, deinde coniuges ad propria revertebantur. Sapientissimus pontifex ad illum scripsit celebrem epistolam *Super quibusdam dubiis respicientibus validitatem matrimoniorum* (176), in qua, uti solet, variis theologorum ac iuris canonici interpretum sententiis expositis, concludit, nullum illo-

(176) Apud S. Mariam maiorem die 17 Mart. 1758.

rum esse censendum coniugium, qui illic celebrarent, ubi receptum non est Tridentinum decretum, non habentes sive *domicilium* aut *quasi domicilium*. Cum vero dubitari posset quodnam temporis intervallum requiratur ad *quasi domicilium* comparandum, statuit pontifex : « Quod antequam matrimonium » contrahatur, *spatium saltem unius mensis* ille, qui contrahit, » habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. » Eiusmodi autem spatium iuxta civiles quidem leges varium, longius nempe vel brevius esse potest; sed Ecclesia ad hanc civilium legum varietatem non attendit, sequiturque in praxi ius ecclesiasticum, quo saltem unius mensis spatium requiritur ac sufficit. Nam congreg. concilii in causa Aquisgranensi, consulta super validitate cujusdam matrimonii Aquisgrani celebrati post aliquantulam moram in illa civitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserunt; quod si fuerit *saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate* (177). Quod vero attinet ad domicilium acquirendum, certum exploratumque est, haud requiri temporis determinatam durationem, cum satis sit animus firmus alicubi commorandi, seu uti statuunt iurisperiti ad acquirendum domicilium duo requiruntur; *animus et factum*, ac prout dicitur l. 7. *cod. de incolis*. « Et in » eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi » quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam cons» tituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, » atque l. 20. ff. *Ad municipalem :* ad habendum domicilium requiritur, « quod quis velit constituere in tali loco habitationem » stabilem et perpetuam. » Sane sac. congregatio concilii quoddam matrimonium validum probavit, quod duo Cesenae incolae celebrarunt Forolivii, eo quod puella ante discessum palam fecisset, se domicilium in hac civitate deligere, ubi materna avia vitam ducebat (178).

(177) Cf. Fagnanum in can. *significavit* n. 39. in 1. part. tertii decretal. pag. 386.

(178) In causa *Matrim. Cesen.* die 22. Febr. 1725.

Si qui proinde alio se conferant in eum solum finem, ut ibi nuptias ineant, praetermissa Tridentini forma, quia ibi decretum *Tametsi* non est promulgatum aut acceptum, quin animum habeant acquirendi sive domicilium sive quasi domicilium, absque dubio eorum connubium sic celebratum nullum est atque irritum. Siquidem dolo ac fraude ita se gerere convincuntur, dolus autem et fraus nemini debent patrocinari. Ast si *praeter* hanc voluntatem celebrandi coniugium ubi non est receptum Tridentinum decretum, animum contrahentes prae se ferant illic commorandi suumque acquirendi domicilium, fraude non obstante, illorum coniugium validum erit censendum.

Et reipsa Urbanus VIII. suis apostolicis litteris insequentes sac. concilii congregationis sententias die 14. Augusti 1622. confirmavit : « Primo : an incolae tam masculi, quam foeminae » loci, in quo conc. Tridentinum in puncto matrimonii est pro- » mulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum concilium » non est promulgatum retinentes idem domicilium, valide » possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus » contrahere ? — Secundo, quid, si eo praedicti incolae tam » masculi, quam foeminae solo animo sine parocho et testibus » contrahendi se transferant, habitationem non mutantes ? — » Tertio, quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae » eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque paro- » cho et testibus contrahant ? Iidem cardinales ad I. et II. non » esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac » transeuntes cum fraude : ad III. vero dubiorum huiusmodi, si » domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, » responderunt et resolverunt (179). »

Cum ad eamdem S. Congreg. delata fuisset a vic. generali Gratianopolitano quaestio, utrum validum esset censendum ma-

(179) Apud Bened. XIV. et Rom. 1750. tom. XI. *Instit. XXXIII.* p. 219. nec non *De syn. dioes.* lib. XIII. cap. IV. n. 10. Item in cit. litt. ad Antonium, episc. Goanum, ubi etiam dat rationem harum decisionum.

Cf. Pariter Nat. Alex. *Theol. dogm. moral.* lib. II. *De sacr. matr.* cap. 2. art. 2. reg. 6.

trimonium a duobus Gallis Londini post *octo* aut *decem* dierum commorationem coram missionario apostolico celebratam, resp. « *non constare de validitate* (180). »

Quod dictum est de acquirentibus domicilium aut quasi domicilium relate ad matrimonii celebrationem, analogia quadam dici pariter debet de *vagis* ac *peregrinis* nuptias ineuntibus apud parochum, ad quem pertinent, ne clandestina ratione illas ineant. Licet vero passim inter se *peregrini* ac *vagi* permisceri soleant, ingens tamen intercedit reipsa inter utrosque discrimen, ac proinde diversum de illis iudicium ferri debet. Ut enim scite animadvertit Benedictus XIV. *vagus* proprie ille est appellandus, qui relicto suo domicilio, sedem in exteris terris inquirit, ut ex iure deprehenditur. « Puto autem et hoc procedere posse, » si quis, domicilio relicto, navigat, iter faciens quaerat, » quo se conferat, atque ubi consistat; nam hunc puto sine do- » micilio esse (181). » *Peregrinus* autem is nuncupatur, qui ex » voluntate iter facit, ut ad pristinum domicilium exacta pe- » regrinatione revertatur (182). » Vagorum porro parochus is dicitur in cuius ditione illi versantur (183); quod pariter asserendum est, licet alter solum ex illis, qui coniugium petunt, vagantium numero adscribatur. Parochus vero peregrinorum ille habendus est, in cuius ditione est ipsorum domicilium. Cum autem, ut innuimus, peregrini et vagi passim inter se confundantur, et istorum quidem validum sit coniugium celebratum coram parocho loci, ubi subsistunt, contra vero illorum invalidum est, cum inire nuptias debeant coram parocho loci, in quo retinent domicilium, exinde sequitur debere sedulo parochos

(180) Cf. *Thesaur. resolution.* tom. CI. die 3. April. 1841. pag. 127 seqq.

(181) L. *Eius* §. *Celsus* ff. *Ad municipalem.*

(182) Cf. Greg. Rossignolum *De matrim.* par. I. tom. I. *contractus* 15. praenot. 22. n. 4. Mediol. 1686. pag. 70.

(183) Sanchez *De matrim.* lib. III. disp. 25. n. 1. Barbosa *De offic. et potetat. parochi* par II. c. 21. n. 89. Lugduni 1658. pag. 192. Cabassut. in *Theor. et praxis iur. canon.* lib. III. c. 26. n. 14. Pirhing. ad lib. IV. *Decret.* tit. III. *De clandestin.* §. III. n. 19.

sanctionem concilii Tridentini executioni mandare : « Parochis » autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius » diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, » ab eo licentiam id faciendi obtinuerint (184). »

Quae de peregrinis diximus, qui coniugium celebrant praetermisso parocho proprii domicilii, confirmantur ex decreto sac. concil. congregationis, die 22. Februar. 1631. his verbis expresso : « Sacra etc. censuit dandam esse declarationem in abs- » tracto in forma sequenti : vir et mulier in loco suae habita- » tionis absque animo illam relinquendi discedentes, et ad » locum alterius parochiae solo animo illic matrimonium cele- » brandi, non autem domicilium contrahendi se transferentes, » ibi coram parocho illius loci inter se contraxerunt. Supplica- » tur per sacram congregationem declarari an huiusmodi ma- » trimonium sit nullum vel validum : die 22. Febr. 1631. Sa- » cra etc. secundum ea, quae proponuntur censuit esse *nul-* » *lum* (185). »

Nunc alia quaestio sese offert de eorum coniugiis, qui contrahunt inter infideles, vel inter haereticos illis in locis, ubi Tridentinum promulgatum est quidem, sed nemo reperitur sive parochus sive sacerdos, coram quo fideles consensum praebeant. Porro exploratum est fideles inter infideles commorantes, ubi Tridentinum decretum promulgatum non fuit, posse non solum valide, sed *licite* inter se coniugium inire coram duobus aut tribus testibus, etiamsi nullus sit praesens sacerdos. Quod saepe contingit in imperio Sinensi, in Indiis et alibi. Idipsum dicendum si facilis non sit ad sacerdotem missionarium accessus : quia tunc moralis impotentia, eaque gravis intervenire censetur, sub qua Ecclesia obligare non intendit, prout aperte indicatur in nonnullis sac. congreg. responsionibus, quas inferius exhibebimus.

Quod vero spectat ad illos, qui in regionibus versantur ab

(184) Sess. XXIV. *De ref. matrim.* cap. 7.
(185) Apud Bened. XIV. loc. cit.

haereticis occupatis, in quibus tamen decretum Tridentinum aut publicatum aut in usu est, sed non reperitur sacerdos, coram quo valeant suum proferre consensum, tunc et istis satis erit coniugium suum celebrare coram duobus aut tribus testibus. Sic enim scribit Maschat : « Fideles commorantes v. g. in » Hollandia et aliis provinciis confoederatis, ubi Tridentinum » publicatum est, si nullum habere possunt sacerdotem catho- » licum, videntur valide coram duobus vel tribus testibus con- » trahere matrimonia ; tum quia mater Ecclesia videtur condes- » cendere ad eorum valorem, tum quia in talibus locis decre- » tum Tridentinum moraliter impossibile est observari, pastor » tamen haereticus non est adhibendus, ut talis recognoscatur » a catholicis (186). » Haec quidem hic auctor de illa regione pro conditione temporum, quibus ipse scribebat ; nam nunc immutata eiusmodi conditio est ; et catholici illic degentes in matrimoniis inter se contrahendis debent se conformare formae Tridentinae.

Caeterum quoad hos fideles aliosve, qui in iis versantur rerum adiunctis, in quibus vel nullum omnino sacerdotem adire possint aut nonnisi summa difficultate aut periculo eum habere valeant, tum valide tum licite posse nuptias contrahere coram duobus aut tribus testibus non obscure, ut diximus, ex responsionibus sac. congregationum Rom. colligitur. Nam interdum *nullum* declaratur matrimonium, quando contractum fuisse constat tempore, *quo erat facilis et tutus ad parochum catholicum accessus* (187). Item celebratum « eo tempore et » circumstantiis, quibus *ad proprium sacerdotem suam recursus* » *tutus et facilis erat* (188) ; » prout pariter iudicatum est in alio coniugio coram solo magistratu civili inito « cum ad » superiorem legitimum vel alium sacerdotem ab ipso deputa- » tum *facile recurri poterat* (189), » ut alias eiusmodi resolu-

(186) *Inst. canon.* part. II. lib. IV. tit. III. *De clandestina dispensat.* n. II.
(187) Congreg. S. off. 23. Mart. 1808.
(188) Eadem congreg. 19. Nov. 1828.
(189) Eadem. 23. Mart 1808.

tiones silentio praeteream. Ergo ex contrariorum ratione videtur Ecclesiam ratum habere coniugium etiam catholicorum in illis rerum adiunctis, in quibus aut parochus sive sacerdos missionarius nullatenus, aut nonnisi summa difficultate ac vitae discrimine bonorumve adiri nequit, alioquin eiusmodi clausulae forent prorsus supervacaneae.

Quae quidem sufficere videntur; ne quis tamen adhuc ambigat aut haerens animo sit, non abnuimus adiicere positiva documenta, eaque directa, quae rem plane conficiant. Tale est responsum quod refert Prosper Fagnanus datum a Rom. pontifice ad relationem sac. congreg. concilii his verbis: « Sanc» tiss. audita relatione congregationis dixit: si alias parochus » vel sacerdos catholicus in propinquo loco sit, coram ipso et » testibus contrahatur; quod si id *commode fieri nequeat, con*» *trahatur coram testibus*, et si fieri poterit, etiam coram no» tario: factis tamen prius in utroque casu denunciationibus » et aliis servatis ex conc. (Tridentino) servandis (190). » Aliud documentum nobis suppeditat resolutio sac. congreg. concilii data die 19. Ianuar. 1605. ad episcop. Tricariensem omnino conformis declarationi Rom. pontificis modo allatae, quae eiusmodi est: « Si vero parochia, in qua fuit aliquando » observatum decretum (Tridentinum) parocho careat, et ca» thedralis itidem episcopo et capitulo habentibus a concilio » facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius » ibi sit, qui vices parochi, aut episcopi suppleat, matrimo» nium *valet absque praesentia parochi*, servata tamen in eo, » in quo potest, forma concilii; nempe adhibitis saltem duobus » testibus. Si vero extent quidem parochus et episcopus, sed » nullo constituto vicario, uterque metu haereticorum lateat, nec » ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium » absque parocho, adhibitis tamen duobus testibus (191). »

(190) Prosp. Fagnani *Commentaria in secund. libr. decretal. De foro competenti* in cap. *Si clericus* n. 58.

(191) Apud Diana *Resolut. moral.* part. XI. tract. VI. resol. I. Venet. 1655. pag. 528.

In dubio utrum publicatum fuerit nec ne decretum Tridentinum in nonnullis Sinarum provinciis resolutum fuit : « Non » inquietandos fideles , qui *missionario longe absente* , matri- » monia ineunt in Sinis coram christianis tantum , quum ne- » quaquam Tridentina lex publicata ibidem fuerit (192.). Hinc » vera esse matrimonia, ideoque indissolubilia , quae in locis » ipsorum contrahuntur solo contrahentium consensu ab an. » 1563. declaratum fuit , et *etiamsi promulgata ea lex foret, » valere tamen matrimonia in praesentia duorum testium tan- » tum* quoties in locis, ubi matrimonium contrahitur vel in » vicino, ad quem accedi sine periculo possit, et parochus vel » alius sacerdos secularis vel regularis non existat ab episcopo » deputatus, haec pariter apostolica Sedes pluries interrogata » respondit (193). » Et iterum : « Caveat (vicarius apostolicus » Tunchini orientalis) quod etiam in locis , ubi decretum con- » cilii Trid. publicatum est , *si tamen propter distantiam loco- » rum* parochus haberi non possit , valida tum etiam habenda » esse matrimonia iuxta resolutionem S. off. ad hoc dubium in » notis archivii... eiusque exemplum transmittit (194). »

Demum aliis omissis , 1. Ian. 1683. sac. congreg. concilii Trid. declaravit « valere matrimonium clandestinum in paro- » chia, ubi non est promulgatum conc. Tridentinum , et ideo » illa valida sunt matrimonia haereticorum coram suo ministro, » secus si concilium publicatum fuerit, nisi celebretur coram » parocho catholico. Ubi autem publicatum est. conc. Triden- » tinum , sed non sit parochus , vel eius vicesgerens , *aut ad » neutrum sit possibilis accessus* , tunc valet matrimonium » coram duobus testibus celebratum. » Et de quaestione hac, satis.

(192) Ut alias animadvertimus , aliquot decreta , quae sibi contradictoria videntur , dummodo ratio habeatur diversorum temporum et locorum , ap prime inter se conciliantur. Superius enim vidimus in nonnullis Sinarum provinciis concilii Tridentini decretum fuisse promulgatum ; atque idipsum innuitur in insequentibus verbis.

(193) Ex Act. congr. de propag. fide an. 1721.

(194) Ibid. an. 1784. 1. Mart.

Huic altera adnectitur quaestio, num in loco et paroecia, in quibus inter catholicos et haereticos eodem templo utentes, datur *simultaneum*, ut vocant, estque a catholicis promulgatum decretum Tridentinum, validum sit, haereticorum coniugium coram proprio ministro in eodem templo celebratum? Non desunt theologi, qui censeant eiusmodi haereticorum coniugium validum esse 1. quod ad matrimonii valorem iuxta concilii Tridentini formam satis sit praesentia parochi etiam putativi, sive qui ut verus parochus habetur, quamvis reipsa non sit; 2. quod hoc in casu duae ad effectum videantur esse paroeciae, altera catholicorum sub proprio parocho catholico degentium, haereticorum altera, in qua non fuit publicatum neque receptum decretum conc. Tridentini, qui proinde valide contrahunt praetermissa forma ab illo concilio praescripta (195).

Iam vero ex praestitutis a nobis principiis eiusmodi sententia admitti nullatenus potest. Nam si haeretici de iure ecclesiasticis legibus subiiciuntur, eisque omnino obstricti sunt, ut suo loco ostendimus, profecto obligantur etiam quoad legem irritantem matrimonium sine parocho contractum, si eiusmodi lex fuit in parochia ubi haeretici degunt promulgata atque recepta. Talis sane est mens Ecclesiae Romanae, ut patet ex variis responsionibus datis tum a sac. concilii congregatione, tum a sac. poenitentiaria, quas suo loco attulimus.

Quae cum ita se habeant, nullum superesse dubium potest de illegitimitate illorum connubiorum, quae ineant aut

(195) Ita inter caeteros Tannerus *Theolog. Scholast.* Ingolstad. 1627. tom IV. disp. VIII. quaest. III. dub. VI. n. 122. et Laymann *Theolog. moral.* lib. V. tract. X. part. II. c. 4. n. 7. attamen primus haesitanter hoc adstruit; alter vero non dissertis quidem verbis, sed solum aequivalenter. Idem dic. de Pichler in op. *Candidatus iurisprudentiae sacrae* lib. IV. tit. III. n. 15. Et Stalenus in *Dissert. theologico-politica* cap. VI. *part. posterior.* ubi fuse agit hac de re, ut alios omittam, quos ipsi auctores recensent. Plerique scriptores Germanici pro valore pugnant coniugiorum, quae ab haereticis ineuntur, etiam ubi publicatum ac observatum est decretum Tridentinum; ast istorum argumenta meris innituntur coniecturis, conniventia, atque ut aiunt, *a priori*.

haeretici inter se, aut cum catholicis, ubi decretum Tridentinum publicatum est et servatum a catholicis , licet ex parte haeretica in templo, quo ipsi communiter cum catholicis utuntur , illud decretum non fuerit promulgatum. Satis enim est in eodem templo fuisse et publicatum et observari a catholicis, ut haeretici quoque ad eam formam servandam teneantur. Superius dedimus resolutionem sac. concreg. concilii an. 1742. de nullitate coniugii inter haereticum et catholicam celebrati Ulmiae, in qua civitate nonnisi una supereat paroecia catholica, in qua concilii Tridentini decretum promulgatum fuerat et servabatur, dum templa reliqua quondam catholicorum ab haereticis occupabantur ; attamen nulla istorum ratio habita est, haereticosque illic degentes subiici legi Tridentinae declaratum est. Itaque multo magis irrita ac nulla censenda sunt coniugia illa in templo celebrata, in quo eiusmodi decretum et promulgatum a catholicis et servatum est.

Ad argumentum vero petitum ex eo quod minister propriae sectae verus putetur pastor, etsi reipsa non sit, facilis est responsio; nimirum ignorantiam quidem suffragari cum ea est *de facto*, non autem ubi est *de iure*, ut in casu quo de agitur.

Quid porro dicendum, si a catholicis aut ab acatholicis praebeatur consensus coram parocho, qui publicus haereticus effectus sit? Si in ea paroecia promulgatum est decretum Tridentinum, citra dubium irritum est matrimonium coram eiusmodi parocho celebratum, prout declaratum est a sac. congregatione concilii (196); siquidem parochus publicus haereticus desinit esse parochus, cum sit ipso iure privatus beneficio parochiali, ex constit. *Noverit* Nicolai III. (197), ac propterea non servatur forma a Tridentino praescripta, iuxta quam matrimonium celebrari debet coram proprio parocho.

Ex his etiam patet solutio alterius dubii, quod interdum

(196) Apud Fagnan. lib. V. *Decretal.* ad cap. *Ad abolendum de haeretic.* n. 37. et 38.

(197) *Bull.* ed. Rom. 1741. tom. tert. part. II. pag. 26. col. § . 13.

moveri solet circa valorem illorum coniugiorum, quae ab haereticis ineuntur in dioecesi quidem aut sub paroecia ubi decretum Tridentinum est publicatum ac observatum at in templo novo ab ipsis excitato cum supervenerunt ad illam dioecesim aut paroeciam. Et haec quaestio facile dirimitur si ratio habeatur eorum, quae a sac. congregationibus paulo ante allata sunt. Nam vidimus saepius declaratum nulla esse in Galliis et alibi ubi decretum conciliare est promulgatum, quamvis haeretici illis in regionibus postea et sua templa habuerint, suosque ministros, coiverintque in coetus distinctos a catholicis. Ratio est, quia ubicumque ipsi sua templa aedificent, necesse est ut subsint alicui paroeciae, in qua decretum fuit publicatum, adeoque lege Tridentina hoc ipso subiiciantur. Ubicumque enim viget Ecclesia catholica, praesertim vero ubi dominatur, integra regio sub alicuius episcopi iurisdictione constituitur, paroeciae instituuntur, atque unicuique parocho confinia assignantur, et qui intra hos fines reperiuntur, curae subsunt peculiaris parochi. Quum proinde haeretici templa erigunt intra ambitum alicuius paroeciae, sub parochi ditione aedificant, eique saltem *iure* subsunt, etsi *de facto* eidem refragentur. Quum propterea in aliqua paroecia publicatum est concilium Tridentinum, hoc omnes indiscriminatim obligat sive catholici sint, sive acatholici. Et hoc, sive actu se rebellaverint adversus Ecclesiam, sive ex aliis regionibus ad illam paroeciam supervenerint.

Propter argumenti affinitatem non abs re erit dubia referre, quae circa militum coniugia proposita sunt apostolicae Sedi, quaeque resoluta fuere a sac. congreg. S. off. atque transmissa ad congregationem concilii. Sunt autem :

Primo. An capellani cuiusvis exercitus, sive regulares, sive seculares catholici possint administrare militibus in praesidiis degentibus sacramenta poenitentiae, eucharistiae per modum viatici, et Extremae Unctionis sine speciali facultate Sedis apostolicae, vel licentia et approbatione ordinarii, in cuius dioecesi extare contigerit?

Secundo. An assistere matrimoniis militum cuiuscumque

stationis degentium in praesidiis cum militaribus foeminis, sine dicta facultate apostolica, et praecedenti probatione status liberi, eiusque recognitione coram ordinario loci, et licentia parochi sub cuius parochia maneant?

Tertio. An idem cum militibus degentibus in castris et stationibus hybernis vel aestivis?

Quarto. An idem cum militibus in actuali expeditione positis?

Quinto. An idem cum militibus nubere volentibus cum foeminis non militaribus, sed Italis originariis loci sive dioecesis, in qua reperiuntur?

Sexto. An milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam praescriptam a S. conc. Trid.?

Septimo. An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus, et non militaribus in praesidiis, castris, et expeditione manentes?

Octavo. An et capellani acatholici assistere possint matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, et respective catholicis, etiam intra fines Italiae, et quatenus negative in omnibus praeter sextum et septimum.

Nono. An, quid pro sanatione gestorum in praeteritum, et faciendorum in futurum super praedictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum et statuendum sit?

Sac. congreg. die 6. Martii 1694. respondit Ad I. *Negative*. Ad II. *Negative* confirmat. in *Casalens*. 28. Iunii 1704. Ad III. IV. et V. *Negative*. Ad VI. *Affirmative* ubi publicatum fuit concilium ixta decretum sac. congreg. 26. Sept. 1602. Ad. VII. *affirmative*, ut ulterius indigere dispensatione, ut matrimonia licite fiant. Ad VIII. ut ad VI. (198). Ad IX. Quoad praeteritum circa sacramentum poenitentiae non esse inquietandas conscientias : et circa matrimonia pro sanatione cum Sanctissimo renovato consensu etiam coram confessario, qui teneatur tra-

(198) Id est teneri ad servandam formam a concilio praescriptam, adeoque cum in Italia publicatum fuerit concilium, nullum est matrimonium, cui assistant capellani acatholici, sive agatur de matrim. ineundo inter acatholicos, sive de matrimonio mixto.

dere testimonium renovationis consensuum parocho illius loci, ubi sequuta est talis renovatio consensus (199).

Et haec quidem de militibus, nisi speciali cum Sede apostolica conventione ampliores facultates capellanis concessae fuerint, ut munia parochialia erga militares copias, quibus inserviunt in spiritualibus, exerceant.

Superest expendenda quaestio, an licitum sit catholicis, qui sub principibus acatholicis degunt, sive ante sive post celebratum coram catholico parocho aut sacerdote coniugium, praebere aut renovare consensum coram ministro haeretico, ubi lex id ab omnibus exigit, ut matrimonium legitimum habeatur? Locum habet eiusmodi inquisitio sive agatur de regionibus, in quibus decretum Tridentinum receptum est, sive de illis, in quibus publicatum ac receptum non fuit. Porro hic de re agitur, quae non solum ecclesiastico, sed praeterea divino iure vetita est. Distinctione itaque respondendum est. Siquidem coram haeretico ministro, prout talis est, seu prout est haereticae sectae minister et praeco, sive minister sacrorum, qui contrahunt coniugium, aut renovant consensum, absque dubio graviter peccant. Etenim hac agendi ratione profiterentur se ministrum illum habere veluti pastorem legitimum, adeoque haereticae doctrinae ac sectae adhaerere, et communicare in sacris, quod profecto nefas est catholicis hominibus absque salutis dispendio. Quapropter licet sub bonorum iacturae, exilii comminatione carcerumque poenarum id praeciperetur, nullo modo esset tali iniquae legi parendum. Tunc vero haereticus ceu sectae religiosae minister formaliter agere censetur, quum ipse religiosum ritum aut ceremoniam exercet, impertiendo ex. gr. benedictionem nuptialem super contrahentes, orando super sponsos, aliaque eiusmodi praestando, quae ad religionem pertinent.

Secus vero, si catholici adeant haereticum ministrum sive ante sive post celebratum coram parocho proprio coniugium, ut iuxta civilis legis praescriptum coram illo exhibeant consensum

(199) Apud Matthaeuccium in op. *Cautela confessarii*. Venet. 1734, lib. IV. cap. VIII. §. 16. n. 98. pag. 511.

tanquam coram ministro politico, aut magistratu, nihil obstare videtur quominus id licite fiat. Nam in eiusmodi rerum adiunctis spectatur tantummodo civilis legis praescriptio, nec utitur ministro religionis, ut vocant, Status, sed ut coram politico regimine constet de legitimitate coniugiorum, quae in republica seu in Statu ineuntur. Nec obstat ab eiusmodi ministro interdum adhortationes fieri ad coniuges etiam catholicos, ut servent coniugalem fidem, ut bene prolem instituant, ut animorum servent concordiam, aliaque eiusmodi praestent; haec enim ad religionem sectae non pertinent (200).

Sane non ita pridem in Anglia, data lege, omnes cuiusvis religiosae confessionis subditi cogebantur coram ministro Anglicano, seu religionis, quam vocant, legalis sua celebrare coniugia, seu in coniugium praebere consensum. Porro cum Anglicanus minister spectaretur uti persona politica, non abnuebant catholici, perinde ac *dissidentes* reliqui, (qua denominatione designantur quotquot religionem Status non profitentur), se sistere coram illo ad suum praebendum consensum, ut bonis civilibus fruerentur, et eorum proles tanquam legitima haberetur. Hic rerum status perseveravit in Anglia usque ad reformationem hac super re inductam a Roberto Peel, quo potissimum agente, lex illa demum an 1837. abrogata est.

Iuverit haec confirmare documento aliquo authentico nempe ex sac. congregationis decreto, quod huc refertur. Siquidem ad dubium a D. Dufresse Rovicano provinciae Sutchuen propositum ; videlicet : « Aliquando etiamsi sacerdos adsit in loco, » non potest tamen ab eo recipi benedictio antequam adhibeantur ritus civiles matrimonii. Quaeritur, an in isto casu licite » possint sponsi suspendere consensum suum de praesenti ad » evitandum clandestinitatis vitium, ita ut exercendo ceremo- » nias publicas et consuetas, solummodo intendant confirma- » re sponsalia vel sponsam traducere in lectum vacuum, non

(200) Cf. De hoc argumento Lessium in *Auctuario* . d 12. verb. *Haereticorum cum catholicis conversatio.*

» autem verum matrimonium contrahere, nisi cum postea sa-
» cerdotis benedictionem suscipient ; quae omnia fiunt consciis
» christianis, sed insciis gentilibus ; ita ut isti credant vere
» contrahi matrimonium, illi vero solum confirmari sponsalia. »
Sac. congreg. propag. fidei respondit: « Detur instructio Bene-
» dicti XIV. in litteris apostolocis diei 17. Sept. 1746. incip.
» *Redditae nobis*, quoad ea, quae referri possunt ad praesens
» dubium. Haec est autem illa instructio : « Sciant itaque ca-
» tholoci vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut
» haeretico ministro matrimonii celebrandi causa se sistunt, ac-
» tum se mere civilem exercere.... Caeterum tunc quidem nul-
» lum a se contrahi matrimonium. »

Et §. seq. « Illud praeterea vobis curandum est, (alloquitur
» missionarios), ne etiamsi duo catholici civilem illam ac mere
» politicam coram haereticis ceremoniam, peregerint, nimium
» inter se familiariter agant, aut sub tecto communi habitent,
» nisi se prius veris et legitimis nuptiis... obligaverint. Quam-
» quam enim illa familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe
» periculo ac suspicione non vacare. Utrumque autem probis et
» bene moratis christifidelibus cavendum est... Id saltem pro
» viribus satagite, ne postquam reipublicae morem illi gesse-
» rint, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et coniugale
» foedus... rite et sancte inire (201). » Demum si duo inter
se ineant nuptias, quorum alter in loco versetur ubi publica-
tum est decretum Tridentinum, alter vero ubi non fuit pro-
mulgatum, si matrimonium celebretur ubi publicatum ac re-
ceptum est, coniugium nisi coram parocho catholico fiat, est
nullum defectu clandestinitatis ; si vero celebretur ubi non fuit
publicatum aut nunquam aut a longo temporis intervallo non
fuit servatum, licet alteruter contrahentium spectet ad dioece-
sim vel paroeciam in qua obtinet decretum Tridentinum, ma-
trimonium tamen est validum ; idque duplici de causa, tum

(201) 20. Febr. 1801.

nempe quia matrimonium est individuum, tum quia sequitur forum, in quo celebratur, iuxta superius dicta.

Verum de his hactenus. Ad reliquas enim quaestiones quod attinet, consuli debent theologiae moralis et iuris ecclesiastici institutores ac interpretes.

## CAPUT VII.

### De Ecclesiae potestate in matrimonia infidelium cum fidelibus vel inter se.

#### Articulus I. — Quaestio praemittitur theologica de natura Matrimonii ante et post infidelium coniugum baptisma.

Mirari forte quis posset, nos de matrimonio infidelium disserere, qui de matrimonio christiano agere profitemur. At mirari desinet, si animadvertat quaestiones de matrimonio infidelium cum tractatione de matrimonio christiano intrinsecum ac multiplicem nexum habere, tum relate ad naturam sacramenti, quam infidelium coniugium induere potest post coniugum conversionem, tum relate ad Ecclesiae potestatem, quae leges tulit, tum circa coniugia fidelium cum infidelibus, tum denique circa coniugia, quae in infidelitate inita post baptismum vel confirmantur, vel dissolvuntur.

Primo itaque quaestionem agitabimus theologicam, quae tripartita esse potest: quaeritur primo an ea sit natura coniugii in infidelitate initi, ut solvi possit; quaeritur secundo an et quomodo matrimonium in infidelitate contractum rationem induat sacramenti post utriusque coniugis baptismum; quaeritur tertio num ratio adsit sacramenti ex parte fidelis, si forte alteruter tantum convertatur, vel si ex Ecclesiae dispensatione fidelis cum infideli matrimonium ineat. Exinde fiet transitus ad Ecclesiae legislationem.

De prima quaestione pauca dicenda supersunt postea, quae in praelectionibus nostris constituimus. (1) Illic enim ostendimus

(1) Tract. *De matrim.* cap. II. prop. II.

tum ex sac. litteris, tum ex sensu traditionali, tum denique ex sententia et auctoritate Rom. pontificum, constantique Ecclesiae universae agendi ratione, nullum posse superesse dubium circa eiusmodi coniugiorum, legitima interveniente auctoritate, in quibusdam casibus dissolubilitatem. Disiecimus insuper difficultates, quibus nonnulli sive antiquiores, sive recentiores auctores hanc Ecclesiae doctrinam et praxim impugnare adnisi sunt. Ne igitur actum agere videamur, haec omnia hic innuisse sufficiat, praesertim quum nonnihil ex incidenti hac de re dixerimus in sectione altera libri prioris, dum de matrimonio civili loqueremur, et alia dicenda sint in tertio libro, dum de indissolubilitate tanquam de proprietate christiani connubii disseremus.

Illud nunc firmum maneat : quamdiu infideles coniuges ambo in infidelitate permanent, ipsorum coniugium verum ac legitimum esse, quamvis sub aliqua ratione *imperfectum*, ut animadvertit S. Thomas scribens : « Matrimonium principa-
» liter institutum est ad bonum prolis, non tantum generandae,
» quia hoc sine matrimonio fieri posset, sed etiam promovendae
» ad perfectum statum, quia quaelibet res intendit naturaliter
» effectum suum producere ad perfectum statum. Est autem
» in prole duplex naturalis perfectio consideranda, scilicet
» perfectio naturae, non solum quantum ad corpus, sed etiam
» quantum ad animam, per ea, quae sunt de lege naturae,
» et perfectio gratiae ; et prima perfectio naturalis et imper-
» fecta respectu secundae. Et ideo cum res, quae sunt propter
» finem, sint proportionatae fini, matrimonium quod tendit ad
» primam perfectionem est *imperfectum* et materiale respectu
» illius, quod tendit in perfectionem secundam. Et quia prima
» perfectio communis esse potest fidelibus et infidelibus, se-
» cunda autem est tantum fidelium, ideo inter infideles est
» quidem matrimonium, sed *non perfectum* ultima perfectio-
» ne, sicut est inter fideles (2). » Atque hinc factum est ut

(2) In 4. Sentent. dis. 39. q. 1. art. 2.

coniugium infidelium diceretur quidem *verum* sed non *ratum*, fidelium autem et *verum et ratum ;* itemque ut coniugium infidelium quandoque solubile, fidelium indissolubile prorsus diceretur. Porro ad praxim quod attinet, adiuncta, quae ad huiusmodi coniugii solutionem requiruntur, plura Ecclesia vel statuit vel declaravit ; eaque nos in insequenti articulo afferemus.

Nunc itaque ad alteram theologicam quaestionem gradum facimus circa conditionem seu naturam, quam induit matrimonium infidelium, quando uterque ad christianam fidem convertitur ; num scilicet per baptismum coniugium ad sacramenti dignitatem evehatur. Quamvis vero in libro priori aliquid hac de quaestione attigerimus, iuverit tamen hic plenius eamdem declarare.

Auctores, qui de ea disseruerunt, in contrarias distracti sunt sententias : siquidem alii censent, per baptismum evehi reipsa coniugium ad sacramenti dignitatem, alii vero id prorsus inficiantur. Rursum quoad praxim, nonnulli exigunt, ut renovetur amborum coniugum consensus, ut matrimonium ratum habeatur, alii vero id respuunt. Res in ancipiti versatur, praesertim cum Rom. pontifices quaestionem hanc dirimere minime voluerint, quamvis non exigui momenti ex alterutro placito corollaria descendant.

Nos utriusque sententiae sive affirmantis sive negantis patronos saltem praecipuos recensebimus una cum fundamentis, quibus utraque nititur opinio, ac dein quid verisimilius censendum nobis videatur, exponemus.

Igitur, ut a parte negante exordiamur, duorum coniugum infidelium, cùm baptismo lustrantur, connubium sacramentum fieri sive sola baptismi susceptione, sive accedente novo post baptismum consensu inficiantur Vasquez (3), Pontius (4),

(3) *De matrim.* disp. II. cap. V. et tom. II. in 3. p. disp. 138. c. 3.
(4) Lib. I c. IX. n. 8.

Salmanticenses (5), Tournely (6), Collet (7), Billuart (8), Lacedemon (9), aliique fere omnes, qui adhaerent sententiae de sacerdote sacramenti matrimonii ministro (10). Praecipuum istorum argumentum desumitur ex ratione sive natura sacramenti, quod materiam et formam idoneam exposcit : iam vero hae haberi nequeunt in consensu infidelium, ex quo exurgit contractus naturalis matrimonii in infidelitate initi, ut per se patet. Sed neque exurgere potest ex consensu, qui post baptismum, vel in ipsa susceptione baptismi praebetur, quia per anteriorem consensum contractus iam effectus est, nec amplius potest esse materia sacramenti, quod in actu transeunte consistit seu efficitur. Qui enim semel aliquid alicui irrevocabili prorsus ratione donavit, in eius potestate amplius non est illud iterum donare; talis autem est traditio, quam alter coniugum alteri fecit corporis sui per contractum coniugalem etiam in infidelitate celebratum. Haec fundamentalis est ratio, cui alias subnectunt iidem auctores (11) ; nempe quod maior firmitas vinculi, quae ex baptismo exurgit, non efficiat seu constituat connubii christiani materiam; siquidem vinculum est effectus consensus anterioris iam praestiti, et proinde contractus naturalis, qui natura sua iam firmus est ac insolubilis ; quod nunquam, qui ab origine non fuit sacramentum, possit sacramenti naturam induere ; aliaeque eiusmodi, quae omnes, ut patet, primae fundamentali rationi innituntur.

Parum ab his abludunt caetera argumenta, quae ad eiusdem sententiae confirmationem afferuntur ; nimirum Christum ad rationem sacramenti solum actum physicum seu actualem evexisse contractum, qui profecto in iis, qui baptismum reci-

(5) Tom. II. tract. IX. dub. 3. n. 81.
(6) *De matrim.* art. 2. conclus. unic.
(7) Cap. II. n. 278.
(8) Diss. I. art. 5. q. 6.
(9) Q. III. art. 3. q. 7.
(10) Inter quos D. Carrière tom. I. q. I. cap. 2. n. 149. seqq.
(11) Ita commemorati auctores, praecipue vero Collet et Carrière.

piunt, non amplius habetur. Adde incongruum videri, ut dum baptisma confertur, quod sacramentorum omnium ianua est, aliud simul conficiatur sacramentum. Nec obest sacri lavacri susceptione magis firmum ac omnimode indissolubile matrimonium evadere, ex hoc enim minime sequitur fieri sacramentum, alioquin novum sacramentum exurgeret ex carnali copula, qua matrimonium , (quod *ratum* tantum, solvi quandoque potest) indissolubile omnino efficitur, quod nemo profecto dicet. Accedit quod per baptismum proprie non habeatur nisi anteacti coniugii ratihabitio , quae certe non sufficit ad sacramentum conficiendum. Sane, si aliquo impedimento naturali dirimente irretiti infideles coniuges inter se contraherent, per baptismum matrimonium ex invalido validum haud efficeretur nec convalesceret. Demum, concludunt, si forte duo coniuges infideles, qui in dissitis regionibus degunt, quin alter de altero sciat, christianam fidem amplecterentur, sacrisque abluerentur undis, neque de matrimonio cogitarent, quis diceret istorum coniugium effici sacramentum? Attamen indissolubile fieret non quidem ex sacramenti ratione, quae non habetur, sed vel ex baptismo, vel ex Christi lege (Matth. XIX. 6.) ; adeoque ex indissolubilitate, quam per baptisma nanciscitur coniugium in infidelitate celebratum, argui nequit sacramenti ratio. Hoc vero confirmatur ex eo, quod inferendum esset subiici etiam infidelium coniugium ecclesiasticis impedimentis, si fieret sacramentum in ipso baptismi actu, secus ac definitum fuerit ad Innocentio III. in cap. *Gaudemus* 8. *De divortiis*. itaque omnibus expensis rite colligi potest, nullo modo infidelium coniugium per baptismi susceptionem transire ad sacramenti conditionem. Hactenus quidem negativae sententiae adstipulatores (12).

Verum plerique theologi et canonum interpretes affirmativam sectantur sententiam, inter quos eminent Bellarminus (13), qui eam *communem* dicit inter theologos, qui commentaria sua

(12) Apud Kugler op. cit. p. I. q. VIII.

(13) Lib. *De matrim.* cap. V. in fine, seu n. 71.

ediderunt in 4. Sentent. dist. 39. Laymann (14), Sanchez (15) aliique plures ab his ipsis auctoribus commemorati, praecipue vero Kugler, qui non paucos pro hac allegat sententia (16), atque generatim plerique omnes, qui ipsos contrahentes huius adstruunt sacramenti ministros, quorum sententia, uti testatur Benedictus XIV. *communior* est (17).

Innituntur porro ad hanc adstruendam doctrinam auctoritati Angelici doctoris, qui de matrimonio infidelium haec habet : « Et tamen etiam matrimonium tale est *aliquo modo sacramentum habitualiter*, quamvis non actualiter, eo quod actu non » contrahant in fide Ecclesiae (18). » Iam vero, inquiunt, si infidelium coniugium per baptismi susceptionem effici non posset sacramentum eiusmodi habitus, utpote qui in actum nunquam erumpere posset, foret prorsus inutilis (19).

Deinde, subdunt : cum coniuges ad fidem conversi affectu maritali matrimonium consummant, hoc ipso denuo consentiunt in coniugium ipsum, prout in Christi Ecclesia, atque inter fideles viget, quo fit, ut nihil desit ad verum sacramentum constituendum, siquidem optatus habetur ad coniugium consensus, ex quo novus exurgit more christiano contractus; fit prorsus indissolubilis nexus, perfectiusque exhibetur indissolubilis Christi cum Ecclesia coniunctio, et ius acquiritur hoc ipso ad actuales gratias, quibus in posterum matrimonialia munia, praecipue vero mutuam ac supernaturalem dilectionem, qua se invicem prosequi possint, explere valeant. Sane Apostolus V. 32. magnum vocat sacramentum illorum coniugium, qui ex infide-

(14) Lib. V. tract. X. part. II. cap. 3. n. 6.

(15) Lib. II. disp. IX, n. 5.

(16) Loc. cit.

(17) *De synod. dioec.* lib. VIII. c. XIII.

(18) In 4. Sentent. d. 39. quaest. 1. art. 2. ad 1.

(19) Circa intelligentiam adducti textus S. Thomae. Cf. Collet *De matrimonio* cap. II. sect. VI. n. 280 seqq. ubi excludit tam interpretationem Goneti, quam Pontii, quin suam adiiciat. Verisimilior interpretatio videtur, quod significare voluerit S. doctor coniugium infidelium esse sacramentum tantum in potentia, quae ad actum reducatur per baptismum.

litate ad Christum fuerant conversi, et quidem in vera sacramenti significatione, quod tamen dici non potuisset, si illorum matrimonium per baptismum non fuisset ad sacramenti dignitatem evectum. Quocirca si Ephesiorum, seu in genere infidelium coniugium per baptisma effectum est vere et proprie sacramentum, non intelligitur quomodo tale fieri pariter non possit coniugium illorum, qui nunc ex infidelitate ad Christum convertuntur suscipiuntque baptisma.

Praeterea : receptum est, ut matrimonium baptizatorum absolute *sacramentum* nuncupetur, adeoque non possunt ad fidem conversi absque evidenti ratione excludi a sacramentali gratia omnino necessaria ad status huius onera fideliter sustinenda, eo vel magis quod longe graviora accidant eiusmodi onera iis, qui ex infidelitate ad fidem se recipiunt, quam iis, qui semper fideles extiterunt, ob pravas inveteratasque consuetudines, quibus fuerunt illi prae istis obnoxii. Haec vero novam lucem acquirunt, si addatur, iuxta communiorem veramque sententiam de contrahentibus ministris, in istorum baptizatorum coniugio nihil eorum deesse, quae ad sacramentum constituendum requiruntur et sufficiunt, materiam, formam, ministros; idque apertius, si renovetur consensus et contractus coniugalis. Dixi *apertius;* nam absolute, eiusmodi saltem expressa renovatio, necessaria non est, quandoque etiam non expediens.

Ad haec accedit quod ex cap. *Quanto de divortiis* matrimonium infidelium *verum* quidem dicatur, seu validum, at non *ratum*, hac est non omnimodo firmum ac indissolubile, ita ut interdum dissolvi nequeat, cuiusmodi est coniugium consummatum fidelium : et sane in alterutrius coniugis infidelis conversione ad fidem, altero converti nolente, dissolvi potest. At vero post istorum conversionem coniugium hanc eamdem absolutam firmitatem, indissolubilitatemque assequitur. Quam quidem proprietatem non obtinet solius baptismi vi, cum constet matrimonium ratum fidelium, si non fuerit consummatum, quandoque etiam posse dissolvi, restat igitur ut eam assequatur ex ratione sacramenti, quam coniugium in infidelitate initum et consumma-

tum induit post receptum salutare lavacrum; nulla enim alia ratio reddi potest discriminis eiusmodi.

Nemo denique iam in dubium revocat, matrimonium per procuratorem celebratum, aut sub conditione pontificiae dispensationis initum, validum esse ac sacramentum effici per consensum physice prius a sponsis elicitum ac moraliter perseverantem, donec procuratores ipsorum nomine contrahant, quod post brevius longiusve temporis spatium contingere solet, vel donec pontificiae dispensationis conditio adimpleatur. Ergo nihil vetat, quominus datus olim consensus in infidelitate initusque contractus, qui iugiter perseverat, in susceptione baptismi una cum intentione iungendi se more christiano sufficiens ac idoneus sit ad sacramentum conficiendum, cuius iam capaces sunt; praesertim si, (quod tamen necessarium non est), denuo hic ipse consensus adeoque contractus expresse verbis de praesenti renovetur.

Ita quidem affirmativae sententiae patroni eam adstruunt. Omnibus autem rite perpensis, liquet hanc longe firmiorem videri solidioremque. Non modo enim satis solidis fundamentis innituntur, qui eam propugnant, sed evertunt plane fundamentum praecipuum adversariorum. Siquidem principium, ut vidimus, omnibus illis commune est, quod contractus coniugii semel valide initus, nisi cum iniretur sacramenti naturam induerit, *nunquam* deinceps possit sacramentum effici, seu potius in eorum quidem sententia, sacramenti materia esse; ad quod ostendendum omnes collineant rationes, quae ab ipsis afferuntur, ut evincant conversorum coniugium per baptismum ad sacramenti dignitatem evehi non posse. Ast merito Benedictus XIV. principium hoc respuit velut ineptum. « Siquidem, ait ipse, » alii longe plures doctores, quos recenset et sequitur Sanchez » lib. II. De matr. disp. 9. existimant, matrimonium, quod fuit » validum solum in ratione contractus, posse deinde renovari, » et assequi virtutem sacramenti, qua prius caruit (20). »

(20) *De syn. dioec.* lib. VIII. cap. XIII. n. 8. Cf. Sanchez in loc. hic cit. n. 5

Sic nihil officit, consensum ac proinde contractum iam fuisse *transactum*, sacramentum vero requirere consensum et contractum *praesentem;* nam reipsa dum infideles coniuges ad baptismum accedunt, constituuntque in anteacto matrimonio persistere, sed christiano more, hoc ipso novum quadantenus consensum praebent, novaque ratione praeteritum contractum instaurant; multo vero magis si verbis etiam de praesenti id praestent. Caeterum posse praeteritum iamdiu consensum atque contractum materiam exhibere sacramento, de quo disserimus, abunde liquet ex eo, quod iamdiu pariter remissa peccata possint iterum Ecclesiae clavibus subiici, ac materiam absolutionis, seu sacramenti poenitentiae praebere, nec non, ut innuimus, liquet ex consensu conditionali olim dato, verificata conditione; liquet insuper ex voto simplici, quod per eiusdem iterationem potest in solemne transire, aliisque eiusmodi.

Expeditis praecipuis hisce difficultatibus, quibus posterior quatiebatur sententia, eiusdem asseclae a reliquis faciliori adhuc ratione se expediunt; ad illud itaque quod duo simul conficerentur sacramenta, nimirum baptisma et matrimonium, reponunt, alterum sacramentum non exurgere, quin prius iam extiterit, sin minus tempore, saltem ratione et natura anterius. Ad paritatem vero petitam a baptismo et carnali copula ad inducendam omnimodam firmitatem, seu indissolubilitatem absolutam, quasi nempe eodem modo fieret firmum ac indissolubile coniugium infidelium per baptismum, quemadmodum matrimonium ratum fidelium indissolubile omnino fit per consummationem, respondent paritatem negando : ideo enim per maritale consortium ratum fidelium coniugium absolute fit indissolubile, quia per carnalem unionem perfectius refertur coniunctio Verbi cum humana natura, quae perpetua est ac insolubilis; contra vero infidelium connubium fit indissolubile vi sacramenti, quod ex dictis per baptismum veluti per conditionem quandam exurgit,

et 6. ubi solide id evincit; nec non Theophil. Raynaudum in *Heteroclitis spiritpart.* II. puncto XIV. Opp. ed. Lugdun. 1665. tom. XVI. pag. 186.

sive quatenus consensus antea datus et contractus inde proveniens moraliter perseverat, sive quatenus novus praebetur consensus, instauraturque transactus contractus nova forma more christiano.

Atque hoc modo disiecta est altera obiectio petita ex eo, quod post conversionem sola habeatur ratihabitio; est enim et ratihabitio, et novus consensus et contractus, uti expositum est. Quod vero additur de matrimonio irrito ob impedimentum dirimens iuris naturalis presse sumpti, in quo Ecclesia dispensare nequit, Ecclesia ipsa antequam eis conferat baptisma putatos coniuges ab invicem separat; si autem impedimentum ortum sit ex iure naturali secundario, Ecclesia hoc ipso quod illos coniuges non separat in eadem collatione baptismi ab hoc impedimento dispensat, verumque propterea conficitur sacramentum.

Magis vero speciosa et apparens est quam solida difficultas, quae petitur ex hypothesi duorum infidelium, qui inter se dissiti in regionibus longinquis ad fidem convertuntur, recipiuntque baptisma. Etenim ambo in baptismi susceptione profitentur, saltem implicite, se velle christiano more in matrimonio semel inito perseverare iuxta christianae religionis leges, adeoque consentiunt denuo in anteacto contractu; quod satis est in hac sententia ad sacramenti naturam induendam.

Absonum porro est quod additur, impedimentis ecclesiasticis obnoxios fore infideles, si per baptismum illorum coniugium fieret sacramentum; nam si prius coniugium in infidelitate contractum validum fuit, tale esse perseverat etiam post baptismum, non obstantibus ecclesiasticis impedimentis, quibus in infidelitate obnoxii non erant. Haec enim impedimenta non afficiunt nisi baptizatos. Quod si quis urgeat iuxta superius dicta ratione saltem ac natura baptismum praecedere sacramentum matrimonii, adeoque statim a baptismo obnoxios conversos fieri ecclesiasticis impedimentis, quae nullum redderent matrimonium, reponimus, Ecclesiam ab his eos dispensare in actu ipso baptismi ratum habens ipsorum coniugium, prout in non-

nullis impedimentis iuris naturalis secundarii dispensare conversos consuevit, dum rata habet coniugia prius inita in secundo affinitatis gradu. Ergo in quacumque hypothesi patet obiectam difficultatem evanescere.

His omnibus perpensis circa utriusque sententiae tum rationes tum difficultates, videtur sententiam, quae affirmat infidelium conversorum ad christianam fidem coniugium ad sacramenti rationem evehi, longe verisimiliorem ac solidiorem opposita esse. Nam sententia negans unice fere innititur doctrinae Cani de distinctione reali inter contractum et sacramentum in nuptiis christianis, et de sacerdote huius sacramenti ministro; quae doctrina cum ex iis, quae in primo libro disceptavimus, vix aut ne vix quidem a cordato theologo uti probabilis nunc adstrui possit, pronum est inferre, eam labili niti fundamento. Contra vero qui sententiam affirmantem tuentur, praeter quam quod longe facilius ab adversariorum difficultatibus se expediunt, solidioribus, ut nobis videtur, principiis se communiunt. Huic favet communis theologorum et canonistarum doctrina, ac in eamdem se propensum satis aperte Benedictus XIV. profitetur. Huic proinde et nos adstipulamur.

Licet vero parum referre videatur, ad rei substantiam quod attinet, sive dicatur cum Bellarmino aliisque compluribus minime requiri consensus expressam renovationem post baptismum, ut infidelium coniugium naturam induat sacramenti; sive cum Laymann, Kugler aliisque non paucis huiusce renovationis necessitas ad eumdem finem admittatur, illud certum exploratumque est, Ecclesiam, ipsis adversariis fatentibus, expressam eiusmodi renovationem ab iis non exposcere conversis, neque eos adigere ad recipiendam secerdotis benedictionem; et si quando eos ad illam recipiendam hortatur, expresse tamen monet, eam minime requiri ad coniugii firmitatem (21). Adnotat

(21) Sane in simili casu, cum petitum fuerit, utrum qui non receperunt sacerdotis benedictionem, eam supplere deberent, responsum fuit: « Fideles » hortandos esse ut... eam petant a sacerdote, qui tamen illis declarabit

praeterea Bossius cum Ricciolo, aetate sua Romae minime adhibitum fuisse ritum benedictionis nuptialis erga coniuges ad fidem conversos (22).

Et merito : siquidem, ut paulo ante animadversum est, cum iugiter seu moraliter perseveret in his coniugibus consensus ille, quo primum ipsorum nuptiae valide ac legitime celebratae sunt, nulla apparet ratio, quare post baptismum renovari debeat Virtualis siquidem ille consensus materiam ex se praebet sacramento conficiendo et formam, qua initum fuit prius in infidelitate coniugium. Perinde enim est ac si hic et nunc contraheretur more christiano.

Quod demum spectat ad corollaria, quae ex alterutra sententia proveniunt, haec sunt potissimum : 1. quod in sententia negante vigeat quidem in conversis matrimonium, sed ut simplex naturalis contractus, seiunctus a sacramenti ratione ; 2. quod eiusmodi coniuges perpetuo debeant gratia sacramentali destitui, ac proinde gratiis illis actualibus, ad quas vi sacramenti ius haberent. Contra vero, in sententia affirmante, utriusque, contractus scilicet et sacramenti, ratio non desideratur, ac propterea fideles hi coniuges gratia sacramentali fruuntur una cum auxiliis actualibus illi adnexis.

Tertia succedit quaestio : an ratio sacramenti ex parte fidelis habeatur, si forte non uterque, sed alter tantum coniugum convertatur, vel si ex Ecclesiae dispensatione fidelis cum infideli matrimonium ineat. Quoniam vero prioris casus solutio magna ex parte pendet ex posterioris solutione, ex hac incipientes inquirendo, num sacramenti ratio agnoscenda sit in

» huiusmodi benedictionem *ad validitatem matrimonii minime pertinere.* » Apud Moser in *Collect. declaration. ac decretor.* n. IX.

Praesto mihi praeterea est decretum congreg. S. off. 5. Febr. 1780. in quo haec habentur : « Voluit Sanctitas sua ( Pius VI. ) adhortandos » fideles, ut missionario reduce, sese sistant, ab eoque benedictionem pe- » tant, *praevia tamen facta declaratione* a missionario, benedictionem huius- » modi *ad validitatem matrimonii nequaquam pertinere.* »

(22) *De contract. matrim.* apud Kugler q. VII. n. 403 et 404.

coniugio, quod fidelis contrahit cum infideli. Nihil porro ad eam dirimendam nobis suppetit sive ex sac. litteris, sive ex apostolica traditione; theologi vero et in hoc valde inter se dissentiunt; adeoque coniecturis plus minus suadentibus indulgeamus necesse est, nec quicquam certi constituere poterimus.

Verum quod magis mirari subest, illud est, quod theologorum plerique, qui inficiati sunt infidelium coniugia, cum ii christianam profitentur religionem ac baptismate tinguntur, induere sacramenti naturam, ut plurimum adstruant sacramenti rationem haberi ex parte fideli, quae cum infideli coniungitur (23). Contra vero negant passim, in eiusmodi coniunctione sacramentum reperiri in parte fideli theologi illi, qui agnoscunt sacramentum exurgere ex infidelium contractu, cum baptismum suscipiunt (24).

Utrique contendentes, ut innuimus, dimicant rationibus probabilibus, quia reipsa argumenta non desunt, quae saltem specie tenus alterutri placito faveant. Nos quidem tuto disceptationem hanc dimittere possemus, nisi necessitudinem quandam haberet cum agendi ratione, quam circa eiusmodi coniugia tenet Ecclesia, quae obiectum constituit lucubrationis nostrae. Siquidem certum est identidem Ecclesiam dispensare in hisce coniunctionibus ab impedimento disparitatis cultus: certum praeterea est eam haec ipsa coniugia non benedicere; certum denique est ipsam diversimode omnino se gerere cum iis, qui ita coniuncti sunt, ac se gerat cum infidelibus coniugatis: hos enim quandoque solutos vinculo declarat, illos nunquam.

Interim haec ipsa agendi ratio erga hos coniuges nobis viam quodammodo sternit ad adoptandam sententiam, quae affirmat huiusmodi coniugia ex parte fideli habere sacramenti rationem.

(23) Ita Eckius, Soto, Tournely, Collet, aliique quos Collet allegat n. 267.

(24) Ita Vasquez, Sanchez, Pontius, Kugler cum aliis ab eodem adductis q. VII. n. 413.

Scilicet rite omnibus perpensis verior nobis videtur sententia affirmans eo ipso, quod magis cohaerens sit doctrinae, quam amplexi sumus de contrahentibus sacramenti huius ministris, et practicae Ecclesiae agendi rationi.

Quam ut adstruamus, sic incedimus: sententia illa praeferenda videtur, pro qua gravia militant rationum momenta; cui favere videtur Ecclesiae praxis, quaeque nullis solidis argumentis concutitur. Talis porro est sententia affirmans in mixto coniugio fidelis cum infideli contrahentis sacramentum haberi.

Sane, prima ratio, quae pro hac militat sententia ea est, quae desumitur ex verbis Apostoli I. Cor. VII. 14. « Sanctificatus est » vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier » infidelis per virum fidelem; » Quatenus nempe alteruter concurrit et cooperatur ad alterius conversionem; quod quidem fieri debet verbo et exemplo, mutua dilectione, patientia, caeterarumque virtutum exercitio, quae tali statui maxime conveniunt. Iam vero, etiamsi cum non intervenit sacramentum, Deus supplere gratiis suis actualibus dicendus sit ad haec omnia rite explenda, attamen nemo negaverit via ordinaria in coniugatis gratias illas actuales ex gratia sacramentali profluere, quae ad ipsas ius tribuit. Absonum porro videtur, eos, qui legitime contrahunt per dispensationem Ecclesiae, ex qua disparitatis cultus impedimentum constitutum est, toto vitae suae tempore gratia adeo opportuna destitui.

Quod quidem confirmatur ex primitivorum fidelium conditione; nam spectata fidelium paucitate, qui inter infideles commorabantur, spectatisque parentum ac rei familiaris complicationibus, saepe adigebantur puellae praesertim nuptui tradi infidelibus; neque Ecclesia pro temporis illius angustiis vetuit absolute illa coniugia (25). Non est vero censendum istos omnes sacramentali gratia in eo statu destitutos fuisse.

(25) Sane non desunt exempla quamplura sive mulierum fidelium, quae nupserunt viris ethnicis, sive contra fidelium virorum, qui se nuptiis copularunt cum infidelibus mulieribus. Praesto sunt exempla Eunicis piae ac fidelis foeminae, quae se iunxerat cum ethnico viro ex I. Tim. I. 5. collat. Act. XVI. 1. S. Caeciliae cum Valeriano, S. Nonnae cum Gregorio seniore, S. Monicae cum Pa-

Insuper Ecclesia aliam omnino rationem agendi in his coniugiis tenuit, atque in coniugiis in infidelitate initis. Siquidem ea tanquam prorsus indissolubilia habuit, adeo ut quamvis pars fidelis fuisset ab infideli derelicta, aut quamvis infidelis gravissimis molestiis partem fidelem afficeret fidei causa, seu non consentiret pacifice ac sine iniuria Creatoris cohabitare cum parte fideli, nunquam tamen Ecclesia permisit, ut abrumperetur coniugium quoad vinculum, atque ad nova vota pars fidelis, vivente adhuc coniuge infideli, transiret; secus ac statuere consuevit circa coniugia in infidelitate contracta, ut suo loco vidimus. Iam vero diversae adeo huius agendi rationis quaenam probabilis causa assignari poterit, nisi quod Ecclesia veluti contractum sacramentalem spectarit coniugium, quod ex parte fideli ac baptizata initum fuerat legitime cum infideli?

Sane 14. Iunii 1708. insequens dubium propositum est: « Nonnunquam foeminae christianae ex dispensatione nuptias » contrahunt cum viris infidelibus, a quibus postea abiiciuntur » et prorsus deseruntur; hae vero foeminae sic a viris reiectae, » quod continere se nequeant, sponte nubunt, vel aliquando » contra propriam voluntatem a parentibus cum altero infideli, » qui baptismum suscipere paratus est, vel cum christiano nup- » tui collocantur. Quaeritur, num istud secundum matrimo- » nium legitimum sit et validum? » Sac. congreg. sanctiss. inquisitionis respondit: *Negative*. Quare? nisi quia pro certo assumpsit, vel saltem uti probabilius habuit, eiusmodi matrimonium ex parte fideli sacramentum esse, quo fit, ut coniugium prorsus indissolubile evadat? Nam si mixtum coniugium spectasset ut merum contractum naturalem, quemadmodum in

tricio, S. Clotildis cum Clodoveo, praeter illas, de quibus refert Beda lib. I. *Histor. Anglor.* c. 25. et lib. II. c. 9. de Bertha, Edelburga, religiosis mulieribus cum ethnicis matrimonio iunctis, aliisque passim per id temporis, adeo ut S. Hieronymus lib. I. *Contr. Iovinianum* scripserit: « Nunc pleraeque (christia- » nae mulieres) iunguntur gentibus » Utique Ecclesia has nuptias non probabat, imo Patres eas carpunt. Ast aliud est improbare, aliud irritas facere, quod illa aetate certe non fecit. Quoad leves difficultates, quae contra opponi possent. Cf. Collet n. 247 seqq.

pari casu dissolvit connubium infidelium, ita et hoc pariter dissolveret.

Altera ratio pro hac sententia petitur ex eo, quod nulla appareat gravis difficultas, quominus verum agnoscatur ex parte fidelis coniugis sacramentum. Nam de *capacitate* baptizati non est quod dicamus, cum ea in confesso sit apud omnes; itaque unica difficultas reperiri posset sive ex parte ministri, qui infidelis censeri nequit, sive ex natura contractus et sacramenti, quod in individuo consistit, nec claudicare potest, ut scholis loquendi mos est. Aiunt itaque : aut in utroque contrahente reperitur sacramentum, aut in neutro; cum autem in infideli sacramentum existere non possit, neque in coniuge fideli haberi potest ; eo vel magis quod sacramentum rationem sequatur contractus, cui nisi utraque pars concurrat, exurgere nequit.

At vero evanescet eiusmodi difficultas, si in mentem revocetur unumquodque sacramentum habere quidpiam sibi proprium, quod aliis non convenit. Itaque ut de ministro prius disseramus, nihil impedit, quominus in casu nostro sacramenti minister possit esse pars contrahens etsi infidelis, nam hoc ex necessitate provenit, ad eum modum, quo etiam infidelis in necessitatis casu potest esse baptismi administer (26). Quod vero attinet ad contractus et sacramenti naturam, dicimus alterum ab altero distingui debere. Nam quamvis verissimum sit *re* unum idemque esse contractum et sacramentum, *cogitatione* tamen alterum ab altero distinguitur, et ita ut contractus natura ac ratione

(26) Non desunt qui existiment in sacramento matrimonii unumquemque contrahentium sibi ipsi hoc sacramentum administrare, cuiusmodi inter caeteros est Scotus d. 26. q. 1. n. 15 quia, ut idem disserit, etsi unus contractum adaequate conficere non potest, cum ad contractum omnem duorum in idem consensus requiratur, potuit tamen sic a Deo constitui matrimonii sacramentum, ut quisque illud sibi ministraret, ne vel eius gratia per alterius nequitiam privaretur, vel a peccatore sacramentum accipiendo, iniquitati eius cooperaretur. In hac autem hypothesi contrahens uterque erit quidem *minister integritatis*, inquit Henno pag. 486. *non tamen indivisibilitatis respectu sacramenti, licet talis sit respectu contractus*. Apud Collet n. 273. Verum necesse non est ad hasce angustias nos recipere.

anterior sit sacramento, quod ex illo, dum actu conficitur, seu ex eo instanti, quo perfectus est, exurgit. Hinc fieri quidem nequit, ut habeatur contractus, quin per modum unius duo in aliquid consentiant, at nulla est repugnantia quod ex duobus contrahentibus alter, ob eius *incapacitatem*, sacramentum non recipiat, recipiat vero ille, qui ad sacramentum idoneus est. Quod pluribus exemplis illustrari posset, siquidem opus esset. Sic ex eadem humo eodemque humore, quibus plantae vivificantur, altera crescit et foecundatur, quia capax est, altera arescit, quia mortua est et infoecunda. Ex duobus quibus uno eodemque actu confertur absolutio, alter gratia vivificatur sacramentali, alter vero nequaquam, dispositionis eiusdem defectu; et ita porro.

Quum vero istae praecipue sint difficultates, quibus haec thesis urgetur, nec tamen eisdem quatiatur, iure colligimus, hanc ceu veriorem admitti posse.

Ast quid sentiendum de matrimonio eorum infidelium, ex quibus alter fit christianus et baptizatur, altero coniuge in infidelitate permanente; evadet ne ex parte conversi sacramentum eiusmodi coniugium? Resp. *Negative*, quia alioquin non posset ullo in casu dissociari; attamen certum est, quod si infidelis post aliquod tempus nolit amplius cum parte fideli sine iniuria Creatoris cohabitare, possit coniugium solvi, ita ut fidelis novas valeat contrahere nuptias. Adeoque dispar est ratio inter eum, qui legitima interveniente dispensatione matrimonium contrahit cum infideli, et eum, qui ex infidelitate ad fidem convertitur. Illius enim coniugium est plane indissolubile, istius vero matrimonium dissolvi potest, adeoque nequit in isto sacramenti ratio agnosci. Verum haec clariora evadent ex iis, quae in insequenti articulo mox dicturi sumus.

ARTICULUS II. — Quaestio expenditur iuridica de potestate ecclesiastica in Matrimonia infidelium post unius vel utriusque coniugis conversionem, nec non in Matrimonia fidelium cum infidelibus.

Quemadmodum tripartita fuit quaestio theologica de natura matrimonii ante et post utriusque vel alterutrius infidelis coniugis baptismum, ita etiam erit tripartita quaestio iuridica quam modo subnectimus de Ecclesiae hac in re potestate ac legislatione.

Tria enim potissimum sunt, quae in materia, quam versamus, potissimum quaerenda videntur : scilicet quidnam Ecclesia vel statuerit vel declaraverit, aut saltem sua agendi ratione insinuet primo quidem relate ad solutionem coniugiorum, dum alter tantum ex infidelibus coniugibus convertitur ; deinde relate ad ratihabitionem vel solutionem coniugiorum, quae cum aliquo impedimento in infidelitate contracta fuerant ; denique relate ad dispensationem ab impedimento disparitatis cultus, quae fideli quandoque conceditur, ut matrimonium inire possit cum infideli.

Ad primum quod attinet, haud dissolvi infidelium coniugium per baptismi susceptionem ratum est apud omnes iuxta receptum illud iuris effatum : *Crimina in baptismo solvuntur non coniugia* (27), quod innititur Apostoli verbis : « Si quis fra» ter uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum » illo, non dimittat illam (28). » Ex quibus colligi facile potest habitationem fidelis coniugis cum infideli post conversionem secluso periculo, licitam esse prout reipsa primis Ecclesiae seculis non modo licita, sed insuper necessaria quandoque fuit, quae postea in arbitrio fidelis conversi relicta est, nec nisi cum Iudaeis in nonnullis regionibus fuit demum prohibita (29).

(27) Sic. in conc. Meldensi celebr. an. 845. cap. 1. habeturque cap. *Si quis*. 28. q. 2. et iterum. in cap. *Numquid* 28. q. 1. ex Innocentio I. ep. 22. et in cap. *Quanto de divortiis ;* et cap. *Gaudemus* ex Innocentio III.

(28) I. Cor. VII. 12.

(29) Cf. Pontium op. cit. lib. VII. c. XLVIII. ubi de hoc argumento copiose agit.

Posse tamen coniugium dissolvi, cum alter convertitur, et coniux alter in sua permanet infidelitate, nec vult sine iniuria Creatoris cum parte fideli cohabitare, omnino certum est. Ast id non fit ex auctoritate Ecclesiae, quae non potest dissolvere, quod Deus coniunxit, neque ad id potestatem hanc a Deo est assecuta, sed immediate a Dei privilegio in fidei favorem, ut exponit cum communi theologorum Benedictus XIV. innixus illis Apostoli verbis 1. Cor. VII. 15. « Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, in pacem autem vocavit nos Deus (30). »

Verum cum ex iure canonico constitutum sit, ut ante dissolutionem interpellatio fiat a parte fideli, num velit coniux infidelis ad Christi fidem converti, ac sine contumelia Creatoris secum cohabitare, hac interpellatione non interposita, nequit fidelis novas inire nuptias, prout episcopo hac de re sciscitanti responsum est a sac. congreg. concilii die 23. Ian. an. 1603. « Sacra congregatio censuit ita respondendum, *minime posse* » *praedictos ad veram fidem conversos accipere alias fideles* » *uxores, nisi prius constiterit utrum primae voluerint cum eis* » *permanere vel non.* Quod si noluerint cohabitare, vel si voluerint, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut conversos ad mortale peccatum pertrahant, tunc posse alias

(30) *De syn.* lib. VI. c. IV. n. 3. et lib. XIII. cap. XXI. Atque hic animadvertere iuverit, tres casus esse in iure expressos, in quibus matrimonium infidelium dissolvitur, altero coniugum ad fidem christianam transeunte, primus est: si infidelis renuat habitare cum fideli converso, velitque discedere (excepto casu, quo quis utatur iure suo, nempe cum fidelis ante aut post conversionem adulterium commiserit). Qui primus casus habetur cap. *Simili modo;* cap. *Uxor* 28. q. 1. cap. *Quanto* et cap. *Caudemus. De divortiis.* - Secundus casus est, si infidelis nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, uti cum non audit nomen eius sine despectu, eius laudes prohibet, domesticos ad defectionem hortatur; habeturque in cit. cap. *Simili modo;* cap. *Quanto;* cap. *Gaudemus* et cap. *Infidelis.* Tertius est, si pertrahat ad peccatum mortale, prout pariter habetur in cit. cap. *Quanto;* cap. *Gaudemus;* cap. *Uxor* et cap. *Idololatria* nec non cap. *Non solum* 28. q. 1. Haec distinguenda erant, quia necesse haud est ad dissolutionem omnia simul concurrant, sed satis est ut unum alterumve ex his singillatim occurrat. Cf. Pontium lib. VII. cap. 48. n. 13.

» fideles accipere uxores. Si cohabitare absque Creatoris contu-
» melia velint, et absque eo quod conversos ad mortale pecca-
» tum pertrahant, quamvis veram agnoscere fidem noluerint,
» non posse conversos alias fideles accipere uxores. Non suffi-
» cere ea, quae proponuntur, nempe loci distantiam, difficul-
» tatem, ac praesumptionem, *cum constare debeat de voluntate*
» *ipsarum uxorum infidelium* (31).»

Ast hac de re nec paucae nec leves difficultates obortae sunt, quas expendere libet, siquidem pro opportunitate casibus, qui identidem obvenire solent, solvendis inservient.

Etenim 1. non raro contingit, ut qui ex infidelitate ad veram fidem convertuntur, plures duxerint uxores, nec nisi uni post baptismum adhaerere possunt. Hinc quaesitum est quam ex illis debeant, aut possint retinere, quasque dimittere? Profecto si omnes uxores illae christianam fidem professae fuerint, vel se paratas offerant ad eam profitendam, qui conversus est debet primam in gentilitate ductam uxorem retinere; quia haec sola extitit legitima uxor, caeterae vero omnes illegitimae haberi debent. Nam iuxta divinam institutionem nonnisi unus cum una permanere potest iuxta illud, *et erunt duo in carne una;* quo divino praecepto vel ipsi ethnici obligantur, multo vero magis, si polygamia vetita sit iure naturali, prout non pauci theologi sentiunt, quod nos suo loco expendemus. Itaque si prior uxor veram fidem amplexa sit, aut se ad illam amplectendam exhibeat, absque dubio haec retinenda erit (32).

Quod si prima converti nolit, reliquae autem, scilicet secunda, tertia, aut quarta, paratas se exhibeant ad veram profitendam fidem, quum omnes, ex dictis, illegitimae fuerint uxores, quumque difficile sit omnino Indos praesertim ad secundam potius quam ad aliam retinendam cogere, ne praepediretur ipsis aditus ad Ecclesiam, libertas hac in re Rom.

(31) Lib. 10. *Decretor.* pag. 55.

(32) Cf. S. Thom. in 4. Sentent. d. 39. qu. unica art. 3. ad 4. nec non Sanchez lib. II. disp. 73. n. 4. et 5. qui plures allegat pro hac sententia theologos.

pontificum providentia declarata est atque asserta. Nam S. Pius V. de Indis, penes quos frequentior eiusmodi casus viget, haec statuit : « Nos statui dictorum Indorum paterno affectu » benigne consulere, atque ipsos episcopos et ministros huius- » modi scrupulis eximere volentes, motu proprio, et ex certa » scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, » sicut praefertur, baptizati, et in futurum baptizandi, cum » uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata, et baptizabitur, » remanere valeant, aliis dimissis, apostolica auctoritate, te- » nore praesentium, declaramus matrimonium huiusmodi inter » eos consistere (33). »

Huius indulti apostolici vi consequitur, non modo posse conversum hunc idololatram primam uxorem, quae converti non vult, dimittere, verum etiam ex pluribus antea ductis uxoribus, quae animo comparatae sint ad baptismum suscipiendum seligere posse quamcumque voluerit, seu eam, quam praeter caeteras diligit, sive secunda, sive tertia, aut quarta fuerit. Siquidem, prima dempta, quae sola vera ac legitima uxor extitit, reliquae omnes pari ratione sunt illegitimae, adeoque in conversi est facultate ex his illam eligere in uxorem, quam maluerit. Immo etiam, si nullam ex ipsis ducere vellet, posset aliam extraneam mulierem fidelem in matrimonium ducere, ut per se patet.

Cum vero supplicatum fuisset apud sac. congreg. supremae inquisitionis ab episcopo Quebecensi in America septentrionali ad barbarorum facilius promovendam conversionem, penes quos viget polygamia, ut venia daretur concedendi conversis se iungere cum qualibet uxore ex eis, quas antea duxerant, omissa obligatione retinendi primam, quam saepe declaratum est esse solam legitimam uxorem; res infecta cessit; seu potius temperamento quodam sac. congregatio usa est. Nam expendendum esse censuit num agatur de hominibus, qui in infidelitate verum matrimonium inire voluerint, et non potius de iis, qui vagantes assuetique mulierum contuberniis, mulieribus pluribus

(33) Apud Bened. XIV. *De synodo* lib. XIII. c. 21. n. 3.

se se coniungunt, veri nominis inire voluisse matrimonia non praesumuntur. In primo quidem casu, videlicet quando agitur de vero inito matrimonio, dubium esse non posse S. congregatio existimavit, infideles plures uxores habentes, post conversionem suam, debere primam uxorem retinere, si et ipsa baptismum suscipiat, vel saltem habitare cum illo assentiatur absque iniuria Creatoris. In altero autem casu, scilicet quando agitur de matrimoniis, de quibus serio dubitari possit utrum vera fuerint matrimonia, an contubernia tantummodo ex cupiditate cum mulieribus inita, sac. congregatio censuit infidelem, qui ad fidem convertitur, posse post conversionem suam eligere quamcumque velit ex mulieribus iam sibi coniunctis, modo et ea ad fidem catholicam convertatur, baptismum suscipiat, consensu ad matrimonium expresso per verba de praesenti, vel etiam posse matrimonium inire cum alia qualibet catholica muliere (34).

Insuper Gregorius XVI. ex suffragio eiusdem congreg. id ipsum probavit, renovato tamen consensu, si matrimonium in prima hypothesi (de prima vera uxore) contrahitur cum secunda vel tertia coniuge, addita facultate dispensandi ab interpellatione coniugis primae, quoties aut fieri reipsa nequeat, aut si fieret, nullius utilitatis fore reputetur iuxta ea, quae a sa. me. Benedicti XIV. lib. XIII. De synodo dioecesana cap. XXI. traditur.

Insuper cum matrimonium non dissolvatur in actu ipsius conversionis, aut susceptionis baptismi, ut nonnulli perperam autumarunt (35), sed tantum cum fidelis ad secundas nuptias transit; exinde fit, ut si antequam conversus novas nuptias ineat prima uxor ad fidem convertatur, ipse teneatur illam, cum qua coniugium in infidelitate contraxerat retinere, quia adhuc perseverat, prout expresse declaravit Innocentius III. in cap. *Gaudemus* inquiens: « Quod si conversum ad fidem et illa con-

(34) 8. Iun. 1836.

(35) Inter quos Panormitanus, in cap. *Quanto*, Ostiensis in idem cap., Richardus in 4. d. 39. art. 2. in solut. ad dubium 2. S. Antoninus 3. q. tit. 2. c. 6.

» versa sequatur, antequam per causas praedictas legitimam ille
» ducat uxorem, eam recipere compellatur. »

Quod si infidelis conversus, qui novas intendit cum fideli nuptias inire, nequeat prout a iure praescribitur, interpellare coniugem infidelem utrum velit secum habitare, et quidem sine Creatoris contumelia ac Dei offensa, eo quod absens reperiatur quacumque ex causa, aut quia ductus fuit in captivitatem, aut quia longum iter suscepit, ignoraturque ubi degat aut lateat, huic incommodo, quod non raro accidit etiam ab apostolica Sede provisum est. Nam Gregorius XIII. suis litteris occurrit, scribens : « Quoniam saepe contingit multos utriusque sexus infideles
» post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Aethiopia,
» Brasilia, et aliis Indicis regionibus ab hostibus captos a pro-
» priis finibus, et propriis coniugibus in remotissimas regiones
» exterminari, adeo ut ipsi captivi, et qui in patria remanent, si
» postea ad fidem convertantur, coniuges infideles tam longo in-
» tervallo disiunctos, an sine contumelia Creatoris secum habitare
» velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad
» hostiles ac barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus
» pateat, vel quia ignorant prorsus in quas regiones fuerint
» transacti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficul-
» tatem ; idcirco nos attendentes huiusmodi connubia inter infi-
» deles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri,
» ut necessitate suadente, dissolvi non possint, singulis dictorum
» locorum ordinariis et parochis et presbyteris societatis Iesu ad
» confessiones audiendas ab eiusdem societatis superioribus
» approbatis, et ad dictas regiones pro tempore missis, vel in
» illis admissis, concedimus facultatem dispensandi cum qui-
» buscumque utriusque sexus christifidelibus incolis dictarum
» regionum, et serius ad fidem conversis, qui ante baptismum
» matrimonia contraxerant, vel eorum quilibet, etiam supers-
» tite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, res-
» ponso non expectato, matrimonium cum quovis fideli, alias
» tamen rite contrahere, ei in eis postea carnali copula consum-
» matis, quoad vixerint remanere licite valeant, dummodo con-

» stet, etiam summarie et extraiudicialiter coniugem absentem mo-
» neri legitime non posse, aut maritum intra tempus eidem moni-
» tioni praefixum suam voluntatem non significasse. Quae quidem
» matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles
» suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad
» fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos
» fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et
» firma esse (36). »

Ex quibus litteris aliqui intulerunt, eiusmodi dispensationem seu indultum fieri Rom. pontificum auctoritate, eoque coniugium in infidelitate contractum dissolvi, ast perperam: ut enim animadvertit Benedictus XIV. hisce in rerum adiunctis summus pontifex non se gerit, nisi uti divini iuris interpretem, qui decernit, in fidei favorem Deum eiusmodi coniugium dissolvere. Alii tamen huic doctrinae Benedicti XIV. refragantur, ac primae sententiae adhaerent, eo quod Rom. pontifex reipsa dissolvat auctoritate sibi divinitus tradita eiusmodi conjugia, nec se tanquam merum interpretem gerat divini iuris (37).

Huic Gregoriano Brevi innixa synodus vicariatus Sutchuensis habita in districtu civitatis Tcong King Tcheou imperii Sinensis an. 1803, cuiusque acta probata sunt a sac. congreg. de propaganda fide, haec ad praxim adnotavit. « Noverint missionarii,
» quibus concessa est facultas dispensandi ab interpellatione, ea
» non uti nisi ad normam Brevis Gregorii XIII.; scilicet ut non
» dispensetur, nisi quando fidelis coniugem infidelem absentem,
» an sine contumelia Creatoris secum habitare velit, ut par est,
» monere nequit, vel quia interdum ad hostiles et barbaras pro-
» vincias ne nuncii quidem accessus pateat; vel quia prorsus
» ignoretur, in quas regiones fuerit transactus; vel quia itineris
» longitudo magnam affert difficultatem; et praeterea rarissime
» et in casu urgentis necessitatis. Extra hos casus omnino fieri de-
» bet interpellatio, etiamsi inutilis aut periculosa videatur, si fide-
» lis velit ad alias nuptias transire; nec ab ea dispensari potest,

(36) Apud Pontium loc cit. n. 23.

(37) Cf. *De synodo* loc. cit. n. 6 seqq.

» sive timeatur, ne infidelis interpellatus, sicut prima vice uxorem » vendidit, eamdem recuperatam iterum vendat; sive praesuma- » tur cum fundamento, vel ex dissensionibus coniugum in prae- » cedenti cohabitatione, vel ex alia quavis circumstantia, partem » infidelem nolle redire. Quod si periculum adsit, ne facta inter- » pellatione, exinde oriatur molestia seu persecutio contra » christianos, huiusmodi casus deferatur ad vicarium apostolicum, » ut S. Sedes consulatur, prout responsum est in congregatione » S. officii an. 1769. De duobus porro dumtaxat fieri debet in- » terpellatio nempe 1. num pars infidelis velit converti; 2. num » saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris. »

Advertant iidem missionarii, fidelem, cum quo dispensatur, non posse novum matrimonium inire, nisi cum fideli baptizata minime vero catechumena (38). Praeterea adhuc diligenter observent, quod in unoquoque illorum casuum, in quibus necessarium iudicabunt dispensare ab interpellatione, non sufficiat, ut omnino sint persuasi de impossibilitate, aut difficultate illam exequendi, sed oportebit, ut faciant processum summarium et scriptum, quo pro omni tempore futuro appareat, vel ex eo, quod interpellatus non respondet, aut quia ignoratur ubi sit, aut quia dedit argumentum reipsa aperti sui dissensus; aut quia tandem in tanta est distantia, ut interpellatio ad illum pervenire nequeat, aut saltem res est multum difficilis; iste enim praevius processus summarius nascitur ex litteris et spiritu Brevis Gregoriani.

Quamvis in folio facultatum, quae missionariis conceduntur, sequens facultas legatur. « Dispensandi cum gentilibus et infide- » libus plures uxores habentibus, ut post conversionem et » baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam illa fidelis fiat, » retinere possint, nisi prima voluerit converti (39). Nihilomi-

(38) Et vero sic decisum fuit a sac. congreg. de propag. fide in responsione data dubio proposito a D. Ghislein missionario Pekini, nimirum: « Num verba » D. Pauli I. Cor. c. 7. v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat*, ita intelligenda » etiam sint de catechumenis, seu potius, utrum Titius catechumenus possit du- » cere Bertham catechumenam, et a suo marito infideli propter religionem re- » pudiatam? » Resp. 16. Ianuar. 1685. « Verba illa sancti Pauli non esse intelli- » genda de catechumenis, sed de baptizatis tantum. »

(39) Immo iamdiu constituerat Paulus III. 1. Iunii 1537. in Bulla *Altitudo*,

» nus eorum conscientia oneratur, qui uti non debent tali fa-
» cultate, nisi ad normam supradicti Brevis Gregoriani, scilicet
» ut non dispensetur ab interpellatione primae uxoris, nisi in
» casibus in Brevi expressis: sufficit autem, ut interpelletur, si
» velit converti (40). »

Facile est colligere ex huius synodi actis, quod huiusmodi dispensationes Rom. pontificum Pii V. et Gregorii XIII. quamvis spectata in stricto iure dispensationum natura extendi nequeant in paritate, aut etiam identitate casuum ad alias gentes praeter illas, in quarum favorem datae sunt, tamen istae, quae in favorem Indorum, Angolae, Æthiopiae et Brasiliae fuerunt concessae (41), extensae etiam sint ad missiones Sinici imperii (42).

Verum scitari quis posset: in illis omnibus regionibus, in quarum gratiam apostolica privilegia data sunt, quid facto opus sit, si interposita interpellatione, infidelis nihil respondeat? Poterit ne conversus novas cum fideli iungere nuptias? Negari haud posse videtur, ratione habita iuris communis, iuxta quod ille, qui interpellatus non respondet, perinde est ac si declararet nolle cohabitare (43).

Sed quid, si infidelis converti quidem renuat, consentiat tamen cohabitare sine contumelia Creatoris? Non desunt qui affirment etiam hoc in casu posse dissolvi coniugium; quia quamvis promittat se velle cohabitare absque Creatoris iniuria, tamen id plerumque praestare impossibile est; nam pravo suo

edicens: « Qui ante conversionem plures habebant uxores *et non recordantur*
» quam primo acceperint, cum veniunt ad fidem, unam ex illis accipiant, quam
» voluerint, et cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti. »

(40) Cap. X. n. 8. Romae 1822.

(41) Sane Benedictus XIV. *De synodo* lib. VIII. cap. XXI. §. 6. scribit:
« Duae illae constitutiones S. Pii V. et Gregorii XIII. certas quasdam regiones
» tantummodo complectuntur, neque... extendi possunt ad alias, quamtumvis
» rationis ac circumstantiarum paritas, aut identitas id suadere videatur. »

(42) Ut patet ex ipsa synodi Sutchuensi.

(43) Cf. Verricelli op. *De apostolicis missionibus* loc. cit. dub. XVI. n. 187. ubi plures pro hac sententia allegat auctores.

exemplo filios ac familiam pervertet; quare idem est nolle converti ac velle discedere (44). Id forte admitti posset illis in regionibus, in quibus lege ecclesiastica cohabitatio fidelis cum infideli interdicta est; infidelis enim, qui eam legem novit, et nihilominus converti renuit, perinde est ac si declaret se discedere velle. Quo in casu posset fidelis ad nova vota transire, prout nonnulli sentiunt (45). Ast absolute id admitti non posse videtur: si enim res ita se haberet, quorsum in iure canonico tot appositae clausulae fuissent, si illis attendendum minime foret (46)?

Dicendum potius divinum privilegium de dissolutione coniugii in fidei favorem reviviscere, cum ab initio quidem infidelis assentit pacifice cum fideli coniuge habitare, ac sine Creatoris

(44) Ita ex S. Augustino, ut ipsi affirmant, lib. I. *De adulterin. coniugiis* c. XIX. Sanchez lib. VII. disp. 74. n. 9. Henriquez lib. II. cap. 8. aliique colligunt.

(45) Scilicet Sotus in 4. d. 39. q. un. art. 4. Sanchez loc. cit. Comitolus lib. I. cap. 124. n. 6. Cornel. a Lapide in I. Cor. VII. n. 175. Verricelli loc. cit. n. 183.

(46) Sic enim in cap. *Quanto. De divortiis* statuitur: « Si alter infidelium » coniugum ad fidem catholicam convertatur, alter vero vel nullo modo, vel » *non sine blasphemia divini nominis*, vel ut eum pertrahat ad mortale pec- » catum ei cohabitare noluerit; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota » transibit » Ita etiam in cap. *Gaudemus*. Vidimusque id expresse declaratum a sac. congreg. concilii, et a constitution. pontificiis.

Caeterum controversia pendet ab intelligentia verborum S. Pauli *Si discedit discedat*, quae alii intelligunt de *consilio* cum S. Augustino l. c. alii *de praecepto*. Sed istud sive consilium sive praeceptum perdurat ne, an vero cessavit? Iuxta Sanchez l. c. Pontium lib. VII. c. 48. Clericatum decis XI. cessavit ob diversitatem temporum ac circumstantiarum, ut ait S. Th. suppl. q. 90. al. 59. art. 3. ad 2. « Sed nunc pari passu, scribit, ambulant utrique gentiles et Iudaei, » quia utrique obstinati sunt; et ideo nisi uxor infidelis converti velit, non » permittitur ei cohabitare, sive sit gentilis, sive Iudaea. » Cf. etiam q. 110. art. 3. ad 3.

Contra vero alii contendunt adhuc perdurare, inter quos Lauraea *De indissolub. matrim.* disp. XVI. art. II. scribens: « Antiquis temporibus usque ad » sec. XII. id fuit in Ecclesia servatum, ergo id etiam nunc observandum. » Neque alius Paulus, neque alias pontifex id revocavit; igitur cum maneat » *lex*, in suo robore absolute est observanda. » Sane Innoc. III. cap. *Gaudemus*. « Fideles, ait, huiusmodi matrimonialiter copulati *libere possunt et licite* » *permanere*. »

iniuria, post vero aliquod brevius aut longius tempus iurgia ob christianae religionis professionem movet, atque impedire adnititur fidelem coniugem, ne libere ad eiusdem religionis praescriptum vivat; aliaque his similia peragit, quae cum religione christiana consistere nequeunt. Cum his in adiunctis reipsa patefaciat infidelis, se nolle sine iniuria christiani nominis cum fideli cohabitare, fidelis poterit iure suo uti (47).

Multo vero minus potest fidelis conversus discedere a coniuge infideli ac novas inire nuptias, cum affulget spes conversionis coniugis huius infidelis, prout in concilio Limano a Sixto V. probato constitutum est his verbis : « Si infidelis spem suae » conversionis ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias » transeat, quemadmodum sacris canonibus est definitum; sed » coniugis lucrum in Christo expectet; si vero differat conversio- » nem suam, neque tamen baptizatae coniugi perniciosus existat, » avertendo a fide, aut ad peccatum mortale pertrahendo, (caete-

(47) Atque ita decretum est in congreg. S. off. ad quam delatus est casus insequens ex Coccinensi missione an 1759. die 1. Aug. sub Clemente XIII. « Saepe contingit, ut ex duobus infidelibus alter convertatur ad fidem, alter » converti quidem nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia » Creatoris... Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut » coniuges, idque *ad aliquos etiam annos: ad postea infidelis mutata voluntate,* » non solum converti non vult, sed *tentat fidelem, vel discedit, imo ad alias* » *nuptias transit.* »

Quaeritur 1. An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire?

Resp. Ad 1. In casu de quo agitur, *affirmative.*

Deinde proponuntur etiam alia dubia, ut sequitur:

2. An hoc privilegium solum locum habeat, quando infidelis discedit odio fidei; an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam?

3. Num possit fidelis transire ad alias nuptias, quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri possit, vivat adhuc necne?

4. An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eam pertrahat ad mortale peccatum?

5. An aliquo et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ab alias nuptias? — Resp.

» rum cum id fit, sacri canones eos necessario separandos esse » volunt et christiano novi coniugii potestatem, tribuunt, ) tunc » et expectandum adhuc per semestre tempus, et assidue interim » de sua conversione admonendum. Transacto sex mensium » spatio, res ad episcopum deferatur, qui perspecta bene causa » infidelis, declarat fideli copiam esse aliud matrimonium » ineundi, propter fidei aut charitatis scandalum quod patitur; » quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat » expectare infidelem, aut etiam consulat, si prodesse intel- » ligat. »

Adeo autem firmiter apostolica Sedes institit necessitati faciendae interpellationis, num pars infidelis consentiat sine iniuria Creatoris cum parte fideli cohabitare, ut nullo unquam in casu, cum fieri posset, praetermitti eam indulserit, ut patet ex solutione ad insequentia dubia sac. congregationi a propagando christiano nomine nuncupatae proposita. Siquidem :

Ad 2. Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo potest uti, quacumque ex causa, dummodo iusta sit, nimirum non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi.

Ad 3. Remittendam esse interpellationem, qua intimetur coniugi infideli, an velit converti, a qua interpellatione apostolica Sedes iustis de causis dispensat.

Ad 4. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione : dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris : quare si infidelis non servet supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia, ad hoc, ut eam servet ; alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum ; quocirca in casu de quo agitur, coniuge infideli superstite, non poterit ad alia vota transire.

Ad 5. Conversus ad fidem, in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti. Sed tunc acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias cum coniuge tamen fideli, idque si coniux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum coniugii vinculum dissolvitur, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si gentilis conversus ante susceptionem baptismi habebit plures uxores, et prima recuset amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat. Sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent.

Haec volui adtexere ob argumenti nexum, et ad eius pleniorem cognitionem.

1. Dubium excitatum est : utrum ad effectum matrimonii dissolvendi iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum, et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate permanentis sit de iure divino, atque adeo necessaria, ut ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus? An solum pertineat ad formam iudicialem, nec requiratur, nisi ut dissolutio *licite* fiat, praesertim cum aliunde constet indiciis moraliter certis, alterum coniugum nec fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare?

Cui dubio respondit sac. congregatio, non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti in casu, de quo agitur, *nisi interpellatione praemissa*, aut nisi obtenta legitimis ex causis, super interpellatione apostolica dispensatione.

2. Num sola de religione amplectenda sufficiat interrogatio : *utrum scilicet pars in infidelitate remanens velit converti necne?* Quod Thomae Sanchez auctoritate freti existimant aliqui ex missionariis; an potius interpellatio : *Utrum saltem pars in infidelitate perseverans absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat*, sit quoque essentialis, et absolute requisita, ita ut illa praetermissa, non solum *non licite*, sed etiam *non valide* matrimonium dissolvi queat?

Resp. Interpellandum esse coniugem infidelem non solum an converti velit, sed etiam casu, quo nolit converti, an velit cum coniuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris, iuxta dispositionem Innocentii III. cap. *Quanto. De divortiis.*

3. Utrum solemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus iuxta leges regni, possit interpellationis locum tenere, et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere? An potius, nulla repudii habita ratione, in iis etiam circumstantiis duplex, in iure praescripta ad validitatem matrimonii requiratur interpellatio?

Resp. Faciendam esse interpellationem, etiam in casu de quo agitur, si fieri potest : aut recurrendum esse ad Sedem apostolicam pro obtinenda dispensatione.

4. Quomodo se gerere debeat missionarius erga mulierem infidelem, absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio, an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat? Debetne illam de hac re prius interrogare, atque interea baptismum differre, donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque baptismate? Quid autem si consentiat, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina?

Resp. Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, baptisma conferatur.

5. Cum adulterium causam praebeat coniugibus infidelibus, sicut et christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro fonte abluta fuerit, aut seculo nuncium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare?

Resp. Coniugem ad fidem conversam et baptizatam posse facere divortium, quoad torum, a coniuge infideli ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat, et velit cohabitare sine contumelia Creatoris (48).

Quandoquidem vero in postremo dubio actum est de adulterio, iuverit adtexere, quae circa adulterii casus, propositae sunt quaestiones, solutionesque addere, quae a sac. congregationibus prodierunt.

Supremae SS. inquisitionis congregationi propositum fuit dubium, ut paulo ante vidimus, de infideli, « qui fidelem coniu- » gem non dimittit, sed cohabitare pergit: at coniux sine contu-

(48) Die 3. Mart. 1816. pro vicariatu apostolico Tunchini occidentalis. Ex responsione ad 3. dubium patet non recte sensisse nonnullos, qui existimarunt, hoc in casu posse dissolvi ex parte fideli coniugium quoad vinculum, innixi illi principio generali Gregorii III. cap. *Pervenit* 2. *de iureiurando*, *ut frangenti fidem fides frangatur eidem*. Siquidem perperam ab ipsis huic casui principium istud applicatum fuit.

» melia Creatoris, imo cum spe conversionis, idque ad longum » tempus... Sed postea, mutata voluntate, infidelis discedit, sive » odio fidei, sive *alia de causa*. Hac posita facti specie, quaere- » batur, an in casu discessus *in odium fidei* maneret integrum » ius parti fideli utendi privilegio fidei, non obstante pacifica infi- » delis cohabitatione post alterius partis conversionem ad fidem » christianam, ac responsum est: *affirmative*. Quaerebatur insu- » per utrum parti fideli maneret pariter integrum privilegium » fidei, etiamsi infidelis ab ea discederet ob alias causas ab eius » conversione ac fide independentes; et *negative* responsum fuit, » si pars fidelis post longum tempus pacificae cohabitationis » post conversionem praebuit parti infideli iustam, et rationabi- » lem discedendi causam, puta per adulterium; ob idque addi- » tum fuit: *Dummodo pars fidelis iustum ac rationabile motivum* » *non dederit discedendi* (49.) »

Viceversa in decreto sac. congreg. de propaganda fide actum fuit de casu, in quo adulterium a parte fideli perpetratum fuerit ante eius conversionem, repudio inde sequuto; quaesitum est, an pars iam adultera et repudiata, si postea christianam fidem amplexata fuisset, et pars infidelis cohabitare cum illa recusasset, uti posset privilegio fidei concesso, et ad alias nuptias transire? responsum fuit: *affirmative;* praemissa tantum interpellatione, utrum nec ne praecesserit sive adulterium, sive repudium, quia adulterii macula praecedens per conversionem et baptismum sublata censenda erat, et pars infidelis irrationabiliter et iniuste in suscepto consilio perseverabat, minime se parti fideli reconciliandi. Quare si in hoc casu, infidelis, accepta interpellatione, recipere partem, et habitare cum illa absque Creatoris iniuria recuset, iustum non est, ut ob irrationabilem hanc agendi rationem, pars fidelis in statu voluntariae continentiae cum peccandi periculo maneat (50).

Ex quibus duabus in specie contrariis resolutionibus patet,

(49) Die 1. Aug. 1759.

(50) 17. Ian. 1797.

quod si pars fidelis post conversionem et pacificam cum parte infideli cohabitationem adulterio se polluat, si infidelis hac de causa discedat, non posse adulteram ad alias transire nuptias fruique privilegio fidei ; possit vero si adulterium patraverit ante conversionem et baptismum , si parte infideli interpellata, nolit haec cum parte fideli reconciliari , eamque post repudium denuo suscipere et cum ea pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare.

Non absre erit et hoc addere, ex sac. congreg. de propaganda fide decisum fuisse , quod si quis vir infidelis primam dimiserit uxorem , postea vero fiat christianus et celato priori coniugio, ineat coram parocho matrimonium cum altera muliere, eiusmodi secundum matrimonium tanquam nullum ac irritum habeatur , et secunda uxor sit libera , ac possit cum alio viro catholico nuptias iungere (51).

Item ex SS. inquisitionis responso dicendum est , legitimam uxorem a viro alteri devenditam, et cum quo ad longum tempus cohabitavit , teneri si possit, ad primum maritum se recipere , aut sibi fuga consulere, nec aliter posse eidem conferri baptisma, nisi abiectis adulterinis nexibus se separet ab emptore , excepto articulo mortis, si ipsam peccatorum suorum poeniteat (52).

A. D. Pompellier vic. apostolico Novae Zelandae an. 1848. duae insequentes quaestiones propositae sunt, quae huc referuntur 1. « Quaeritur utrum duo coniuges infideles quando » conversi baptizantur, aut una pars tantum baptizatur, licite » possint ambo , vel possit pars fidelis cohabitare cum parte » infideli *absque renovatione matrimonialis consensus*. » Responsum porro fuit a sac. S. off. congregatione, quod si dubium nullitatis non sit vere fundatum , *renovatio consensus non est necessaria* (53). 2. « Utrum, si pars fidelis matrimonii sic initi,

(51) Die 5. Aug. 1806.

(52) Die 23. Ianuar. 1805.

(53) Haec autem resolutio confirmat , quod paulo ante affirmavimus de non necessaria renovatione consensus de praeterito matrimonio , cum infideles baptizantur.

» aut confirmati coram proprio missionario, promissione de » cohabitatione pacifica a parte non baptizata, prius data, » possit disiungi non solum quoad habitationem et torum, sed » etiam quoad vinculum, a parte infideli, quae deinceps non vult » amplius pacifice cohabitare propter partis fidelis religionem; » quaeritur scilicet utrum haec pars fidelis possit valide et licite » convolare ad alias nuptias? » Resp. *Affirmative* (54).

Item a vic. apostolico Siam, provinciae Sinensis, an. 1854. proposita fuerunt haec dubia sac. congreg. S. off. nempe 1. » Utrum pontifex dispensare possit ab interpellatione infidelis, » stante *gravi difficultate*. — Resp. *Affirmative*. 2. Utrum neo- » phytus hoc in casu possit contrahere nuptias cum secunda uxore » adhuc pagana, mediante dispensatione ab impedimento dispari- » tatis cultus? Qua in hypothesi, quamvis nati filii non fuerint, » si secunda uxor spem praebet futurae conversionis, quaesitum » ulterius est, an possit illam pariter retinere, data dispensatione » a disparitate cultus. Demum si secunda uxor consentiat con- » versioni, satis ne erit neophyto interpellare primam coniugem: » *an velit converti?* » — Resp. iam provisum per synodum Sutchuensem. — *Affirmative*.

II. Dubium. Quaeritur 1. an eius maritus teneatur eam redimere a captivitate, etiamsi divendita ab aliis fuerit, ex. gr. ab illius parentibus, aut a secundo marito, qui eam repudiavit? Resp. « *Affirmative* si potest, id est teneri redimere legitimam » uxorem volentem converti, aut saltem cohabitare sine con- » tumelia Creatoris. »

Quaer. 2. Si neophytus duxit secundam uxorem, ex qua filios procreavit, si haec consentiat fidem christianum amplecti, aut cohabitare pacifice, poterit ne ipse eam retinere, *renovato consensu, et data dispensatione, si fuerit necessaria?* Resp. per instructionem an 1854. ex synodo Sutchuensi cap. IX. §. VII. ubi inter caetera adnotatur, post dispensationem ab impedimento disparitatis cultus non posse amplius ullo in casu ma-

(54) Feria V. 20. Sept. approbat. a Pio IX. feria V. 27. Sept.

trimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad torum, quia factum est indissolubile in favorem fidei, et fidelis partis (55).

Et haec de solutione coniugii in infidelitate initi praecipue dicenda erant ad sacrar. congregationum normam. Iam ad alteram quaestionem deveniendum est.

Haud raro infideles coniugia ineunt, quae apud fideles ob irritans impedimentum habentur invalida; ex. gr. in primo vel altero consanguinitatis et affinitatis gradu. Iam si infideles ita matrimonio coniuncti ad fidem convertantur, quaeritur quid de eorum matrimonio censendum sit, an solvi debeat iuxta leges matrimonii christiani, an vero, non obstante impedimento, ratum haberi possit, etiam post baptismum, utpote quod non a fidelibus sed ab infidelibus initum fuerat; an denique necessaria sit dispensatio Ecclesiae, ut eiusmodi ratihabitio locum habeat? Res valde impedita est ac difficultatibus obnoxia ob diversam agendi rationem, quae identidem obtinuit, atque in specie contraria documenta, sive quae ex antiquitate suppetunt, sive quae ex recentiori aevo. Quae quidem omnia harmonice possunt inter se componi si opportunae aptentur distinctiones.

Si matrimonium in infidelitate initum obnoxium erat impedimento orto ex iure divino vel naturali presse sumpto, tum nunquam fuit validum, nec proinde locum habet eius ratihabitio, sed solvi prorsus debet, quum coniuges fiunt christiani. Si vero impedimentum erat mere ecclesiasticum, tum per se quemadmodum fuit validum in infidelitate, ita etiam post baptismum validum haberi solet: ac licet infideles quamdiu tales sunt legibus Ecclesiae non subiaceant, posset tamen Ecclesia ab

(55) Synodus Sutchuensis approbata an. 1822. extensa fuit an. 1835. ad imperium Sinense, ac regna adiacentia per encyclicam datam vicariis apostolicis his verbis: « Cum Sanctitas sua probaverit et exequi iusserit decretum sac. huius congregationis (de prop. fide), quo synodi Sutchuensis » anni 1803. canones et decreta ad omnes episcopatus et vicariatus » apostolicos in Sinis et regnis adjacentibus existentes extendantur etc. » Adeoque et ad regnum Siam, Tunchini cum nonnullis modificationibus, quae deinceps factae sunt pro ratione status unicuiusque missionis.

infidelibus exigere, ut ecclesiasticae matrimonii christiani legislationi se conforment post adeptum baptisma, adeoque matrimonium ecclesiastico impedimento initum solvi, vel confirmari quidem, sed ex Ecclesiae dispensatione. Si autem impedimentum fuit partim iuris ecclesiastici, partim iuris naturae latius sumpti, quemadmodum accidit v. gr. in secundo consanguineitatis et in primo affinitatis gradu, potest Ecclesia ea coniugia solvere vel dispensationem dare, ut perseverent, prout prudentia, utilitas, aliaque rerum ac personarum adiuncta suggesserint.

Revera documenta suppetunt pro utraque agendi ratione. Nullum certe subest dubium posse Romanum pontificem infideles ad fidem conversos dispensare, ut in matrimonio persistant talibus in gradibus celebrato. Quin potius nulla eos pontificia relaxatione ab eiusmodi impedimento indigere censemus. Nam cum istiusmodi connubia prohibita, atque irrita facta sint sola lege ecclesiastica sive canonica, quae illos non obligabat cum in infidelitate degerent, his impedimentis, quae proveniunt ex inferioribus consanguineitatis gradibus minime obnoxii erant, adeoque coniugium legitime inierunt. Iam vero poterant ne personas inhabiles efficere ad contrahendum impedimenta, quae quoad ipsos non existebant? Aut poterunt saltem efficere postquam christiani ex infidelibus facti sunt, ut sint illegitime copulati, qui legitime semel fuerunt coniuncti? Nulla igitur dispensatione eiusmodi coniuges opus habent ad fidem conversi, ut in legitimo contracto coniugio perseverent; nec solum separari hac de causa ab invicem non debent, prout statuit Innocentius III. sed neque posse videtur.

Si nullus itaque affinitatis gradus in quavis linea sive recta sive obliqua dirimit matrimonium, prout ex dictis verior tenet sententia, iure naturali presse sumpto, consequens est, coniugia, quae ab infidelibus ante baptismum his in gradibus affinitatis inita sunt, esse vera ac valida, cum non subiiciantur legibus canonicis, a quibus tantum irrita fiunt. Et reipsa vidimus ab

antiquioribus conciliis post eorum conversionem saltem tolerata fuisse, ac propterea etiam nunc temporis tolerari posse.

Quod si concilium Limanum constituit: « Indi Peruani, qui » matrimonium contraxerunt cum noverca vel nuru non admit- » tantur ad baptismum, nisi prius coniugium praefatum veluti » iure naturae irritum solvant (56): » profecto excessit, dum ceu exploratum ratumque assumpsit, quod non solum incertum est atque a gravissimis auctoribus passim negatur; sed praeterea falsum esse deprehenditur, si agendi rationem consulamus, quam antiqua concilia, ut vidimus, tenuerunt. Nimirum pro certo assumpsit affinitatem, quae ex matrimonio oritur, iure naturae dirimere matrimonium in primo gradu lineae rectae (57). Nisi dicere quis malit, posse Ecclesiam eo sensu, quo alias exposuimus, dirimere coniugia infidelium, quae etsi *vera* sint, attamen nondum *rata* ante baptismum, eam non prae se ferunt firmitatem, quae fidelium coniugiis convenit ratione sacramenti, adeo ut, nisi coniugiis infidelium, cum hi ad religionem christianam profitendam accedunt, insint conditiones, quas Ecclesia exposcit, possint conversi, soluta incesta illa coniunctione, ad novas nuptias transire.

Ast hac in hypothesi vix probabili, nova exurgit difficultas, utrum nempe valeat particulare concilium, cuiusmodi fuit Limanum, illas apponere conditiones, ac vera consummataque connubia disiungere, cum hoc nonnisi supremae potestati convenire posse videatur. Nonnisi unus in iure canonico universo casus habetur dissolutionis eiusmodi coniugiorum, cum scilicet altero coniuge ad religionem christianam converso, renuit alter pacifice ac sine contumelia Creatoris cum illo cohabitare. Exinde fit, ut Limanum concilium periculo se exposuerit sanciendi polyga-

(56) Apud Bened. XIV. *De synod. dioeces.* lib. IX. c. XIII. n. 4. celebratum est hoc concilium an. 1585. Cuius acta non secus ac alterius concilii quod in provincia Mexicana est habitum an. 1585. refert card. De Aguirre in *Sua collect. maxima concil. Hispaniae et Novi orbis* tom. IV. pag. 151. et 292. ed. Rom. 1693.

(57) Sane vel ipse Benedictus XIV. loc. cit. id improbat.

miam, dum iis, qui vero coniugio consociati erant, novas ineundi nuptias copiam fecit, altero adhuc vivente coniuge, nec rite dissoluto coniugio. Nisi dicas, speciali facultate ea coniugia apostolica auctoritate solvisse, quum Sixtus V. acta eius probaverit (58). Verum et haec omnia in incerto versantur; nam ut vidimus ex Benedicto XIV. non auctoritate Ecclesiae infidelium coniugia dirimuntur, sed Deus ipse est, qui in favorem fidei, hoc indulsit privilegium (59).

Tertia quaestio non respicit matrimonia in infidelitate inita, sed ea, quae sublato impedimento disparitatis cultus, fidelibus inire cum infidelibus Ecclesia permittit. Siquidem apostolica Sedes consuevit, iustis intercedentibus causis, super impedimento disparitatis cultus relaxationem concedere, seu coniugium permittere inter fidelem et infidelem apud barbaras gentes, quae ad christianam religionem convertuntur. Ast longe difficiliorem se praebet in hoc ipso impedimento relaxando apud christianos, cum aliquis vult se coniugio copulare cum Iudaea, aut aliqua cum Iudaeo, nec nisi in iis rerum adiunctis, quae quodammodo id exigere omnino videantur, dispensare solet. Sic paucis ab hinc annis in Galliis dispensatum novimus ast in matrimonio iam iure civili contracto, et ex quo soboles iam fuerat procreata. Caeterum Ecclesia ab his coniugiis semper maxime abhorruit.

Verum quod attinet ad barbaras nationes adhuc infideles, penes quas christiana religio disseminari incipit ac propagari, valde indulgentem Ecclesia se praebuit ac praebet in facultate apostolicis missionariis concedenda, ut ab hoc impedimento disparitatis cultus dispensare possint.

(58) Post triennale examen haec concilia a Sixto V. correcta et probata fuere.

(59) Indissolubilitas matrimonii in genere, adeoque et infidelium divino iure constat ex Decretali Bonifacii VIII. cap. unic. *De votis et votor.* in *Sexto* « Quod » ...matrimonii vinculum *ab ipso Ecclesiae capite rerum omnium conditore*, » ipsum in paradiso et in statu innocentiae instituente, unionem et *indissolu-* » *bilitatem* acceperit etc. » et ex conc. Trid. sess. XXIV. cap. De matrim. « Matrimonii *perpetuum indissolubilemque nexum* primus etc. » Ergo sola auctoritate divina solvi potest. Nisi dicas hoc in casu, apost. Sedem interpretem se gessisse divinae legis.

Etenim novimus a Clemente IX. 23 Ianuar. 1669. concessam fuisse episcopo Heliopolitano tam pro se, quam pro aliis vicariis apostolicis in regnis Sinarum, Tunchini, Cocincinae, aliisque finitimis facultatem, ad annos quindecim proxime futuros « dispensandi super impedimento disparitatis cultus, » gravibus tamen ex causis, in quibus dispensandum erit, et in » locis tantum *ubi sunt plures infideles quam christiani*, ita ut » in eo matrimonio postmodum, quatenus absque Creatoris » contumelia fieri possit, contrahentes remanere libere et licite » valeant, prolesque exinde suscipiendas legitimas decernendi, » super quibus eorumdem vicariorum apostolicorum conscientia » oneratur, et praedictae dispensationes gratis concedantur (60).»

Benedictus vero XIV. 15. Febr. 1756. concessit ad biennium episcopis et vicariis apostolicis illarum gentium facultatem dispensandi in disparitate cultus, addita instructione, in qua dicitur : « Si agatur de matrimonio iam *contracto* inter duos infideles, » quorum unus tantum ad fidem convertitur, illi dari potest » dispensatio, ut cum parte infideli remaneat, modo ista sine » contumelia Creatoris cohabitare consentiat, et proles instituatur in religione catholica (61). Si agatur de matrimonio » *contrahendo* inter fidelem et infidelem, ut possit dari dispensatio, praeter duas modo dictas conditiones, requiritur, ut » contrahentes sint in locis, ubi infideles sint plures quam christiani. Demum si agatur de matrimoniis *invalide contractis* » inter fidelem et infidelem, primo erit monendus fidelis quale » commiserit peccatum, deinde ad tempus separabuntur, si sine » tumultu fieri possit, iniungeturque poenitentia salutaris interim peragenda, qua persoluta, si adsint duae conditiones in

(60) Ex organo congreg. de propag. fide.

(61) Fateor, me non intelligere quorsum data sit haec instructionis pars ; nam impedimentum disparitatis cultus non afficit coniuges infideles. Quum vero alter ex coniugibus convertitur ad veram fidem, non dissolvitur coniugium, si infidelis consentiat pacifice vivere et sine contumelia Creatoris cum fideli, adeo ut opus sit dispensatione. Forte id ipsis pontifex in mentem revocare intendit, aut etiam quia id fert disciplina recepta ob periculum perversionis.

» primo casu requisitae, poterit concedi dispensatio, ut legitime » contrahant, et proles inde nata legitima declarabitur. »

Cumque excitata fuerit quaestio super clausulis in decreto Clementis IX. nuper descripto, nempe 1. *gravibus tamen de causis;* 2. *in locis tantum ubi plures sint infideles quam christiani;* primum dubium solvit sac. congreg. sancti officii rescribens an. 1786. ad episcopum Coricensem, vicarium apostolicum Tunchini orientalis, qui quaesierat: « Utrum per haec: *gravibus* » *tantum de causis*, intelligi possit tanquam causa gravis et » sufficiens salus animae illorum, qui tali matrimonio iamdiu » contracto, absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim » si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab infideli con- » iuge separari? » Resp. « Causam expositam in quaesito esse » *gravem et sufficientem* ad impertiendam dispensationem de » qua agitur. » Alterum dubium solvit Clemens XII. edicens: « *In his locis tantum, ubi plures sunt infideles quam christiani,* » intelligi debere in unoquoque pago; at vero ad instantiam » episcopi Coricensis vicarii apostolici Tunchini orientalis, » extendit ad unam toparchiam.

Sacra item congregatio de propaganda fide in litteris ad Rochum Iosephum Carpsan, episcopum Sebastensem, coadiutorem vicarii apostolici Fokien in Sinis 4. Febr. 1804. declaravit: « Conditionem appositam in facultate dispensandi super dispa- » ritate cultus, *ubi sunt plures infideles quam fideles*, ita intelli- » gendam esse, ut locum habeat, ubi in tota regione, de qua » habenda ratio est, plures sint infideles quem fideles, etiamsi in » uno aliove pago plures numerentur fideles quam infideles. » Illud tamen in concedenda huiusmodi dispensatione prae oculis » semper in primisque habendum esse, ut tunc solum impertia- » tur, ubi partis catholicae perversio ex coniunctione cum infi- » deli timeri nequaquam possit. »

Tandem Clemens XIII. hac super re in congregatione S. officii 2. Ian 1769. insequentem instructionem ad missionarios dedit provinciae Sutchuen: « 1. Circa loca, in quibus dispensandi » (super impedimento disparitatis cultus) facultate uti debet,

» non dubium est, quod in locis, ubi sunt plures infideles, quam » christiani, iure optimo dispensatio concedi possit, animadvertendum est, quod cum missionarius habeat etiam facultatem » dispensandi super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, » faciliorem se praebere debeat in huiusmodi dispensationibus » concedendis, si hac ratione matrimonia inter catholicos iungi » possunt, quam in dandis dispensationibus super disparitate » cultus, ad effectum, ut catholici cum infidelibus matrimonia » contrahant.

» 2. Si matrimonia iam inita fuerint inter catholicos et infideles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus, » tunc missionarius sequenti more se gerat: curet nempe 1. ut » eae dispensationes nonnisi vere catholicis indulgeantur, et » ubi coniux in infidelitate permanens baptizari renuit; 2. ut » tunc solummodo concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura; 3. Ut eaedem dispensationes » gratis omnino et absque ulla prorsus mercede impertiantur; » 4. ut in concessione coniugi catholico commendetur, atque » iniungatur catholica quoque prolis educatio, et quod curare » debeat, modo quo fieri poterit, coniugis infidelis conversionem; » 5. ut easdem dispensationes impetrantes instruantur super » necessaria renovatione consensus, qui ad persecutiones et ad » scandala declinanda sat erit, ut inter solos coniuges privatim » habeatur, patefacta tamen, quoad fieri poterit, etiam parti » infideli prioris matrimonii nullitate; 6. ut hac eadem sibi » indulta facultate missionario extra suae missionis fines uti minime liceat.

» 3. Si vero matrimonia contrahenda sint, distinguendum est » num dispensationem praefati impedimenti petant, qui adulti » sunt, et in hoc casu missionarius sese conformet omnino » iuxta instructionem sacrae congregationis de propaganda fide. » Si vero dispensationem petant parentes pro filiis vel filiabus » impuberibus, ut eam desponsent filiis infidelium iuxta morem » regionis, abstineat omnino missionarius a concedenda dispensatione; tum solum illam largiatur, cum ambo sponsi ad annos

» pubertatis pervenerint, et mutuum consensum praestiterint, » servatis semper conditionibus in praesenti instructione sacrae congregationis de propaganda fide contentis. »

Praeterea die 30. Ianuar. 1807. sacra congregatio propagandae fidei ad dubium episcopi Antidonensis vicarii apostolici Xensi et Xansi : « An queant dispensari super diversitate cultus » mulieres illae christianae ab antiquo gentilibus, absque praevia » dispensatione traditae, quibus a maritis libertas quidem con» ceditur sese in sacra religione exercendi, sed non est in tuto » posita proles, aut nata aut nascitura, ut possit baptizari, et in » christiano ritu educari, vel potius eiusmodi praxis agat contra » regulas ab ista congregatione pro usu similis dispensationis » cum S. Thoma datas? » Resp. « Sequendam esse instructio» nem, quae in casu perfecte uniformi matrimonia iam contracta » respiciente vicario apostolico Sutchuen missa fuit ex decreto » feriae V. die 12. Ian. 1769. »

Die vero 13. Sept. 1760. Eadem congregatio propagandae fidei in sua epistola ad D. Sallas, vicarium apostolicum Fukien in Sinis, scribit: « Sapiens agendi ratio, qua Dominatio tua utitur » in concedendis dispensationibus super impedimentis disparita» tis cultus, utique approbatione et laude est digna. 1. regula im» mutabilis, quam ecclesia Romana vult prae oculis haberi, est, « ut in tuto sit fides contrahentis catholici, remoto probabili pe» riculo perversionis: 2. ut in tuto sit fides prolis, datis debitis » cautionibus; 3. ut interveniat probabilis spes de conversione » contrahentis infidelis, et in locis tantum, ubi plures sunt infi» deles quam christiani concedatur haec dispensatio... Domina» tio tua optime colligit non debere dispensationem impertiri mu» lieribus, quae contrahere volunt cum infidelibus praeter quam » in casibus raris et extraordinariis. »

Sic die 3. Ian. 1796. Eadem congregatio ad quintum dubium episcopi Caradiensis, vicarii apostolici Sutchuen, scilicet: « An » missionarii dispensare possint in impedimento disparitatis » cultus cum muliere fideli, quamvis rapta fuerit, nec in loco » tuto reddita, dummodo ipsa libere in matrimonium consentiat?

» Cum in decreto facultatis extraordinariae, quae ad tempus » concedi solet episcopis vicariis apostolicis Indiarum orientalium » dispensandi super impedimento disparitatis cultus, omissa sit » clausula, quae in aliarum facultatum formulis apposita legitur: » *dummodo mulier rapta non fuerit, et in potestate raptoris non* » *existat;* hoc ipso concessum videtur, quod non est in conce- » dentis decreto restrictum. Cum tamen etiam de vi huiusce fa- » cultatis extraordinariae dubium exortum sit inter Sinenses, ne » suspensi maneant animi de valore matrimonii, responderunt » eminentiss. Patres in proposito casu supplicandum pontificem, » ut dignetur declarare episcopos et vicarios apostolicos, quibus » concessa est extraordinaria illa facultas dispensandi super dis- » paritate cultus, uti ea valere, gravibus de causis in singulis ca- » sibus, prout in dicto decreto exponitur, etiam in casu quo mulier » rapta fuerit, necdum tuto loco restituta, constito ante de libero » eius consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelis » consensu in cohabitionem absque contumelia Creatoris. »

« Insuper ut pro tranquillanda conscientia dignetur Sanctitas » sua convalidare ad cautelam, et quatenus opus sit, matrimo- » nia vi praecedentium dispensationum antea contracta, existente » muliere in potestate raptoris, quatenus nullum aliud obstet » impedimentum dirimens. Sanctitas sua utrique supplicationi » dignata est benigne annuere. »

Item ad sextum dubium eiusdem episcopi Caradiensis, videlicet: « An sit concedenda facultas a missionariis petita » convalidandi matrimonium mulierum fidelium cum apostatis » contractum, seu per vim seu post raptum et antequam ipsae » in loco tuto redditae fuerint? Responderunt eminentiss. Pa- » tres consulendum Sanctissimo pro concessione facultatis » petitae, dummodo fides mulierum sit in tuto, ipsae libere » consentiant, ac possint habitare cum apostata sine contumelia » Creatoris; sua Sanctitas benigne dignata est petitam facultatem » concedere. »

« In hac porro dispensatione concedenda sedulo pastor mu- » lierem admonere non omittat de gravi obligatione qua tene-

» tur omni ope curare, ut per bonam conversationem suam » apostatam a suscepta impietate revocatum Christo lucri » faciat, tum ut suscepta proles in sanctissima religione insti- » tuatur. »

Quum vero in usu earumdem facultatum nonnulli excesserint missionarii, hinc Clemente XIII. 1. Augusti 1769. approbante, sac. congregatio S. officii decrevit, « Serio iniungendum esse » vicariis apostolicis, ut omnes et quoscumque missionarios, » cuiuscumque ordinis et instituti, etiam societatis Iesu, qui » matrimoniis cum impedimento disparitatis cultus et absque » dispensatione apostolica contractis interfuerint, aut ut con- » trahantur consensum praebuerint, aut sic contrahentibus » Ecclesiae sacramenta administraverint, suspendant ab exercitio » omnium et quarumcumque facultatum. »

Sub eodem pontifice 23. Iulii 1760. eodemque approbante a sac. congreg. de propaganda fide obiurgantur « Qui ausi fuerint » dicere, disparitatem cultus nullum inducere impedimentum » matrimonii in his regionibus; » iussitque transmitti decreta S. officii antehac edita, inter quae illud 18. Novemb. 1745. in quo dicitur : « Graviter reprehendendos esse christianos, qui » extra ullam dispensationem filios suos collocant in matrimonio » cum gentilibus; nihil omittendum esse, ut gravitatem criminis » percipiant; impositas pro hoc crimine poenitentias debere esse » graves, et non leves, nec eorum poenitentiae aut resipiscentiae » statim esse fidendum, ita ut ad sacramenta admittantur; esse » tamen admittendos postquam praemissis praemittendis certa » apparuerint poenitentiae ac resipiscentiae signa. »

Idem pontifex Clemens XIII. 12. Ianuar. 1769. in congregatione S. officii, relecto eodem decreto 18. Novemb. 1745. addidit : « Quod missionarius adimpletis exacte omnibus, quae in » eodem decreto praescribuntur, poenitentes ad sacramenta » admittere non differat, praesertim si praevideat dilationem » futuram diuturnam, cum periculo pereundi absque sacra- » mentis. »

Quae quidem afferre constitui, tum ut appareat Ecclesiam,

seu apostolicam Sedem, cum opus fuerit ad commune christiani nominis bonum et utilitatem, haud detractare dispensationem etiam ab hoc impedimento disparitatis cultus impertiri; tum ut innotescat qua sapientia ac prudentia eadem Sedes apostolica in tot occurrentibus rerum adiunctis se gerat, sciatque severitatem cum clementia ac benignitate temperare.

Appendicis instar addere hic iuvat, quod cum quaestione de matrimoniis infidelium, quam hoc capite agitavimus, consertum est, quid nimirum sentiendum sit de coniugiis, quae sive inter se sive cum catholicis contrahunt quidam haeretici, qui licet christiano nomine insigniantur, tamen infidelibus prorsus similes aut respuunt omnino baptismum, ut Quaqueri, Mennonitae, Swendenborgiani, aliique eiusmodi; aut qui eius administrationem penitus de facto negligunt, ut non pauci inter protestantes aetate hac nostra, aut invalide illud conferunt ob essentialem vel formae vel materiae defectum.

Difficilis solutionis quaestio non est, dummodo in suas partes dispescatur. Nam si sermo sit de illorum sectariorum coniugio, qui penitus baptisma reiiciunt, vel qui vitiata essentialiter forma vel materia illud conferunt, idem ferendum iudicium ac de coniugiis infidelium, quae valida quidem sunt in ratione contractus naturalis ac mere civilis, quaeque, ut loquitur Innocentius III. *vera* sunt sed *non rata*, quia non sunt sacramenta. Cum enim per baptismi ianuam nunquam ingressi sint in Ecclesiam, nulla sacramenta habent, aut habere possunt. Cumque Ecclesiae subditi per baptismum facti non fuerint, nulli ecclesiastico impedimento sunt obnoxii, sed solis impedimentis iuris naturalis atque divini detinentur. Si illorum alteruter ad religionem catholicam veniat, altero in propria secta permanente, neque absque iniuria Creatoris consentiat cum fideli habitare, poterit auctoritate Sedis apostolicae illorum coniugium dirimi. Quod si ambo catholici fiant, ubi mos obtinet, debent suum renovare consensum in facie Ecclesiae, ac benedictionem sacerdotalem recipere. Dixi: *ubi mos obtinet*, siquidem iuxta non paucos theologos et antiquum Ecclesiae Romanae usum, ut suo

loco adnotavimus, ad ratihabendum connubium christianorum seu eorum, qui ex infidelitate ad religionem christianam convertuntur, sufficit baptismi susceptio, per quam anteactum matrimonium ad dignitatem sacramenti evehitur.

Atque haec de huiusmodi coniugiis, quum ea inter haereticos non baptizatos ineuntur. Nam quoad matrimonia mixta, quae celebrarentur ab aliquo, aut aliqua istiusmodi sectae assecla cum catholico aut catholica, absque dubio nulla ac irrita ea forent ob impedimentum disparitatis cultus, a quo solus Romanus pontifex dispensare posset.

Quod vero dictum est de nullitate coniugii inter haereticos respuentes baptisma et catholicos initi, affirmari pariter debet de coniugio celebrato ab haereticis alienae sectae, qui baptizati sunt, cum praedictis sectariis, qui christiani nomine tenus ipsum baptismum reiiciunt. Ut enim saepe diximus, haeretici qui per baptismum filii ac subditi Ecclesiae facti sunt, ipsius legibus devinciuntur, ac propterea detinentur impedimentis dirimentibus ab ipsa constitutis. Quum vero inter caetera et istud habeatur de disparitate cultus, quo irritae fiunt nuptiae inter baptizatum et non baptizatum, patet praedicta connubia nullius plane esse valoris.

Restat ut de connubiis disseramus eorum haereticorum, qui quamvis theoretice baptisma non respuant, attamen vel ex parentum negligentia aut malitia et perversitate lavacrum regenerationis suscepisse non constat, vel ob ministrorum socordiam ac temeritatem non rite baptisma confertur neglecta vera sive materia sive forma (62). Hac in hypothesi toties supponi debet baptisma, quoties positivis atque ineluctabilibus probationibus non ostenditur illud aut nullatenus, aut non rite fuisse collatum. Quocirca in dubio, quemadmodum praesumptio est pro administrato et quidem rite baptismate, ita et pro valore

(62) Prout saepe in anglicana Ecclesia contingere viri fide digni mihi testati sunt; et cl. Newman in suis sermonibus, quos in Oratorio habuit, confirmavit dicens, dimidiam fere partem non esse ex sectariis et Anglicanis baptismo rite tinctam.

et legitimitate connubii. Si vero iuridice alterutrum constet, nimirum aut non fuisse administratum, aut non debita materia ac forma baptisma collatum, tunc sententia est ferenda pro nullitate coniugii, quod initum esset a baptizato sive catholico sive haeretico cum infideli, propter impedimentum commemoratum disparitatis cultus.

Quandoquidem autem tum in hoc tum in praecedenti articulo saepius mentionem injecimus privilegii in favorem fidei, de quo agit apostolus J. Cor. VII. 15. *quod si infidelis discedit, discedat*, vi cuius fidelis soluto coniugio ad novas nuptias transit, quaeri non immerito potest, num hoc idem privilegium faveat haereticis ? Num scilicet, si aliquis ex Iudaismo, Islamismo aut ethnicismo convertat se ad religionem christianam, profiteatur ex. gr. Lutheranismum, Calvinismum aut Anglicanismum, et pars infidelis renuat pacifice ac sine contumelia Creatoris cum parte conversa cohabitare, possit vi privilegii Paulini transire ad alias nuptias ? Videtur affirmative respondendum ; plerique enim veteres interpretes *illud fidelis* item *frater* aut *soror* intelligunt de *baptizatis* in genere (63), ac S. Augustinus applicat textum Paulinum ad Donatistas (64). Adeoque dummodo haeretici aut schismatici rite sint baptizati, fruuntur et spei eiusmodi privilegio. Atque haec hactenus.

(63) Ita S. Hieronymus in comment. in epist. ad Galat. Beda in cit. textum apostoli J. Cor. VII. 15. Item v. Beda in comment. in hunc locum. Et confirmatur ex can. III. *Simili modo* caus. 28. 9. 1. Item ex can. 2. *Si quis* eadem causa et quaest. nec non ex can. 4. *Uxor* eiusd. caus. et quaest. in quibus canonibus *frater* et *soror* genuatim de baptizatis et christianis ex sensu apostoli intelliguntur.

(64) Enarrat. II. in Balon. 32. n. 29. et ex *Serm. Domini* in monte Lib. I. cap. 22. n. 73. et alibi. Possunt praeterea pro hac sententia plures aliae rationes et auctoritates urgeri, quas silentio praetereo.

# SECTIO ALTERA

## DE POTESTATE CIVILI

### IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

---

## CAPUT I.

### Generalis idea civilis potestatis in Matrimonium christianum.

ARTICULUS I. — Iura definiuntur civilis potestatis quoad civiles effectus Matrimonii christiani.

« Considerandum est, inquit doctor Angelicus (1), quod » quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere » diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus » agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet » ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem alicuius boni » *positivi*, puta populi in aliqua civitate : ordinatur etiam ad » perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis » dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, » quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante ad hunc finem, et sic dicitur esse *naturae officium*. In » quantum autem ordinatur ad bonum *politicum* subiacet ordinationi *civilis legis*. In quantum autem ordinatur ad bonum » Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini *Ecclesiastico*. » Brevius idem docet dum ait (2) : « Matrimonium in quantum » est in officium naturae, statuitur *lege naturae ;* in quantum » est in officium communitatis, statuitur *lege civili ;* in quan-

(1) Lib. IV. *Contr. gent.* cap. LXXVIII.
(2) In IV. *Sent.* dist. 34 art. II. q. 1. ad. 4.

» tum est sacramentum, statuitur *iure divino.*» Haec Angelici doctoris verba, quibus, ut infra dicemus, non pauci regalistae ac pseudopolitici abutuntur, normae instar esse possunt, ut limites civilis potestatis relate ad matrimonium christianum generali quadam ratione ab initio huiusce sectionis definiamus.

Theoria S. Thomae generalis est, ac verificari debet non modo in coniugiis infidelium, sed etiam fidelium, cum et istorum connubia etiam in officium sint ordinata communitatis, et ad perpetuitatem speciei, ac proinde in bonum politicum. Hinc nuptiae christianorum debent pariter subiici politicae potestati, atque a legibus civilibus dirigi. Nemo catholicorum hoc in dubium revocat, ita tamen ut rite intelligatur.

Rite vero intelligitur, si ea, quae intrinseca sunt matrimonio, ipsumque constituunt, distinguantur ab iis, quae extrinseca et accessoria dici consueverunt. Intrinseca censentur, quae afficiunt naturam ipsam atque substantiam coniugii, eiusque vinculum; extrinseca autem, quae comitantur contractum nuptialem aut ei superveniunt, et quodammodo accedunt; qua de causa *accessoria* etiam nuncupari solent.

Iam vero, ut ex iis, quae in priori sectione disputavimus, liquet, civile regimen nihil potest circa coniugalem christianorum contractum, qui a sacramento non distinguitur, adeoque civilis auctoritatis leges attingere nequeunt matrimonii christiani naturam, proprietates essentiales et vinculum, sed neque contrahentes prout sacramentum efficiunt, quorum idoneitas ad contrahendum seu ad sacramentum conficiendum, non est statuenda a civili potestate, sed ab ea tantummodo, cui sacramentorum administratio ac regimen a Christo commissum est, cuiusmodi est Ecclesia. Si quae propterea a civili principatu leges ferantur, quae attingant coniugium christianum in sua natura, aut essentiales eius proprietates, aut vinculum, aut personas denique, prout sunt contrahentes, nullius plane roboris ac valoris erunt, utpote ab illegitima auctoritate latae, atque extra obiectum proprium vagantes.

Restat igitur, ut unice conveniat auctoritati politicae potestas circa ea, quae extrinseca diximus connubio ipsi, ac pertinent ad civile iudicium. Eius generis sunt causae dotis, atque haereditatis, item successionis, admissionis aut exclusionis ab officiis ac muniis publicis aut privatis, illegitimitatis prolis in foro civili, aliaeque eiusmodi, quae in codicibus uniuscuiusque gentis, regni, aut provinciae reperiuntur et continentur.

Dari enimvero possunt legitimae causae, ob quas in peculiaribus societatis adiunctis debeant a regimine politico ac humano legislatore improbari suorum subditorum nuptiae, quae alioquin per se licitae ac legitimae sunt. Cum vero Ecclesia rationem habere debeat universitatis filiorum suorum, atque abstrahere a malis seu incommodis accidentalibus, ut dici solet, huius vel illius regionis, huius alteriusve gentis, quas omnes pariter suo in gremio complectitur; cum praeterea Ecclesia abstrahere debeat a temporum varietate, ad quae omnia etiam sese extendit, necesse est ut legibus generalibus prospiciat omnium filiorum suorum bono, quidquid sit de speciali aut peculiari aliquo incommodo, quod ex personarum, locorum ac temporum peculiaribus adiunctis emergere poterit. Suis nimirum legibus Ecclesia communi ac universali totius christianae societatis commodo ac utilitati sese accommodare debet. Est enim communis mater ac nutrix. Attamen fieri utique potest, ut nonnullae nuptiales coniunctiones in quibusdam regionibus in detrimentum cedant societatis, mala pariant, gravissimisque interdum incommodis obnoxiae sint. Hinc coguntur legislatores nonnulla connubialia foedera, quoad eius fieri potest, impedire, improbare, illegitima decernere et contra statuta contrahentes plectere et coercere. Cum autem nequeant in nexum ipsum vim exercere, ut irritum illum faciant, nulliusque roboris in conscientia, poenis saltem civilibus animadvertunt in eos, qui ita contrahunt, atque ut illegitima habent coniugia inita contra patrias leges.

Hinc in nonnullis regionibus illegitimae in codice declarantur nuptiae filiorumfamilias, quae sine praevio parentum consensu

celebrantur, multo vero magis, quae contra illorum voluntatem fiant. Illegitima item habentur connubia, quae milites inirent contra superiorum voluntatem, aut non facta illius prius facultate; illegitima etiam coniugia habentur, quae contrahantur ab iis, qui nondum aetatem attigerunt a lege praescriptam, aut ab iis quoque, qui proprium consensum coram magistratu civili non praebent, aut nomina sua publicis tabulis non inscribunt, et ita porro. Qui ita se gerunt, a civili gubernio spectantur perinde ac si nupti non fuissent. Hinc iuribus omnibus civilibus, quae adnexa sunt legitimis coniugiis, sunt destituti, itemque liberi ipsorum nonnullis in rebus ceu naturales habentur, atque interdum iure haereditatis privantur ac officiis publicis, aliisque poenis plectuntur (3).

Nihilominus in conscientiae foro et coram Ecclesia eiusmodi coniugia rata ac valida sunt, quandoque etiam licita; quia quamvis Ecclesia improbet inobedientiam iustis legibus, atque eos damnet, qui debitum obsequium exhibere detrectant legitimae auctoritati; tamen in nonnullis rerum adiunctis, et iustissimis causis cogitur ea tolerare, nec solum uti valida, sed etiam uti licita habere. Exinde fit, ut interdum iidem coniuges

(3) Exempli gratia in Galliis antiqua lege matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita irrita declarata fuerunt, non quoad substantiam contractus et vinculi spiritualis, sed quoad effectus pure civiles, atque statutum fuit 1. quod ita contrahentes possent exhaeredari; 2. quod possent a parentibus ad restitutionem donationum, quae prius forte factae fuissent obligari; 3. quod ita exhaeredati etiam iis omnibus privarentur subsidiis, quae sibi vi consuetudinis, aut contractus matrimonialis evenissent; 4. quod qui tali matrimonio adstitissent, punirentur ad arbitrium iudicis. Notarius autem et testes poena capitis. Cf. card. Gotti *De matrim.* q. VII. dub. I. §. III. n. 22.

Alia affert exempla d'Héricourt *De loix ecclesiast.* troisième part. ch. V. *Du mariage* §. 76 seqq. Neuschâtel 1774. Nam §. 82. Sic ad rem nostram scribit: « Il y a en France des mariages qui sont valables par rapport au » sacrement, et qui sont nuls par rapport aux effets civiles, de sorte » que les veuves après la dissolution de ces mariages, n'ont ni douaire, » ni reprises, ni aucunes autres conventions matrimoniales; et que les » enfants qui sont nés de ces mariages, ou qui ont été légitimés par leur » moyen, sont traités comme illégitimes par rapport aux successions.

legitime liciteque copulati sint in facie Ecclesiae, et tamen non secus ac fornicarii atque adulterini coram lege civili spectentur. Contra vero contingit quandoque, (quod tamen in statu vere christiano contingere nunquam deberet), ut legitimi in civili foro coniuges spectentur, qui tanquam concubinarii ab Ecclesia reiiciuntur, cum quaedam nempe leges feruntur contrariae Ecclesiae canonibus, quibus eiusmodi nuptiae irritantur.

Caeterum coniugale vinculum in matrimonio, quod Ecclesia approbat uti validum, firmum manet, non obstantibus quibusvis legis civilis constitutionibus, quia, prout exposuimus, eae attingere nullo modo possunt contractum sacramentalem, qui harum legum obiectum esse nequit.

Atque haec est doctrina, quam omnes recte sentientes catholici theologi tradunt, atque ex professo defendunt tuenturque. Nobis satis sit speciminis gratia unum alterumve commemorare. Id itaque adstruit Bellarminus impugnans haereticos seculi XVI (4); item Basilius Pontius (5), card. Gotti (6), aliique passim quos recenset Gonzalez (7). Verum non est quod plures sive theologos sive iuris peritos afferamus, quum nobis praesto sit auctoritas summi pontificis Pii IX., qui apprime secernens ea, quae intrinseca sunt matrimonio, cuiusmodi sunt eius vinculum ac omnimoda firmitas, ab iis, quae sunt eidem extrinseca, scilicet effectus civiles, declarat priora ad Ecclesiam unice pertinere, posteriora vero potestati politicae subesse (8).

(4) *De matrim.* cap. XXXII n. 2. 3. 4.

(5) In tract. *De matrim.* lib. VI. c. 2.

(6) *Theol. scholast. dogmat.* tom. XIV. Bonon. 1754. *De matrim.* loc. cit. q. VII. dub. 1. §. 3. n. 22.

(7) In *secund decretal.* tit. X. cap. 3. *In commentario* n. 14.

(8) Ita in epistola data ad Sardiniae regem, Victorium, Emmanuelem 19. Sept. 1852. cuius verba ita se habent: « Non vi è pertanto altro mezzo » di conciliazione, che ritenendo Cesare ciò che è suo, lasci alla chiesa » ciò che ad essa appartiene. *Il potere civile disponga pure degli effetti* » *civili*, che derivano dalle nozze, ma lasci alla chiesa il regolare la validità » fra i cristiani. La legge civile prenda le mosse dalla validità od in-

Haec optima nobis videtur via, qua nonnulla documenta antiquitatis explanari possint. Siquidem ex una parte certum est seculares principes nihil posse in iis, quae spectant ad coniugium, quatenus sacramentum est; ex altera vero constat pariter, civiles principes leges tulisse circa matrimonium, quibus civili sanctione nonnulla nuptialia foedera inter subditos impedirent. Poenas scilicet constituerunt adversus eos, qui quomodo nuptias inirent contra legem, quae lata erat ad commune societatis bonum; at in conscientia irritas reddere non potuerunt eas nuptias, quae ad praescriptum legis ecclesiasticae celebratae fuissent. Nempe possunt principes *per modum prohibentis vel punientis*, ut loquitur S. Thomas, leges ferre, non autem per modum *statuentis, quod fit solum auctoritate summi pontificis, et secundum hoc personae aliquae redduntur iliegitimae ad contrahendum, ita quod si etiam contrahant, matrimonium dirimit* (9).

Haec et non alia esse iura civilis potestatis satis ab ipso principio, quod supra retulimus, deducitur. Haec enim sufficiunt, ut principes *bono publico* provideant, in quantum matrimonium est in *officium communitatis*.

» validità del matrimonio, come sarà dalla chiesa determinata, e partendo » da questo fatto, *che è fuori della sua sfera il costituirlo*, disponga allora » degli effetti civili; » et paulo post testatur summus pontifex sibi ab oratore regio dictum fuisse, quod certiores fecisset ministros Taurinenses. « Che » il Papa non poteva nulla opporre, se conservati al sacramento tutti i » suoi sacri diritti, e la libertà che gli compete, *si fossero volute far* » *delle leggi riguardanti solo gli effetti civili del matrimonio.* » Ved. *Allocuzione della santità di nostro signore Pio Papa IX. al sagro collegio* dei 22. Genn. 1853. *corredata di documenti.* Romae 1853. pag. 181.

(9) *Quodlibeto V.* art. 15. ad I. Opp. ed. Rom. 1570. tom. VIII. p. II. Apposite Ant. Bianchi op. cit. *Della esterior politica della chiesa* lib. III. cap. VI. §. 1. n. 11. « Possono adunque i principi come capi della civil » potestà stabilire i gradi delle persone, dentro i quali sia legittimo questo » civil contratto.... le leggi fatte dai principi per regolamento, de ma- » trimonii niente appartengono alla politica della chiesa » tom. VI. pag. II. pag. 485.

ARTICULUS II. — Officia indicantur civilis societatis relate ad Ecclesiae leges de Matrimonio christiano.

Ius leges ferendi quoad civiles effectus matrimonii initi inter fideles ad principes pertinet etiamsi principes ipsi essent infideles. At christianus princeps, quemadmodum in aliis, sic etiam in huius iuris exercitio atque in universa legislatione matrimoniali propria quaedam habet munia et officia.

Ac primo quidem absurde christianis principibus ius quoddam sacerdotale proprie tribuitur in ipsum vinculum matrimonii christiani. Principes, quum ad christianam religionem accesserunt, quemadmodum in priori sectione diximus, nullum ius acquisierunt, ut Ecclesiae eam potestatem eriperent, qua sub paganis imperatoribus pacifice usa fuerat. Sacerdotalis tamen quodammodo muneris christiani principes participes esse possunt ac debent, quatenus Ecclesiae praesidio sunt, eiusque leges auctoritatemque tuentur.

Hoc sensu ad praesentem materiam applicari merito potest, quod Patres generatim asserunt, nimirum civilem auctoritatem christianorum principum quodammodo *sacerdotalem* dici posse (10). Sane S. Leo M. Deo gratias agit, quod tales in imperii fastigio collocaverit, « in quibus ad totius mundi salutem et regia » potestas et *sacerdotalis vigeret industria* (11), » et alibi episcopum Constantinopolitanum adhortatur, ut observet religiosissimi principis « Non solum regiam, sed et *sacerdotalem* » *ipsius mentem* (12). » Commendat in imperatore *sacerdotalem et apostolicum animum* (13). Extollit in altero *sacerdotalem sollicitudinem* (14), nec solam regiam potestatem, sed etiam

(10) Apud Zacharia *Sulla potestà regolatrice della disciplina* p. I. art. 4. §. 2. *(Raccolta di dissertazioni di storia ecclesiastica* tom. IV. diss. XXVIII. pag. 526.).

(11) Epist. CXV. ad Marcianum Augustum c. I. ed. Ballerin. coll. 120.

(12) Epist. CLV. ad Anatolium col. 1317.

(13) Epist. CLVI. ad Leonem August. c. VI. col. 1325.

(14) Epist. CXLVIII. ad Marcian. August. c. I. col. 1297.

*sacerdotalem doctrinam* (15). Quo pariter sensu concilium Chalcedonense acclamavit *sacerdoti imperatori*, nempe Marciano(16).

Quae quidem omnia complexus est magnus Aquinas in celebri opere quod inscripsit *De regimine principis*, ac mira, ut solet, logica deductione concludit : « Quia igitur vitae, qua » in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo coelestis, ad » regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam » procurare, secundum quod congruit ad coelestem beatitudi- » nem consequendam, ut scilicet ea praecipiat, quae ad coeles- » tem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum » quod fuerit possibile, interdicat. Quae autem sit ad veram » beatitudinem via, et quae sint impedimenta, eius ex lege di- » vina cognoscitur, *cuius doctrina pertinet ad sacerdotis offi-* » *cium*, secundum illud Malachiae II. 7. *Labia sacerdotis cus-* » *todient scientiam, et legem requirent ex ore eius*. Et ideo » Deut. XVII. 18. Dominus praecepit : *Postquam sederit rex* » *in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in* » *volumine, accipiet exemplar a sacerdote levitici ordinis, et* » *habebit secum, legatque illud omnibus diebus vitae suae, ut* » *discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et* » *ceremonias eius, quae in lege praecepta sunt*. Per legem » igitur divinam edoctus ad hoc principum studium debet » intendere qualiter multitudo sibi subdita bene vivat : quod » quidem studium in tria dividitur, ut primo quidem in sub- » iecta multitudine bonam vitam constituat, secundo ut consti- » tutam conservet, tertio ut conservatam ad meliora promo- » veat (17). »

Post haec inutile ac supervacaneum videri posset veterum

(15) Epist. CXVI. ad Pulcheriam August. c. I. col. 1207.

(16) *Acta conc.* Harduin. tom. II. col. 490.

(17) Lib. I. cap. XV. in quod opus, quod est opusculum XX. Cf. Io. Fr. Bernar. Maria de Rubeis *admonitionem praeviam*, praesertim cap. I. ubi ostendit primam huius operis partem maiorem esse Aquinatis Opp. ed. Venet. S. Thomae 1754. tom. XX, pag. 523. et pag. 542.

Patrum in eamdem sententiam conspirantium testimonia proferre. Me tamen cohibere nequeo a subiiciendis unius alteriusve sancti doctoris verbis, ut pateat quaenam officia christianis principibus erga Ecclesiam, in quam ingressi sunt, incumbant. S. Augustinus : « Quomodo ergo, scribit, reges Domino serviunt » in timore, nisi ea, quae contra iussa Domini fiunt, religiosa » severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia » homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit » vivendo fideliter, quia vero etiam rex est, servit leges iusta » praecipientes et contraria prohibentes convenienti vigore » sanciendo. In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum » sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non pos- » sunt facere nisi reges (18). » Hinc effert summis laudibus Theodosium, quod « Inter haec omnia ex ipso initio imperii sui » non quievit iustissimis et misericordissimis legibus adversus » impios laboranti Ecclesiae subvenire ; quam Valens haere- » ticus favens arianis vehementer afflixerat : cuius Ecclesiae se » membrum esse magis quam in terris regnare gaudebat (19).»

Eodem sensu Gelasius pontifex scribebat ad Anastasium Augustum : « Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus prin- » cipaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum » et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacer- » dotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino » reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clemen- » tissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, re- » rum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, » atque ab eis causas tuae salutis expetis, inque sumendis coe- » lestibus sacramentis, eisque (ut competit) disponendis, subdi » te debere cognoscis religionis ordine potius, quam praeesse. » Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere iudicio, non » illos ad tuam velle redigi voluntatem (20). »

(18) Epist. CLXXXV. ad Bonifac. c. V. n. 17. ed. Maur.

(19) *De civit. Dei* lib. V. cap. XXVI. n. 1.

(20) S. Gelasii epist. VIII. ad Anastas. imper. in ampliss. Collect. concil. Veneta tom. VIII. col. 31.

His adiicimus coronidis gratia verba synodi Pariensis, quibus ex SS. Isidoro et Fulgentio munera boni principis erga Ecclesiam imperatori Ludovico Pio ita exponit : « Principes saeculi non- » nunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, » ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. » Caeterum intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, » nisi ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae » sermonem, potestas (principis) hoc imperet per disciplinae » terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum pro- » ficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, et disciplinam » Ecclesiae agunt, rigore principum conterantur, ipsamque dis- » ciplinam, quam Ecclesiae utilitas exercere non praevalet, » cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut » venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. » Post haec concludit synodus : « Cognoscant principes saeculi, Deo » debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Chris- » to tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina » Ecclesiae per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis ra- » tionem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credi- » dit (21). »

Et haec vix nobis delibasse sufficiat circa sensum christianae antiquitatis de relationibus, quas principes erga Ecclesiam post ipsorum conversionem adepti sunt (22). Ex eo quippe deprehendimus, quod vel ipsa sana ratio dictat, principes per eorum conversionem ius nullum, nullam prorsus praeeminentiam super

(21) Conc. Parisiense VI. an. 829. lib. II. cap. II. Ita *Collect. maxima* Venet. tom. XIV. col. 578.

(22) Qui plura hac de re documenta cognoscere exoptat, poterit consulere celeberrimum opus doctoris Sorbonici Maucleri duobus volum. in-folio inscripti : *De monarchia seculari christiana*. Lutet. Paris. 1622. Praesertim vero tert. part. lib. II. cap. 3 seqq. et iterum lib. III. cap. 1 seqq. tom. II. Nec non Mamachi *Del diritto libero della chiesa* libri III. 1769. Roskovàny *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili*, quatuor volum. in-8. a sec. IV. ad haec usque nostra tempora. Phillips in op. *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*. Trad. de l'allemand par l'ab. Crouzet. Paris 1850. tom. deux. livr. I. ch. X. *L'église et la société humaine*.

Ecclesiam acquisivisse, sed filios tantummodo ac subditos evasisse Ecclesiae, atque in spiritualibus eidem omnino esse subiectos eo prorsus modo, quo caeteri quique fideles. Deprehendimus praeterea eosdem utpote a Deo, a quo omnis etiam temporalis potestas est, imperio et auctoritate donatos, non solum debere prospicere paci, tranquillitati ac terrenae subditorum prosperitati, verum etiam teneri ad eorumdem spirituale bonum, aeternamque felicitatem promovendam, non quidem per se, si optimum, quod de se praebere debent, exemplum excipias, sed curando potissimum Ecclesiae bonum, auxilium opportunum ei ferendo, eam tuendo ac protegendo, ut eius ministerium libere explere possit, eius hostes coërcendo, caeteraque praestando, quae eidem subsidio esse quaeunt ad finem supremum consequendum sibi divinitus demandatum.

Quae si prae oculis iugiter principes habuissent, noluissentque iura prorsus indebita sibi arrogare, tot dissidia passim exorta non fuissent, neque tot haberentur, quot ingemiscentes hac praesertim aetate mala sentimus ac deploramus.

Quod si optimi atque vere christiani principis munus est Ecclesiae patrocinari, eamque defendere adversus eius hostes atque rebelles filios, id potissimum dici debet de universa legislatione circa coniugium, ex quo rite vel inique contracto tot bona aut mala in societatem ipsam proveniunt.

Atque hoc est quod identidem Ecclesiam impulit ad opem principum virorum petendam, qua sarta tectaque fierent externa etiam vi, quae spiritualibus poenis ab ipsa Ecclesia circa coniugia fuerant sancita, sed quae ob perversitatem impiorum contemptui habentur. Quod quidem catholici principes non raro praestiterunt, atque sui prorsus muneris esse duxerunt. Optandum itaque foret ut christiani principes leges ab Ecclesia latas circa nuptialia foedera non solum semper amplecterentur, sed etiam sancirent, quae quidem sanctio, licet nullum intrinsecum robur addat ecclesiasticis legibus, tamen non parum conferret ut etiam ii, qui spirituales poenas non timent, in officio contineantur.

Optandum esset praeterea ut christiani principes civiles leges de coniugio ita conformarent, ut semper harmonice cum Ecclesiae legibus consentirent. Sic etiam consultum esset paci ac tranquillitati ipsius societatis. Quum enim in materiis, quae mixtae dicuntur, cuiusmodi ista est, de qua disserimus, ambae potestates ecclesiastica et civilis per modum unius amice conspirant, non modo animarum saluti, verum etiam tranquillitati ordinis ac temporaneae felicitati optime consulitur.

## CAPUT II.

### De civili potestate principum fidelium circa matrimonium christianum.

Articulus I. — Principes christiani nullatenus habent originariam atque exclusivam potestatem constituendi impedimenta Matrimonium christianum dirimentia.

Cum sermo sit de principibus, prout christiani sunt, atque christianis imperant, ut iis ius nativum supremum independens atque exclusivum adstrueretur constituendi impedimenta, quae nulla reddant ac irrita fidelium connubia, ostendi id deberet aut ex Scriptura aut ex traditione Patrum, aut ex canonibus conciliorum, qui se civilibus de matrimonio legibus attemperarent, aut ex ipsis connubialibus legibus, quae a christianis principibus datae perhibentur, prout nos ex istis fontibus ostendimus, ius originarium constituendi impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiae competere, seu convenire. Porro ex nullo e recensitis capitibus huiusmodi ius ostendi potest.

Non ex verbo Dei scripto, in quo de iure hoc altum est silentium, imo ut vidimus, aequivalenter excluditur, dum et Christus et Apostoli absque ulla a saeculari quavis potestate dependentia ius in matrimonium sibi tribuerunt atque exercuerunt.

Sed neque ex traditione. E tribus prioribus Ecclesiae seculis, non est quod documenta quaeramus, cum nulli essent tunc temporis christiani principes, quibus ius istud tribui posset. Reliquum igitur est, ut huius traditionis documenta a sec. IV. et

deinceps colligantur, unde conficiatur Patres, concilia et christianos principes agnovisse, ius constituendi impedimenta christianum matrimonium dirimentia ad civilem potestatem originarie, imo etiam exclusive per se pertinere, adeo ut potestas ipsa Ecclesiae hac in re a christianis principibus sit repetenda. Revera hoc est quod ex christiana antiquitate regiae potestatis defensores ac vindices colligere vellent, quorum ideo vulgare adagium est, *canones legibus, non canonibus adiectas fuisse leges*. At vero cum seculo Ecclesiae IV. primum principes ethnici Ecclesiam ingressi sunt, ea iamdiu erat in sua possessione originarii supremique iuris in matrimonium christianum, quod supra a nobis ostensum est (1). Sero igitur nimis christiani principes advenerunt, ut fidelium connubia moderarentur, atque supervacanea est inquisitio, an ex ecclesiastica traditione seculi IV. atque insequentium ius originarium atque exclusivum principum christianorum sit arcessendum in statuendis impedimentis. Etenim qui fieri potest ut traditio doceat, principes eo iure gaudere, quum ex antiquiori traditione constet, Ecclesiam eo iure ante ipsam principum conversionem potitam semper fuisse? Imo vero si qua occurrunt effata in Patribus atque in conciliis, quae favere principum iuri in christianum matrimonium videantur, ea ex traditionis et fidei analogia explicari commode debent, ita ut, quae dicuntur in legibus a principibus sancita, intelligantur, aut de robore exteriori civiles poenas canonibus ecclesiasticis adiecto, aut de legibus quidem civilibus ab Ecclesia approbatis atque adoptatis, ut sic possent vinculum coniugale afficere, quod ex se praestare non potuissent. Haec autem sunt, quae singillatim statuere atque in toto suo lumine collocare satagemus.

Itaque ex Patribus, qui a M. A. de Dominis atque ab eiusdem expilatoribus opponuntur, duo potissimum sunt, nempe S. Ambrosius et S. Augustinus.

« Ambrosius, scribit de Dominis, in Paternum satis commo- » tus, quod filio suo neptem ex sua filia dare vellet in uxorem,

(1) Sect. I. cap. I.

» cum omnia colligeret quae ad tale connubium dissuadendum » possent inservire, nullam legem ecclesiasticam habuit, quae » id prohiberet, sed partim ex Levitico et aequitate naturali, » partim ex imperiali lege Theodosii deducit a simili argumenta » ad illud matrimonium improbandum (2). »

Ast S. Ambrosius, si rite eius perpendantur verba, haud repetit a lege Theodosiana recens edita illius coniugii prohibitionem atque inhonestatem, cum illa non afficeret nisi connubia consobrinorum, sed a lege divina Levitici adoptata ab Ecclesia (3), atque a consuetudine ab immemorabili in Ecclesia servata, quae ex S. Basilio, ut vidimus, *vim legis* obtinebat ; quo factum est, ut S. Pater non potuerit sibi persuaderi, quod episcopus Paterni probaverit propositum connubium, cum id apud christianos fuerit inauditum. Sic enim scribit S. Ambrosius : « Istud inau- » ditum, ut quisquam neptem suam in uxorem accipiat et coniu- » gem dicat. » Ad dehortandum proinde Paternum ideo provocavit S. Doctor ad legem Theodosii, eo quod ab hoc imperatore pluribus honoribus Paternus fuerit auctus, ut saltem eius reverentia, qui legem nuper tulerat ad consobrinorum vetanda connubia, se abstineret a prosequendo coniugio non minus inhonesto. Haec sunt Ambrosii verba : « Sed si divina te praetereunt, saltem » imperatorum praecepta, a quibus *amplissimum accepisti hono-* » *rem*, haudquaquam te praeterire debuerunt. Nam Theodo- » sius imperator etiam patrueles fratres et consobrinos vetuit » inter se coniugii convenire nomine, et *severissimam poenam* » *statuit*, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, et

(2) *De republica ecclesiastica* lib. V. cap. XI. quod inscripsit : *Matrimonii vinculum et causas a propria potestate Ecclesiae non pendere*. Londini 1617. part. II.

(3) Leges iudiciales, quae in Levitico continentur, non obligabant nisi Hebraeos, cessavitque plane illarum obligatio, ut caeterae omnes istiusmodi ceremoniales ac iudiciales leges Mosaicae, sub evangelio ; proinde si vim quamdam adeptae sunt in ordine ad christianos, repeti id debet ab Ecclesiae acceptatione : spectata tamen primaeva harum legum origine a S. Ambrosio aliisque Patribus dicuntur *leges divinae*, quamvis per se non essent nisi ecclesiasticae. Cf. Gerdil. *Tratt. del matrim.* part. I. §. X.

» tamen illi invicem sibi aequales sunt; tantummodo quia pro-
» pinquitatis necessitudine, et fraternae societatis ligantur
» vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt (4). »

Ex his duo habemus: primo quod coniugium, de quo agebatur, iam fuerit in Ecclesia prohibitum, et ita ut fuerit hactenus *inauditum:* secundo, quod S. Ambrosius nullo modo ex lege Theodosiana illam prohibitionem repetierit. Adeoque iam ex hoc Patre nostra thesis firmatur.

Alter, nempe S. Augustinus, ita ad rem suam affertur a de Dominis: « Sic etiam Augustinus, ut eosdem gradus excludat;
» pluries amplificat congruentias aequitatis; nec lege ecclesias-
» tica quidquam cautum profert: nam secundum gradum trans-
» versalem inter patrueles et consobrinos prius licitum, iam
» legibus prohibitum affirmat: « *Experti*, inquit, *sumus in*
» *connubiis consobrinorum, etiam nostris temporibus, propter*
» *gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro*
» *per uxores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec*
» *divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana* (5).
» Audio adhuc Augustini tempore, profecto christianos matrimo-
» nia in secundo gradu transversali inivisse, et hoc tunc neque
» divina lege, neque humana fuisse prohibitum (6). »

Attamen neque S. Augustinus adversario favet, tum quia ipse loquitur in genere de hominibus etiam paganis, quibus horrori fuerunt connubia inter fratres et sorores, quae mundi primordiis necessitate impellente iungebantur, etiamsi a nulla positiva lege prohiberentur, prout etiam raro inter consobrinos celebrabantur coniugia: *raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat;* tum quia certum est longe ante Theodosium christianis coniugia consobrinorum vetita fuisse, ut constat ex allatis canonibus conc. Ancyrani, Neocesarensis atque Illiberitani (7)

(4) Epist. LX. n. 8. ed. Maur. col. 1019.
(5) Lib. XV. De civit. Dei cap. XVI.
(6) Ibid.
(7) Horum conciliorum testimonia, quibus vetabantur connubia consobrinorum, superius protulimus sect. I. cap. I. art. II.

et ex S. Basilio, ac propterea legem Theodosianam non adiecisse canonibus ecclesiasticis nisi sanctionem externam ac civilem ad coërcendos paganos et malos christianos, qui attentarent eiusmodi connubia, seu prospexisse canonum executioni poenis temporalibus. Quo tantum sensu intelligi debent verba illa: *quod leges licebat, et nondum prohibuerat lex humana*. Siquidem contra *factum* nihil valet; iam vero *facto* constat, leges ecclesiasticas iamdiu extitisse vetantes ac irritantes ista coniugia inter consobrinos attentata (8).

Itaque neque S. Augustinus regalistis favet; attamen hi duo solum Patres a de Dominis adducti sunt.

Nunc expendenda concilia. Si enim fidem adiungamus Spalatensi, ad aetatem usque Magni Gregorii nulla habetur sanctio canonica, qua prohibita fuerint coniugia ob gradus consanguinitatis et affinitatis. Quod ut efficiat, provocat ad concilia Ancyranum, Neocaesariense, Illiberitanum, quae celebrata sunt antequam leges ab imperatoribus hac de re ederentur. Deinde vero, ut adstruat canones legibus imperatorum se conformasse in statuendis impedimentis connubialibus, provocat ad canones conciliorum Agathensis, Epaonensis, Avernensis, Turonensis et Aurelianensis. Singillatim ideirco et haec excutiamus oportet.

« In Ancyrano concilio, inquit, legimus facinus cuiusdam,

(8) Hic sine animadversione dimittendus non est anonymus auctor cit. *Del diritto etc.*, qui ut certum assumit ex mente S. Augustini id omne licitum fuisse, quod non sit contra legem divinam et humanam, scilicet civilem. Porro prohibitum non erat lege divina aut imperiali coniugium episcopis, presbyteris et diaconis, attamen videmus iam a can. 28. apostolico statutum : « In nuptiis » autem, qui ad clerum provecti sunt, praecipimus, ut si voluerint uxores » accipiant, sed lectores, cantoresque tantum. » Item in conc. Carthag. III. an. 390. pariter ante legem quamcumque imperialem hic canon editus est: « Ut quod apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custo- » diamus ; ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet, ut episcopi, » presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contractant, pudicitiae custodes, etiam » ab uxoribus abstineant. »Numquidnam censendum est Augustinum habuisse ut licita maiorum clericorum coniugia, eo quod nec divina nec civili lege essent prohibita ? Augustinum, inquam, qui continentiae lege voluit obstrictos clericos etiam, qui quadam specie vis fuerunt ad clericatum promoti lib. II. *De adulterin. coniug.* cap. XX. n. 22.

» qui sponsae propriae sororem violaverat, ex quo etiam illa con-
» ceperat sibique postea necem intulerat. Ibi tamen nihil habemus
» de defectu matrimonii ex tali incestu. Solum ad poenitentiam
» illi rediguntur, qui talis facinoris fuerant conscii et adiu-
» tores (9). » Hoc quidem verissimum est, cum concilii scopus non fuerit inquirere in qualitatem delicti, sed poenis plectere illius facinoris conscios et cooperatores. Ast ex hoc silentio inferri nequit, non potuisse concilium constituere impedimentum nuptiarum. Sane can. X. concilium sanxit : « Desponsatas
» puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui et iis reddi, quibus
» antea fuerant desponsatae, etiamsi eis a raptoribus vim illatam
» constiterit (10). » Quem canonem nos supra descripsimus ad ostendendam decisionem latam ab hoc concilio in causa matrimoniali; vox *placuit* denotat auctoritatem propriam iurisdicentis in decretis suis.

« Neocaesariense concilium, prosequitur ipse, gravem poeni-
» tentiam indicit mulieri, quae duobus fratribus nupserit, et
» supponit hoc iam esse illicitum ; non tamen ipsum concilium
» hoc tum primum prohibet (11). » Iuxta de Dominis concilium supponit hoc iam esse illicitum; ergo factum ne fuit illicitum ob leges Caesarum, quae nondum existebant (12), nec nisi post aliquot saecula prodierunt? stultum foret id asserere. Igitur illicitum fuerat penes christianos duobus fratribus, aut sororibus nubere ob *antiquum morem*, ut loquitur S. Basilius, *ac vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae* (13). Ergo non a lege civili, sed a lege unice ecclesiastica vetitae fuerant eiusmodi nuptiae; quod plane evertit adversarii systema. Sed non opus est coniecturis, cum existat can. II.

(9) Ibid.

(10) Ex vers. Dionysii Exigui, apud Harduin *Acta concil.* tom. I. col. 275.

(11) Ibid.

(12) Quod nulla adhuc aetate illa promanaverit eiusmodi lex, quae talia coniugia vetaret, patet ex lege 4. 5. *Nos itaque* ff. *De grad.* omnesque iuris interpretes uno ore fatentur.

(13) CLX. ad Diodorum ed. Maur. tom. III.

eiusdem concilii : « Mulier, si duobus fratribus nupserit, abii-
» ciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter mise-
» ricordiam, si promiserit, quod facta incolumis huius coniunc-
» tionis *vincula dissolvat*, fructum poenitentiae consequatur (14).»
Si *vincula dissolvenda*, agitur ergo de impedimento dirimente, non autem prohibente tantum. Ergo ex hoc pariter concilio evanescit paradoxum Spalatensis apostatae, quod nulla extet sanctio canonica ad discernenda coniugia usque ad S. Gregorium M. Notum enim est, concilium Neocaesariense celebratum fuisse an. 314.

Pergit tamen Spalatensis, subditque : « Sic facit etiam con-
» cilium Eliberitanum (can 61.) adversus eum, qui post mor-
» tem uxoris sororem eiusdem uxoris sibi matrimonio copulat ;
» poenitentiam indicit tanquam in rem prohibitam et illicitam
» (15). » Ast, sciscitor, quibusnam *legibus secularibus* pro-hibitum ac illicitum fuit eiusmodi coniugium, cum *nullae* omnino saeculares leges id ante vetuerint, nec vetuerunt nisi post duo plus minus secula a celebratione huius concilii Eliberitani, quae contigit an. 305 ? En novum argumentum, quo destruitur Spalatensis systema eiusque sectatorum. Certum siquidem est ad istam usque aetatem et ad longum tempus postea per leges seculares ista coniugia inter affines permissa ac licita fuisse. Caeteris exemplis dimissis, constat Caecilium Metellum, uxore defuncta, illius sororem sponsam duxisse ; Crassum defuncti fratris duxisse uxorem, ut refert Plutarchus ; Pudentillaae tabulas nuptiales cum viri mortui fratre prodit Apuleius (16). Dixi etiam *longum post tempus* a celebratione huius concilii licitas eiusmodi nuptias habitas esse, ut patet ex lib. 3. tit 12. leg. 2. ubi dicitur : « Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis

(14) Ex vers. Dionysii Exigui. Apud Hard. loc. cit. col. 282.

(15) Ibid.

(16) Cf. Ferdinandum de Mendoza in *Comment.* in hunc can. LXI. concilii Illiberitani apud card. De Aguirre in cit. *Collect. maxima conciliorum omnium Hispaniae* tom. I. lib. II. pag. 665. quibus plura alia adfecit ipsemet card. De Aguirre in comment. novis ibid.

» fratris solutis, ducere fratris uxorem ; licitum etiam, post » mortem mulieris aut divortium, contrahere cum eiusdem » sorore coniugium ; abstineant huiusmodi nuptiis universi » (17). » Itaque merito iurisconsultus de Mendoza scripsit : « Primum, ut opinor, decretum litteris consignatum, quo con- » stitutum est, matrimonium affinitate impediri, hoc Hispa- » norum episcoporum videtur, *antiquo Romanorum iure abro- » gato*, quo licebat cum defunctae uxoris sorore matrimonium » contrahere (18). »

Videndum iam utrum felicius res cedat Spalatensi, dum con- nititur ostendere ex conciliis posterioribus, canones legibus se conformasse civilibus in constituendis impedimentis connubia- libus.

« Concilium Agathense, scribit, commemorat gradus prohi- » bitos, quorum nullus secundum excedit, et renovat prohibi- » tionem ; sed tamen fatetur, eos gradus iam esse prohibi- » tos : *quos omnes*, inquit, *et olim atque sub hac constitutione* » *incestos esse non dubitamus*. Concilium Epaonense totidem » verbis repetit canonem concilii Agathensis (19). » Fatetur quidem concilium, si placet, illos gradus prohibitos, ex more nempe maiorum, seu Patrum, qui iamdiu prohibuerant, non autem ex sola principum lege, tum quia ubi concilium cele- bratum est, non amplius vigebat imperatorum lex, sed lex Gothorum (20), prout etiam ubi celebratum est aliud concilium, scilicet Epaonense (21) ; tum quia non solum haec concilia statuerunt, ut in posterum irrita forent eiusmodi connubia, sed

(17) Cf. Golthofredium : *Codex Theodosianus cum perpetuis comment.* Lug- duni 1665. tom. I. pag. 296.

(18) Mendoza loc. cit. cui concinit Natalis Alex., qui ex hoc canone concilii Illiberitani infert, Ecclesiam auctoritatem exercuisse constituendi impedimen- ta matrimonii, ipso adhuc vigente persecutionis tempore. Cf. In Diss. XXI. saec. Eccles. III. art. III. *De concilii. Illiberit. canonibus et auctoritate.*

(19) Ibid.

(20) Sub Alarico enim, Gothorum rege, versabantur Patres Agathenses sub Symmacho papa an. 506.

(21) Sub Burgundionum ditione, an. 517. Ecclesiam regente Hormisda papa.

praeterea declararunt valida, quae hactenus inita fuerunt matrimonia in illis affinitatis gradibus (22). Quo ostenderunt, se agere ex propria auctoritate, alioquin non probassent uti valida illa coniugia, quae iuxta Spalatensem et Launoium irrita fuissent per leges imperatorum; tum denique quia declararunt Patres, se non ex principum saeculi auctoritate, sed propria auctoritate et nomine canones edidisse. Sic enim subscripsit Caesarius, episcopus Arelatensis, concilii Agathensis praeses : « Ego Caesarius in Christi nomine, episcopus Arelatensis, iuxta » id quod universis coëpiscopis meis, qui mecum subscripse» runt, placuit, *statuta Patrum*, (non igitur imperatorum aut » regum), secutus, his definitionibus subscripsi (23). » Sic vero Viventiolus, episcopus Lugdunensis et concilii Epaonensis praeses, haec adiecit: «Praesenti protestatione denuntio conventum episco» porum omnium sortis nostrae, circa Septembris mensis initium, » in Epaonensi paroecia mox futurum ; ubi clericos, prout ex» pedit, convenire compellimus, laicos permittimus interesse. » Ut quae a *solis pontificibus ordinanda sunt*, et populus pos» sit agnoscere (24). » Ergo frustra Spalatensis, Launoius caeterique eorum sectatores his innituntur ad proprium axioma firmandum, cum ex iis contrarium habeatur (25).

(22) In concilio enim Agathensi post recitata a de Dominis verba additur: « Quod ita in praesenti tempore prohibemus, *ut ea quae sunt hactenus instituta*, » *non dissolvantur*. » Et in conc. Epaonensi pariter legitur : « Quod ut a prae» senti tempore prohibemus, *ita ea quae sunt anterius instituta non solvimus*.» Quae quidem verba omisit Spalatensis.

(23) Apud Sirmondum : *Concilia antiqua Galliae* tom. I. pag. 173.

(24) In *Collect. amplissima concil.* Veneta tom. VIII. col. 556.

(25) Huc spectat causa, quae agitata est in concilio Lugdunensi I. paulo post Epaonense celebrato sub eodem S. Viventiolo, de quodam regis S. Sigismundi ministro nomine Stephano, qui duxerat defunctae uxoris sororem : quamvis enim rex ei suffragaretur, tamen nunquam adduci potuerunt Patres, ut ratum haberent istud coniugium, ac ministrum illum poenitentiae addixerunt. Cf. apud Sirmondum loc. cit. pag. 202 seqq.

Insuper Patres concilii Agathensis ad confirmandum impedimentum voti, quoad presbyteros et diaconos se unice referunt in can. IX. ad statuta Rom. pontificum Siricii et Innocentii I.

Id ipsum dicatur de concilis Avernensi, et Turonensi II. quae pro se profert de Dominis scribens : « Avernense vero gradus » eosdem, primum et secundum, quaquaversum matrimonia » nulla effici docet, atque ex Levitico, et ex naturali aequitate, » ab exemplo Apostoli, et statutis Patrum istas corroborat pro- » hibitiones. Turonica synodus altera pro his ipsis consangui- » nitatis et affinitatis, non ultra secundum gradum, impedimen- » tis confirmandis utitur primum Levitico, deinde resumit ca- » nones Aurelianensem, Epaonensem, et Avernensem (26). » Nam ipso apostata fatente, Levitici statuta quoad christianos vim habebant ex acceptatione Ecclesiae. Cum praeterea eadem concilia profiteantur se Apostoli et *Patrum statuta* consectari, quomodo ea proferre potuit ad probandum canones se conformare in statuendis impedimentis legibus principum secularium (27) ?

Quoniam vero Spalatensis in adductis verbis concilii etiam Aurelianensis mentionem iniecit, non abs re erit adnotare, quod Patres Turonenses de isto testentur : « In synodo Aurelia- » nensi, quam invictissimus rex Chlodovaeus *fieri supplicavit*, » concludantque : « Nos hoc, *quod Patres nostri statuerunt*, in » omnibus roboramus. » Porro si ad Chlodovaei preces inita est synodus Aurelianensis ; si Patres Turonici profitentur concilia antiquiora proferentes, se *roborare statuta Patrum*, consequens est illos non imperatoris aut regis, sed auctoritate propria et auctoritate ecclesiastica anteriori impedimenta matrimonium

(26) Ibid.

(27) Atque huc refertur praefatio concilii Turonensis, ex qua clarius apparet se propria auctoritate impedimenta constituisse : « Magna est in ipsa severitate » pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam ubi insana libertas generat » vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter Christo auspice, » in Turonica civitate concilio concordante, iuxta conniventiam gloriosissimi do- » mini Chariberti regis annuentis, coadunati pro pace et instructione Ecclesiae, » *opportunum credimus subnexa decreta conficere.* » Ergo iuxta hanc praefationem annuente Chariberto concilium celebratum est, sed propria auctoritate decreta confecit. Cf. apud Sirmondum loc. cit. p. 330.

dirimentia constituisse, imo et contra regum voluntatem (28)

Demum concludit Spalatensis : « Matisconense tandem secundum ad leges ipsas seculares in his prohibitionibus se » refert:—Incestam, inquit, copulationem, in qua nec coniux » nec nuptiae recte appellari leges sanxerunt, catholica omnino » detestatur atque abominatur Ecclesia.—Leges vero hasce intelligendas esse seculares planum est, quia passim nomine » legis statuta intelliguntur potestatis laicae. Nam ecclesiastica » non vocantur *leges*, sed *canones*, et ideo idem concilium nonum canonem sic incipit. — Licet reverendissimi canones, atque severissimae leges etc. - et can. XIV. reprehendit eos, » qui calcatis canonibus et legibus quaedam iniusta committunt » (29). » Esto quod *legum* nomine a concilio statuta principum secularium designentur; quid inde? Numquid eiusmodi leges constituerent fundamentum canonum, qui a concilio editi sunt? Absit. Contrarium immovero Patres profitentur. Sic enim ibidem legitur : « Metropolitani omnes dixerunt : Deo auxiliante, » communi deliberatione singula, quae necessaria sunt, *a nobis* » *definientur*. Hoc universae fraternitati vestrae suademus, ut » ea, *quae Spiritu Sancto dictante*, per ora omnium nostrum » terminata fuerint, per omnes Ecclesias innotescant, ut » unusquisque quid observare debeat, sine aliqua excusatione » condiscat (30). » Si spiritu Sancto dictante constituti sunt canones, non igitur legum secularium auctoritate propositi. Eiusmodi legum unice fit mentio ad ostendendam illorum coniugiorum improbitatem, sed propria auctoritate canones a concilio constituuntur. Quod magis patet ex eiusdem concilii can. XVI. quo irritantur coniugia viduarum subdiaconorum, exorcista-

(28) Etenim Severinus Binius in nota ad conc. Turonens. scribit : « Sanctis- » simi Patres huius concilii hunc canonem statuisse videntur ad corrigendum » ipsum regem Charibertum incestus crimine labefactatum. » In notis ad can. XI. conc. Turonens. II. in cit. *Collect. ampliss. concil.* tom. IX. col. 807.

(29) Ibid.

(30) In cit. *Collect. ampliss. concil.* tom. IX. col. 949.

rum et acolythorum post istorum obitum, nulla legum iniecta mentione (31).

Hunc eumdem canonem renovat concilium Antissiodorense, cuius etiam meminit Spalatensis. Hinc iure merito adnotat Natalis Alex. quod «Canon vigesimus tertius (concilii Antissiodor.) » viduas presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum post » eorum obitum nubere vetat ; quarum matrimonia irrita de- » claraverat synodus Matisconensis secunda can. 16. quo vix » ullum est illustrius argumentum, quo probetur Ecclesiam pro- » prio iure et auctoritate impedimenta dirimentia matrimonio » apposuisse (32). »

Cum vero haec tantum sint concilia, quae ad suam thesim probandam afferuntur a M. A. de Dominis, eaque nedum adstruant, eam potius evidenter labefactent, necesse haud est alia adiicere.

Superest ad absolvendum quod nobis proposuimus, ut nonnulla dicamus de legibus ab imperatoribus et regibus christianis latis, quae pro obiecto habuerunt impedimenta matrimonium dirimentia. Pseudo-politici ac regalistae eis innituntur, ut adstruant ius originarium principum in illis constituendis. Quapropter si nos ostenderimus, illos imperatores ac reges in eiusmodi condendis legibus sese gessisse uti canonum executores, custodes atque tutores ; et si auctoritate propria nonnullas leges condiderunt circa coniugia, ostenderimus illas vim in iis, quae ad vinculum spectant, in foro conscientiae non habuisse nisi ex Ecclesiae acceptatione, profecto ex adversa-

(31) En integrum canonem : « Illud quoque rectum nobis visum est dispo- » nere, ut quae uxor subdiaconi, vel exorcistae, vel acolythi fuerat, mortuo » illo, secundo se non andeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, » et in coenobiis puellarum Dei tradatur, et ibidem usque ad exitum vitae » suae permaneat. » Ibid. col. 956.

(32) *Hist. eccl.* saec. VI. cap. V. art. XXIX. Canon. conc. Antissiodorensis celebrati an. 578. de quo disserit Nat. Alexand. in conciliis Galliae Sirmondi est numero XXII. his verbis expressus : « Non licet relictae presbyteri, nec re- » lictae diaconi, nec subdiaconi post eius mortem maritum accipere. » Sermo autem est, ut patet ex canone praecedenti, de uxoribus, quas presbyteri, diaconi aut subdiaconi habebant ante ipsorum ordinationem.

riorum manibus arma haec non solum eripiemus, sed contra illos vertemus. Utrumque autem efficere iam aggredimur.

Etenim ad primum quod attinet, nobis suppetunt locupletissimae protestationes ac declarationes eorumdem imperatorum ac regum, qui eas leges condiderunt.

Sane Iustinianus, cui potissimum innituntur pseudopolitici, in Novella VI. aperit in prooemio mentem suam in sanciendis disciplinaribus legibus dicens : « Sancimus igitur *sacras per* » *omnia sequentes regulas* (33), » quibus verbis se exhibet uti propugnatorem vindicemque sacrarum legum seu canonum ecclesiasticorum. Et in Novella CXXXVII. « Si civiles leges, » inquit in praefatione, quarum potestatem nobis Deus pro » sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus cus- » todiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus » studii adhibere debemus *circa sacrorum canonum et divi-* » *narum legum custodiam*, quae super salute animarum nos- » trarum definitae sunt (34)? » Quibus patefacit sibi circa civiles leges tribuere potestatem, circa canones vero sacros et divinas leges *custodiam* unice adscribere. Deinde prosequitur idem imperator loquens in specie de sacris canonibus : « Qui » enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adiutorio digni » sunt ; qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio » reddunt obnoxios. » Agnovit igitur hic legislator verum reatum in transgressione canonum, adeoque illos veram inducere ex sese obligationem ; quod clarius adhuc patet ex insequentibus verbis : « Quod autem divini canones prohibent » clericos esse, qui secundam uxorem duxerunt, et inter sacros » Basilius docens sic ait : Bigamos canon ministerio excludit, » inquit, et ex iis progenitos (35). » Demum concludit cap. II. « Iis igitur, quae sacris canonibus *definita sunt*, insistentes,

(33) In *Iuris civilis corpore. Volumen legum parvum.* Lugduni 1612. Novella VI. cap. I. pag. 60.

(34) Ibid. pag. 608.

(35) Ibid. cap. I. pag. 609.

» praesentem sancimus legem (36) » nempe ad eos tutandos, ut executioni mandentur. Itaque constat ex Iustiniano, *non canones legibus, sed leges canonibus adiectas fuisse*, secus ac velint regalistae.

Id ipsum confirmat Leo VI. cognomento *Sapiens*, qui aliquot post secula Iustiniano successit, quique constit. II. « Quum » sacrosancti, inquit, divinique canones, et quicumque alii de » sacerdotio et episcoporum creatione statuere in optimum » numerisque omnibus plenum editi sunt modum, (et quidem » quomodo illi non exacte perfecteque editi sint, cum divina » inspiratio in auctoribus efficaciter operata sit?), mirari subit, » quomodo non veriti nonnulli sint sacras divinasque leges, » tanquam illae absolutae non essent, promulgatis aliis legibus » abrogare (37). » Adeo magni faciebat hic imperator canonum auctoritatem!

Nec minoris ponderis sunt, quae suppetunt ex regibus ac imperatoribus occidentalibus documenta, quod ipsi legibus suis canonum Ecclesiae custodes ac vindices se exhibuerint.

Etenim in capitularibus regum Francorum habentur constituta regis Chariberti data circa an. 554. in quibus sic rex mentem suam aperit. « Et quia necesse est, ut plebs, quae » sacerdotis praeceptum non ita, ut oportet, custodit, nostro » etiam corrigatur imperio (38). » En canonum custodem et vindicem.

S. Gregorius Turonensis refert obiurgationem a Chilperico rege factam Praetextato, Rhotomagensi episcopo, his verbis: « Quid tibi visum est, o episcope, ut inimicum meum Merove- » chum, qui filius esse debuerat, cum amita sua, id est cum » patrui sui uxore, coniungeres? An ignarus eras, quae pro

(36) Ibid.

(37) *Imperat. Leonis Augusti constitutiones novellae.* Ed. Henric. Stephani 1560. pag. 17.

(38) In nova collect. Baluziana *Capitularium regum francor.* tom. 1. pag. 1.

» hac causa *canonum statuta sanxissent?* (39). » Non ad leges, sed ad canones provocavit.

Idem erga canones obsequium ostendit Chlotarius II. in conc. Parisiensi an. 615. dicens : « Ideoque definitionis nostrae est, » ut canonum statuta in omnibus conserventur (40). »

In lege Longobardica lib. II. c. 8. legitur : « Quia canones sic » habent de duabus sororibus, sicut de duobus fratribus (41). » Deinde lex subnectitur.

In concilio Liptiniensi an. 783. sub nomine Karolomanni principis capitulare II. c. 3. ». haec habentur « Similiter prae- » cipimus, *ut iuxta decreta canonum* adulteria et incesta matri- » monia, quae non sunt legitima, prohibeantur et emendentur » *episcoporum iudicio* (42). » Ergo iuxta canones episcopi iudicium ferre debebant.

Cumque Carolus Magnus in suo primo capitulari munus suum patrocinatoris Ecclesiae aperuisset his verbis : « Karolus, » gratia Dei rex, regnique Francorum rector, et devotus sanc- » tae Ecclesiae defensor, atque in omnibus adiutor apostolicae » Sedis, » passim repetit : « *Statuimus* aut *decernimus*, ut *secun-* » *dum canones* (43). » Atque expresse relato decreto Gregorii II. ad S. Bonifacium, subdit : « Ista vero omnia, quae » *vires nostras excedunt*, in iudicio episcoporum *iuxta canoni-* » *cam sanctionem* definienda relinquimus (44) » quibus verbis

(39) *Historia francor.* lib. V. c. XIX. ed. Paris 1699. pag. 222.

(40) In Collect. Baluzii tom. I. pag. 21.

(41) Cf. in *Codice legum antiquarum.* Francofurti 1612. *Leges Longobardorum* lib. II. tit. VIII. *De prohibitis nuptiis* c. 3. pag. 593. Similia his leguntur Ibid. Ex. gr. cap. II. « Consobrinam, neptem, novercam, fratris » uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, » nullus audeat in coniugio copulare. Si quis huic tali nefario coniugio » se coniunxerit, et in eo permanserit, *sciat se episcopali auctoritate* » *anathematis vinculo esse innodatum.* »et cap. 12. « De his coniunctionibus, » *quae secundum canones Ecclesiae* et edictum copulatae esse non possunt, » placuit nobis, ut ab invicem separentur. » Ibid. pag. 595.

(42) In cit. *Collect. Baluziana*, tom. I. coll. 189 seqq.

(43) In cit. *Collect. Baluziana*, tom. I. col. 189.

(44) *Capitulare Aquisgranense, cap. III. De purgatione sacerdotum.* Ibid.

piissimus ac vere magnus imperator apprime limites definit inter utramque potestatem ecclesiasticam atque politicam.

Hoc ipsum ex iis apparet, quae leguntur in concilio Moguntino, de quo ita scribit Natalis Alex. « Cum in tres turmas seu » ordines concilium divisum esset, (ut constat ex praefatione » Patrum), et in prima turma episcopi, in secunda abbates, » in tertia *comites et iudices in mundanis decertantes* sederent, » cognitionem eorum, quae matrimonium spectant, non sus- » cepere laici illi magistratus, imperatoris auctoritate *vulgi ius-* » *titias perquirentes, omniumque advenientium causas diligen-* » *ter examinantes*, sed episcopi *sacra dogmata diligenti studio* » *perquirentes*, ut statum Ecclesiae Dei et christianae plebis » perficerent et conservarent (45). »

Et sane in capitulari concilii Aquisgranensis, cum ageretur de statutis connubialibus, in peculiari *De uxore a viro dimissa*, innititur statutum canoni 69. concilii Africani : « Item in eodem » ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro » suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore (46). » Et iterum : *De sponsa alterius* statutum innititur decretali papae Syricii : » In decretalibus Syricii papae ut alterius sponsam » nemo accipiat (47). » Et ita porro. Ex his itaque aliisque non paucis, quae afferri possent, (48) apertissime constat imperatores ac reges sive orientales sive occidentales constanter spectasse canones ac decreta Rom. pontificum ut leges vi sua obligatorias, nec suas adiecisse leges, nisi ut illarum executionem urgerent adversus contumaces. Hinc vel ipse de Marca scribere haud dubitavit : « Hanc sibi mentem fuisse docet quoque

col. 386. Deinde passim plura statuit, adiiciens *quia Gregorius* (pont. rom.) *consensit... Consenserunt Georgius* (forte *Gregorius*) *episcopus Romanus et Ioannes Sacellarius etc.* Cf. ibid. col. 183 seqq.

(45) *Hist. eccles.* sec. IX. et X. c. IV. art. V.

(46) In Capitulari Aquisgran. an. 1789. cap. XLII. in *Coll. Baluzii* loc. cit. col. 228.

(47) Cap. L. Ibid. col. 230.

(48) Qui plura cupit, adeat card. Gerdilium, cuius postissimum labore hic usi sumus in tract. cit. De matrimonio par I. §. X-XII. Cf. etiam Bianchi *Del l'esterior polizia della chiesa*, lib. III. cap. VI. § I seqq.

» Iustinianus, ut vetustatis et canonum se vindicem praestaret, » non novas regulas in Ecclesiam invehendo, sed veteres au- « gendo in melius (49). »

Quod si in aliquibus legibus ab illis principibus latis, quae pro obiecto habent res disciplinares, ac praecipue coniugiorum sanctiones et impedimenta, nullam ipsi iniecerunt canonum et Ecclesiae mentionem, sed videntur eas ex propria auctoritate statuere, aut Ecclesiae sanctionem supponere, dicendum est, aut vim non habuisse nisi postquam et quatenus ab Ecclesia fuerunt adoptatae. Quocirca ad omnes extendi debet quod Natalis Alex. de Iustiniano adnotavit. « Si quas vero novas leges » tulit de ecclesiastica disciplina Iustinianus, vim illae non habue- » runt ullam, nisi quia sunt ab Ecclesia receptae et appro- » batae (50). »

Ne autem videamur ex arbitrio id affirmasse, iuverit nonnulis exemplis id patefacere, ac 1. id efficitur ex ipsis iam adductis canonibus conciliorum Agathensis, et Epanoensis, quibus vidimus tum irrita facta fuisse in futurum coniugia inter affines, tum valida declarata fuisse, quae antea inita fuerant. Porro certum est iamdiu illa coniugia fuisse reprobata ab imperatore Theodosio seniore; quam legem alii contendunt fuisse abolitam ab illius successoribus Arcadio et Honorio, alii vero contendunt in suo robore viguisse usque ad Iustinianum (51). In utraque hypothesi patet concilia supremam illam exercuisse auctoritatem. Etenim si lex illa adhuc vigebat, utrumque conci-

(49) Lib. II. *De concordia* cap. XI. n. 2. - Et sane Iustinianus in *Rescripto* ad Dacianum id professus est dicens: « Semper nostrae serenitati cura fuit ser- » vandae vetustatis, maxime disciplinae, quam nunquam contempsimus, nisi » ut in melius augeremus, praesertim quoties de ecclesiasticis negotiis contingit » quaestio, *quae Patrum constat regulis definita*, imo adventu superni Numinis » inspirata. » Ex *Collect.* Aniani prope finem, et apud Baronium ad an. 541. n. 10., et seqq. usque ad n. 17. ubi fuse hac de re agit. Nec non apud ipsum de Marca loc. cit.

(50) *Hist. eccl.* sect. VI. cap. VII. art. 2. §. *Si quis.*

(51) Hac de re non minima viguit controversia inter Simondum et Gothofredum, de qua agit Launoius in suo tractatu *De regia in matrimonio potestate.* Opp ed. cit. pag. 727 et 728.

lium contrarium decrevit, dum valida declaravit coniugia iam inita quae per illam legem irrita erant, et ita legem civilem correxit; si vero non vigebat, utrumque concilium declaravit irrita in posterum coniugia, quae ex lege civili valida habebantur.

2. A lege imperiali concedebantur nuptiae in secundo affinitatis gradu, scilicet inter consobrinos (52); attamen a S. Gregorio M. aliisque Rom. pontificibus irritae factae sunt (53), adeoque leges civiles sunt emendatae.

3. Constitutum fuerat lege civili (Leg. *Unic. de raptu Virg.*) ut raptus foret impedimentum perpetuum, nullo quamtumvis spontaneo consensu ipsius raptae abolendum, ut coniugium iniri posset raptorem inter et raptam, uti testatur Van Espen, qui id *evidens* esse dicit, simulque hoc ipsum impedimentum in perpetuum dirimens inter raptorem et raptam constitutum confirmat legibus Francorum (54). Attamen Innocentius III. legem

(52) Leg. *Celebrandis* c. *De nuptiis.*

(53) Nam S. Gregorius in epist. ad. Augustinum permisit solum nuptias in tertio gradu Cf. Natal. Alexandrum in *Hist. eccles.* sec. IV. cap. IV. art. 3. ubi etiam adversus Rivetum, aliosque pseudo-criticos huius epistolae, quae est XXXI. libri XII. genuinitatem vindicat. Cf. etiam editores Maur. Opp. S. Gregorii M. tom. II. not. in epist. LXIV. libri XI. Itaque cum Augustinus interrogasset S. Pontificem. « Usque ad quotam generationem fideles debeant cum » propinquis sibi coniugio copulari? » Resp. S. Gregorius: « Quaedam terrena » lex in Romana republica permittit, ut sive fratris sive sororis, seu duorum » fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia misceantur... Sacra » lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut iam » *tertia* vel *quarta* generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam *secunda*, » quam diximus, *a se omnimodo debet abstinere.* » Lex, de qua hic loquitur S. Gregorius, exstat cod. lib. V. tit. 4. *De nuptiis*, quae est 19. et sic habet: « Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis huius salubritate » indulta est, ut revocata prisci iuris auctoritate restrictisque calumniarum » fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duo- » bus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre et sorore nati sunt: et » ex eo matrimonio editi, legitimi, et suis patribus successores habeantur. » *Corp. iuris civil.* ed. cit. pag. 1155. Cf. ibi notas iurisconsultorum, ubi plura scitu digna hac super re inveniuntur.

(54) *Ius eccles. univ.* par. II. tit. 13. cap. 10. §§. 3. 4.

hanc correxit, sanciens quod « Rapta puella legitime contrahet » cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in con- » sensum: et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere » (55). » Et en novam legis civilis emendationem.

4. Sancivit civilis lex, ne viduae transirent ad secundas nuptias intra annum a morte mariti, et praeterea eas, quae nuptias intra id temporis contraxissent, notavit infamia, aliisque poenis subiecit (Leg. I. et II. §. 1. ff. *De his qui notantur infamia.* Item leg. I. et II. codicis *De secundis nuptiis.*) Ast Urbanus III. et Innocentius III. in cap. 4. et 5. *De secund. nupt.* legem emendarunt statuentes quod « Cum Apostolus dicat, (ait Urba- » nus,) *mulier viro suo mortuo soluta est a lege viri sui, in domino* » *nubat, cui voluerit:* per licentiam et auctoritatem Apostoli eius » infamia aboletur », et Innocentius eadem Apostoli auctoritate adducta, ait, « Non debet *legalis infamiae* sustinere iacturam, » quae licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius » anni spatium) nubat, concessa sibi ab Apostolo utitur potes- » tate, cum in istis praesertim seculares leges non dedignentur » sacros canones imitari (56). »

5. Civiles leges nullas servorum nuptias, sed tantum contubernia agnoverunt (Leg. 3. c. *De incest. et inutilib. nupt.*) Ecclesia has nuptias probavit, ratasque habuit, adeo ut valeant matrimonia servorum, etiam invitis dominis contracta (cap. I. *De coniug. servor.*); valetque etiam matrimonium liberi hominis cum ancilla, modo ipse eius servitutem non ignoraverit (Can. 2. 4. et seq. c. 29. qu. 2. cap. 2. *De coniug. servor.* (57).

(55) Lib. V. Decret. tit. 18. cap. VII. *De raptoribus.*

(56) Apud cit. Van Espen loc. cit. tit. 15. *De divortiis et secundis nuptiis*, cap. VIII. *De sec. nupt.* §. 7. seqq.

(57) Cf. Devoti *Instit. canon.* tom. II. lib. 2. tit. 2. *De sacram.* sect. IX. *De imped. matrim.* §. 142. Cumque Van Espenius edixisset, Gratianum nisum falso decreto Iulii pontif. in *Causa* I. c. 19. qu. 2. primum adhibuisse dictinctionem inter *scienter et ignoranter cum personis servilis conditionis contrahentes*, eamque accepisse summos pontifices, cum ea de re decretales ediderunt, atque ita introductum fuisse hoc impedimentum *restrictivum ad casum*, *quo*

Possem eiusmodi exemplis, quatenus opus esset, alia plura adiicere, verum non est necesse, cum allata speciminis gratia rem nostram conficiant. Ex his enim habemus loculentissime quovis tempore in re, de qua agimus, ius civile per ius ecclesiasticum emendatum saepius fuisse, adeoque exinde constat, Ecclesiam pleno iure fruitam esse circa connubialia impedimenta; nec solum independentem eius potestatem hac in re fuisse, sed prorsus supremam, seu superiorem potestate civili hac in parte, atque idcirco ab illa mutuatam non esse potestatem, quae ipsi originaria est ac propria, quaque iugiter hac ratione usa est.

Quod quidem fatetur vel ipse Van Espen haud parum iuribus Ecclesiae infensus, qui postquam ostendit cum Gerbaesio, Ecclesiam a principibus non accepisse auctoritatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, concludit: « Illud tamen » fatetur (Gerbaesius) pluribusque exemplis demonstrat, penes

*circa conditionem servilem error intervenisse probatur;* eruditus annotator Devoti (qui creditur Card. Castiglioni postea Pius VIII.), ostendit deceptionem Van Espenii; siquidem longe anterior est Gratiano dispositio canonum circa eiusmodi restrictionem; nam conc. Vermeriense quod an. 782. habitum est, can. 15. iam constituerat: « Qui scit uxorem suam ancillam esse, » et accepit eam voluntarie, semper postea permaneat cum ea; » et conc. Compediense celebratum an. 757. can. 5. sic determinaverat: « Si francus » homo accepit mulierem, et sperat quod ingenua sit, et postea invenit, » quod non est ingenua, dimittat eam, si vult, et accipiat aliam; similiter si » foemina ingenua, et sciebat tunc quod servus erat, habeat interim quo vivit. » Una lex est viris et foeminis. » Apud Labb. tom. 8. *Conc.* col. 408. et col. 451. Eadem iurisprudentia reperitur in Capitularibus regum franc. lib. 5. c. 20. tom. I. col. 554. ed. Baluzii Ven. 1762.

Nos alias attulimus S. Callixti I. auctoritatem qui saec. Ecclesiae II. labente et III. ineunte dedit facultatem foeminis ingenuis contrahendi coniugium cum servis, secus ac leges civiles constituerint, idque ex accusatione aemuli eiusdem pontificis, auctoris operis nuper detecti cui titulus *Philosophumena.*

Cuiaccius aliique iurisconsulti fatentur, plures leges principum aut adoptatas, aut correctas, aut abrogatas a Rom. pontificibus atque conciliis. Cf. Moser op. cit. cap. XXIV. §. VII. Integrum de hoc argumento volumen edidit doctus iurisconsultus Philibertus Bugnyon cui tit. *Traité des loix abrogées.* Paris 1602.

» Ecclesiam esse auctoritatem leges civiles corrigendi, si quidpiam » contra ius divinum aut naturale in illas irrepserit; quemadmo- » dum circa leges permittentes divortium quoad vinculum ob » coniugis diuturniorem absentiam contigisse infra ostendemus. » Igitur filum traditionis insecuta synodus Tridentina recte » anathema dixit in eum, qui dixerit : *Ecclesiam non potuisse* » *constituere impedimenta dirimentia, vel in üs constituendis* » *errasse* (58).

Abunde igitur ostendimus, quod proposuimus, videlicet, haud posse seculares principes, iure proprio ac originario impedimenta, quae vim habeant dirimendi christianorum coniugia constituere; et si quas tulerint de impedimentis leges, eas aut intelligendas de effectibus civilibus; aut ad executionem canonum fuisse statutas; aut ab Ecclesia approbatas atque adoptatas fuisse, ut possent quoad vinculum vim habere.

Articulus II. — Principes christiani non modo carent exclusiva potestate constituendi impedimenta Matrimonium Christianum dirimentia, sed neque potestatem habent cum Ecclesia communem.

Haec doctrina adstruitur adversus sive antiquiores nonnullos theologos et canonistas, sive adversus recentiores, qui ex aequo utrique potestati ecclesiasticae atque politicae auctoritatem tri-

(58) Op. et loc. cit. part. II. tit. XII. cap. I. §. 19. 20. ed. Lovan. 1700.

Nec dimitti hic debet animadversio cl. Ozanam, qui in op. *La civilisation au cinquième siècle*. Paris 1855. tom. I. agens in sexta lectione *Du droit*, pag. 182. haec praeclare scribit, quae lucem affundunt legislationi civili Roman. et barbarorum. « Nous pouvons dire qu'en 430. la société romaine a deux législations ; nous y trouvons, et les barbares y trouveront aussi, deux droits en présence l'un de l'autre : d'un côté, le paganisme antique tempéré par la philosophie des iurisconsultes, qui, nous le verrons, se ressent elle-même de bonne heure de l'influence chrétienne : d'un autre côté, le christianisme, mais le christianisme timide des empereurs, qui n'embrassent que les réformes déjà ébauchées par la philosophie des iurisconsultes et qui mesurent avec prudence les coups qu'ils sont forcés de porter aux anciennes institutions païennes ; d'un côté, le droit païen déjà éclairé de la première aurore chrétienne ; de l'autre, les commencements d'un droit chrétien encore engagé dans les dernières ténèbres de cette nuit d'où sortait le monde. »

buerunt constituendi pari ratione impedimenta, quae nullum reddant christianorum coniugium. Ex antiquioribus eminuere Petrus Soto, Thomas Sanchez, Gerbaesius, Drouin, aliique eos secuti. Ex recentioribus praecipuum locum obtinent Tournelyus, Colletus, deinde vero Baston et Carrière, qui accurate recenset auctores illos, qui hactenus tribuerunt principibus potestatem constituendi impedimenta eiusmodi, omnibusque denique discussis concludit probabiliorem, immo vero et tutiorem theologorum illorum Gallorum sententiam esse in praxi, qua adstruitur pari iure potestas originaria supremaque tum Ecclesiae tum principibus circa impedimenta dirimentia; etsi fateatur argumentum, quod ex auctoritate depromitur, magis theologorum exterorum sententiae favere, qui contrariam tenent, quam Gallorum placito (59).

Quoad nos quaestio haec dirempta iam est ex iis, quae hactenus exposuimus, praesertim art. praecedenti, quo tum a priori tam a posteriori ostendimus, nulla ratione convenire posse principibus ius originarium statuendi impedimenta dirimentia coniugia fidelium. Hunc nihilominus articulum adiicere voluimus ad discutienda propius fundamenta, quibus theologi hac in re principibus faverunt, ut magis innotescat illorum infirmitas. Ut autem perspicuitati studeamus, illa hoc ordine distribuemus: expendemus 1. rationum momenta intrinseca; 2. momenta extrinseca; et 3. nonnulla singillatim in cl. Carrière doctrinam animadvertemus.

Profitemur autem nobis haud in animo esse attingere personas, quas debito prosequimur obsequio, cumque nominatim agere debeamus de sententia Carrière, in mentem iterum lectorum revocamus, quae de hoc praestantissimo viro attulimus, qui utpote pius et doctus veritus non est, quae antea scripserat minus conformia doctrinae Ecclesiae Romanae, reiicere ac retractare. Adeoque res est de sola doctrina, quam unice insectamur, ne quis in eam incurrens permoveatur argu-

(59) Tract. cit. tom. I. sect. I. puncto 2. n. 547. seqq.

mentis, quibus illa fulciri stiparique perspexerit. Qua admonitione ex iustitia et charitate praemissa, sic iam accedimus ad id, quod proposuimus.

Argumenta intrinseca ea sunt, quae ex ipsa rei, qua de agimus, natura efflorescunt; sunt autem haec potissimum. 1. Potestas regia ad tranquillitatem bonumque reipublicae est potissimum instituta; eius proinde est id, quod ad finem hunc obtinendum requiritur, providere, cuiusmodi est circa matrimonia ineunda leges ferre illa impediendo et irritando, quae publicae quieti et saluti noxia sunt. Inde enim maxime pendet tranquillitas et recta reipublicae gubernatio. Et sane si potest princeps secularis alios civiles contractus ob reipublicae bonum irritare, eccur non poterit etiam matrimonii contractum irritum reddere, cum id quandoque idem bonum commune postulet? Nec obstat principis secularis potestati matrimonium esse sacramentum; eius enim materia est contractus civilis, adeoque illud perinde potest ex iusta causa irritare, ac si sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic potest etiam, non obstante sacramento, reddere in actu primo, ut aiunt, illegitimum ac invalidum contractum. Si enim nudam sacramenti rationem attendamus, nec pontifex ipse circa illud disponere posset, illud dissolvens, eiusque potestas ex ratione contractus humani, qui est materia huius sacramenti, consurgit (60).

2. Nisi admittatur ius originarium principum in statuendis impedimentis, dicendum foret, matrimonia infidelium, ad quos non extenditur Ecclesiae iurisdictio, non aliis impedimentis dirimentibus subiici, quam quae ex iure naturali ac divino

(60) Ita Sanchez *De matr.* lib. VII. disp. 3. qui ibidem plures refert pro hac sententia auctores. Argumentum a Sanchez allatum urgent quotquot principibus ius, de quo agimus, originarium vindicant. Sane quotquot consului auctores inveni huic rationi innixos ad adstruendum ius principibus etiam super subditos christianos circa impedimenta. Sed praecipue evolvit hoc argumentum Gerbaesius in secunda parte sui tractatus alias cit. Deinde Tournely, Collet, aliique passim. Loquor porro de auctoribus vere catholicis, nam quod attinet ad Launoium aliosque eiusmodi, eos hic non moror.

promanant. Iam vero maximum incommodum eiusmodi esset. Siquidem ubique ac semper agnitum est moraliter necessarium esse, ut ipsummet vinculum matrimoniale subiiciatur impedimentis dirimentibus positivis (61).

3. Accedit praxis et usus ab immemorabili, penes politicam potestatem receptus, fundatusque in ipsa coniugii natura, constituendi eiusmodi impedimenta, quae nullum ac irritum reddant coniugium, quod contra leges initum fuerit, ut documentis omnigenis per secula singula ostendit Gerbaesius (62). Ad hunc auctorem utpote copiosum, et qui expresse de hoc pertractat argumento, consueverunt se recipere auctores posteriores ad idem evincendum, praecipue quoad illa documenta, quae petuntur ex legibus imperatorum christianorum, nec non regum ac principum, qui dissoluto imperio Romano leges circa coniugia pro suis subditis reddiderunt (63).

4. *Quod Deus coniunxit*, inquit Christus, *homo non separet*. Porro Deus per causas naturales et ordinarias humanos contractus perficit, hoc est, auctoritate legum, sicut naturales res per causas naturales. Non itaque Deus coniungit, quod contra iustas leges humanas coniungitur. Nunquam poterunt iuristae illi, qui potestatem tribuunt soli Ecclesiae statuendi impedimenta, probare auctoritate iuris divini aut canonici, nec etiam

(61) Ita D. Carrière op. et loc. cit., n. 553. qui cum evolvisset argumentum superius positum, adiecit ad validius robur hanc etiam, quam attulimus, rationem.

(62) Op. et loc. cit. §. *On prouve le pouvoir des princes, par l'usage qu'ils en ont fait;* provocatque ad ius Romanum, ad codicem Theodosian., ad Digestum, ubi inveniuntur tituli *De ritu nuptiarum; de iure dotium; de pactis dotalibus; de donatione inter virum et uxorem; de divortiis et repudiis: de soluto matrimonio: de actione rerum amotarum*, ad codicem Iustinian. tit. *De nuptiis: de incestis et inutilibus nuptiis: Si nuptiae ex rescripto petuntur: de repudiis;* atque ad plures eiusdem imperatoris *novellas:* tandem ad codices Ostrogothorum, Longobardorum regumque Francorum.

(63) Uti praeter allegatos fecerunt Icard. in *Dissert. de impedim. matrim. iure civilis inductis*, cap. IV. pag. 8. seqq. addita tractatui de matrimonio P. Billuart. Paris 1827-31. Item Carrière loc. cit.

ratione ulla efficaci, per hoc nempe, quod etiam eadem potestas vindicetur principibus secularibus, derogari auctoritati ecclesiasticae ; cum potius conducat Ecclesiae paci. Si enim ius ipsum divinum permittit prohiberi ab Ecclesia, quod ipsum non prohibet, quare Ecclesia non permittat seculari potestati prohibere circa matrimonium, quod ipsa non prohibet ? Fateamur igitur, civiles leges non posse licitum matrimonium facere, quod leges ecclesiasticae illicitum reddunt, sicut nec ecclesiasticae leges approbare, quod divinum ius reprobat. Hoc enim esset inferiorem superiori contradicere. Verum quod ecclesiasticae leges non prohibent, cur leges seculares prohibere non poterunt, sicut quod non prohibet ius divinum, prohibent ecclesiasticae ? Nec debent Ecclesiae praelati gravate ferre, si quod temporali paci viderint necessarium, seculares principes statuant : nec est cur illis se opponant, sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum sit : et addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet (64).

Hae sunt rationes praecipuae intrinsecae, seu ab ipsa rei natura petitae, quibus fulciuntur theologi ad ius supremum ac independens principibus vindicandum, eadem plane ratione qua convenit Ecclesiae ; et ad has, si quae sint aliae, revocari facile possunt.

Si quis eas accurate perpendat, statim intelliget eas speciosas potius esse quam solidas ; siquidem evincent quidem contractum connubialem, quatenus civilis est, et ad effectus civiles refertur, formalitatibus, quas vocant, aut conditionibus a lege praescriptis conformari debere, et subiacere principum potestati, quod nemo catholicorum unquam inficiatus est, aut inficiatur. Ast non evincunt potestatem ullam principes habere in ipsum contractum naturalem ac divinum, ita ut huius valor ab eorum legibus pendeat. In hunc contractum nimirum

(64) Ita fere Petrus Soto *De institut. sacerd. De matrimon.* Lect. IV. Venet. 1566.

naturalem ac divinum, nullum prorsus ius, potestatem nullam sive directam sive indirectam aut aliquando habuerunt aut habere unquam poterunt seculares principes (65), sed sola Ecclesia cui haec tantum potestas a Christo ipso fuit collata, Nam contractus naturalis atque divinus simul, cuiusmodi est coniugium a sua institutione, ut suo loco vidimus, a Deo solo sive immediate sive mediate, per auctoritatem nempe spiritualem regi debet quoad substantiam suam. Nulla civilis potestas efficere valet, ut sit nullum ac irritum, quod ius naturale-divinum pro valido habet, aut potest reddere validum quod iure naturali-divino invalidum est. Quod si Ecclesia id facere valet, ideo est, quia quae lege naturali ac divina non satis determinata sunt, ea Deus per Ecclesiam voluit determinari, eo ipso quod hic contractus iam sacramentum effectus ad res sacras pertinet.

Exinde concidit ratio adducta a Sanchezio et ab aliis adoptata; quia scilicet satis prospicere potest princeps bono ac tranquillitati reipublicae, si coniugium irritum faciat, quatenus *contractus civilis est*, ita ut effectibus civilibus careat, qui contra legis civilis dispositionem ineat coniugium, et in foro externo spectetur perinde ac si contractum non fuisset; immo potest princeps poenis eos plectere, qui sine iusta causa praetermissis a lege sanctionibus illud inirent, seu aliis verbis: potest quidem princeps politicus matrimonia *prohibere* non autem *irritare*. Nec valet paritas inter contractum coniugalem caeterosque contractus, quia, uti etiam ostendimus, matrimonium, dato quod sit contractus presse sumptus, contractus tamen est peculiaris ac generis sui, quemque Deus sibi ordinandum reservavit, et constat ex eius institutione, atque ex legibus, quibus illum communivit et in lege naturae, et in lege scripta, praesertim vero in lege evangelica per Christum eiusque Apostolos. Quod additur de contractu prout est materia sacramenti, ad rem

(65) Cf. Muzzarelli *Del buon uso della logica*. Opusc. XXIX. *Del contratto del matrimonio in quanto sagramento*. Firenze 1822. tom. VII.

non facit : laborat enim falsa hypothesi, quod contractus, quatenus civilis est,sit huius sacramenti materia. At huiusmodi ratio *civilis* tota est extrinseca contractui naturali divino, qui per consensum mutuum inter christianos iam est sacramentum.

Ex nostris principiis iam pariter corruit altera ratio adducta a D. Carrière, nisi tribuatur ius hoc principibus, nullum posse impedimentum apponi dirimens coniugiis infidelium ; nam nos id ultro tanquam verisimilius fatemur ; nimirum principes, quicumque demum sint, sive fideles sive infideles haud posse irritum reddere coniugium, quod iure naturae validum sit, nec opponatur iuri divino (66). Poterunt principes reddere nullum coniugium in externo foro civili, ut exposuimus,idque satis est ad bonum sociale,pacemque tuendam.

Corruit eadem facilitate quod Gerbaesius eruditione sua adnisus est ostendere. Siquidem non aliud evincunt adducta ab ipso documenta, quam posse principes civiles irritare quod contra civiles leges initum fuerit, prout est civile coniugium, seu privare effectibus civilibus eos, qui tale coniugium contra leges ineunt. Neque id dissimulant nonnulli ex eius fautoribus, qui candide fatentur non aliud evincere aliquot saltem documenta ab ipso allegata (67).

Nec magis efficax est ratio adducta a Petro Soto : haec enim unice probat, posse principes intra potestatis suae ambitum, scilicet civilis, prohibere coniugia, quae reipublicae bono adversari existimant. At eius potestatis ambitus civiles tantum

(66) Hanc sententiam nos infra pluribus argumentis adstruemus ac vindicabimus.

(67) Inter caeteros Collet, qui cum cap. VII. n. 64. provocasset ad leges a principibus christianis latas, quas recenset Gerbais, in nota scribit : « Fatendum tamen ex iis textibus nonnullos esse, qui videri possint non ad ipsam » matrimonii substantiam pertinere, sed ad effectus ex eo prodire consuetos.» Deinde provocat ad matrimonia filiorum familias sine parentum consensu inita; iam vero, cum formulae, quibus in iure sive Romano, sive Gallico eiusmodi nuptiae irritantur prae caeteris, explicitae sint, patet eadem ratione, qua auctores isti coguntur fateri, leges principum secularium non attingere substantiam seu vinculum,nos posse et debere leges omnes istiusmodi pari modo accipere et interpretari.

effectus, non autem vinculum ipsum complectitur. Deus enim proprie est, qui contractum naturalem divinum cum dependentia auctoritatis a se constitutae coniungit. Quocirca Ecclesia, utpote Dei ipsius interpres, ea est, quae decernit quaenam ad contractum hunc naturalem atque spiritualem legitime efficiendum concurrant; seu clarius etiam, quaenam censeri debeant personae habiles et idoneae ad contractum hunc spiritualem legitime incundum. Quae si adsint, Deus ipse coniungit; si desint, nihil efficitur. Atque hic rursum apparet disparitas inter potestatem civilem atque ecclesiasticam circa coniugium, quod haec ipsum nexum coniugalem vinculumque in conscientia afficiat, illa quae extra hoc vinculum versantur, solum attingat ad societatis bonum.

Sed ut iam expendamus rationes extrinsecas, huc illae revocantur : 1. Auctoritas Patrum et summorum pontificum, qui latas a principibus circa matrimonium leges commendarunt et approbarunt; imo quandoque et ab illis postularunt.

Etenim Africani Patres in concilio Milevitano hunc canonem edidere : « Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam » disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a ma- » rito, alteri coniungantur : sed ita maneant, aut sibimet recon- » cilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. » In qua causa, *legem imperialem petendam promulgari* (68) » Ergo in se eiusmodi auctoritatem minime Patres agnoverunt, sed ab imperatore eam expetendam profitentur, vel certe parem agnoscunt ecclesiasticam et civilem potestatem.

Sic concilium Lateranense I. : « Coniunctionem consangui- » neorum fieri prohibemus : quoniam eas et divinae, et *sae-* » *culi* prohibent *leges* (69). » Et en rursum quomodo conciliun ad principum leges se referat ad constituendam eiusmodi prohibitionem.

(68) Can. XVII. apud Hard. *Acta concil.* tom. I. col. 1220.

(69) Conc. Later. I. an. 1123. can. V. apud Hard. *Acta conc.* tomi VI. part. II. col. 1111. et 1112.

SS. Ambrosius et Augustinus pariter provocant ad imperatorum leges, quae prohibuerunt consobrinorum nuptias ; ille in epist. ad Paternum, iste in lib. De civit. Dei XV. cap. XVI.

S. Syricius in epist. ad Himerium eamdem potestatem in legibus imperatorum agnovit dicens : « Quod et publicae leges et » Ecclesiastica iura condemnant (70), » perinde ac S. Leo I. in epist. ad Rusticum Narbonensem, dum utroque iure *divino* et *humano*, scilicet Romano, impedimentum disparitatis conditionis constitutum affirmat ; Nicolaus item I. in resp. ad consulta Bulgarorum dicens : « Quandoquidem nec inter eos, » qui natura, et eos, qui adoptione filii sunt, *venerandae Roma-* » *nae leges* matrimonium contrahi permittunt (71) ; » et ita porro alia concilia passim Romanique pontifices sese gesserunt (72).

2. Auctoritas S. Thomae, qui agnoscit matrimonium aliqua ex parte subiacere legi civili, nempe quatenus civilis est contractus, inquit Tournely (73), sicut subiacet Ecclesiasticae, quatenus sacramentum est. « Matrimonium, inquit, lib. IV. Sent. » d. 34. q. 1. in resp.ad 4, in quantum est in officium naturae, » statuitur iure naturae ; in quantum est in officium communi- » tatis, statuitur *iure civili ;* in quantum est sacramentum, » statuitur iure divino. Et ideo ex qualibet harum legum potest » persona effici ad matrimonium illegitima ; » Et dist. 40, quaest. unica art. 4. in resp. ad 2. « Dicendum, quod matrimonium » non tantum est sacramentum, sed etiam est officium. Et ideo » magis subiacet ordinationi ministrorum Ecclesiae, quam bap- » tismus, qui est sacramentum tantum : quia sicuti contractus et » officia humana determinantur legibus humanis, ita contrac- » tus et officia spiritualia lege Ecclesiae. » Vides Angelicum

(70) Cap. VI. apud Coustant. col. 629.

(71) Cap. II. apud Hard. tom. V. col. 353.

(72) Apud Gerbais op. cit. part. II., chap. II., et ex ipso deinde Tournely, Collet, Carrière aliique posteriores allegant.

(73) Loc. cit. concl. I.

doctorem, prosequitur Tournely, subiicere legibus utriusque potestatis, ecclesiasticae scilicet et civilis contractum coniugalem ; ecclesiasticae quidem, quatenus sacramentum est ; temporali et civili, quatenus contractus est civilis. Utriusque auctoritatis concursum exigit non immerito S. Doctor, ut possit matrimonium infirmari ac dirimi, cum ad utramque pertineat, quamquam sub diverso respectu « Dicendum, in- » quit in eodem libro d. 42. q. 2. ar. 2. in resp. ad 4., quod » prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum » matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem » etiam interdicit. » Idem S. Doctor praeterea lib. IV. » Cont. gent. cap. 78. sic loquitur : « Considerandum est, » quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget ha- » bere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportiona- » tus agenti : generatio autem humana, ad multa ordinatur, » scilicet ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem alicuius » boni politici, puta populi in aliqua civitate : ordinatur etiam » ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium societate con- » sistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis » dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, » quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura » inclinante in hunc finem ; et sic dicitur esse naturae » officium ; in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, » *subiacet ordinationi legis civilis*, in quantum autem ordinatur » ad bonum Ecclesiae, oportet quod *subiaceat regimini eccle-* » *siastico.* »

Tales sunt auctoritates, saltem praecipuae, quibus propugnant ius civile ad dirimenda coniugia auctores, ut dixi, alioquin catholici et pii. Attamen praeter quam quod, uti ex ipsarum discussione aperte constabit, facilis solutionis sunt, magis probarent quam ipsi vellent. Ex iis enim probaretur, haud sufficere Ecclesiae auctoritatem ad constituendum impedimentum, nisi concurreret civilis auctoritas, et sic actum esset de originaria potestate, quam iure divino hi theologi Ecclesiae vindicant. Immo vero si quid valerent obiectae auc-

toritates, ostenderent soli potestati civili ius convenire constituendi impedimenta matrimonium dirimentia; et reipsa a De Dominis ac Launoio, tum ab eorum sectatoribus eaedem urgentur ad vindicandum in sensu exclusivo soli potestati politicae ius infirmandi coniugia (74). Saltem ex illis sequeretur esse in potestate principum nullum reddere sacramentum, quandocumque ipsis placuerit, per ius, quod exercere possent supra contractum civilem, quatenus est materia sacramenti (75). Nempe dum viam mediam sectari volunt, impelluntur quo ipsi nollent.

Nunc vero ut directe singulis faciamus satis propositis auctoritatibus: Concilium Milevitanum petendam censuit imperialem legem *ad executionem* illius, quod ipsum auctoritate propria, intima ac independente statuerat. Si enim dixit: *placuit*, evidens est ipsum constituere auctoritate propria, et originaria; nam qui utitur potestate aliena, nonnisi ridicule usurpare posset illud *placuit*. Praeterea hunc suum canonem sancivit concilium poena constituta illis verbis: *Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur*. Atque haec contra Launoium (76); quod ad rem praesentem facit, concilium non petiit ab imperatore legem, qua dirimeretur coniugium eiusmodi, ideoque inferri inde nequit communis tum Ec-

(74) Has enim easdem auctoritates protulit M. A. De Dominis lib. V. *De republ. Ecclesiast.* cap. XI. n. 1. seqq. Item Launoius *De regia etc.* part. I, art. 1. capp. 13. 14. etc. et alii, qui eos exscripserunt ad eamdem doctrinam tuendam.

(75) Et sane Tournely, Collet, Carrière post Gerbais contendunt, posse principem indirecte ac per accidens nullum reddere sacramentum, quatenus, ut loquitur Carrière n. 552: « Impedit solum, ne materia existat; porro » prius est existere materiam, quam attingi sacramentum: non magis » dicendus est attingere sacramentum, quam qui vinum aut aquam cor- » rumperet, attingeret baptismum aut eucharistiam. » Quae est similitudo adducta a De Dominis in finem suum.

(76) Cuius ampullae hunc super canonem evanescunt; siquidem integrum folium circa ipsum insumit, saepeque ad eum recurrit, velut ad Achillem suum.

clesiae tum principibus potestas statuendi impedimenta dirimentia.

Idem dic de concilio Lateranensi I. dummodo integra eius verba afferantur, quae haec sunt : « Coniunctionem consanguineorum fieri prohibemus : quoniam eas et divinae, et » seculi prohibent leges. Leges enim divinae hoc agentes, et » eos, qui ex eis prodeunt, non solum eiiciunt, sed *maledictos* « appellant ; leges vero seculi *infames* tales eos vocant et ab » *haereditate* repellunt. Nos itaque *Patres nostros sequentes* in- » famia eos notamus, et infames esse censemus. » Concilium igitur auctoritate sua, insistensque vestigiis *maiorum*, seu Ecclesiae, prohibuit rursum iam proscripta consanguineorum coniugia. Adiecit mentionem legum secularium ad maiorem eiusmodi connubiorum detestationem. Caeterum iuxta ipsum concilium leges istae seculi nihil continent de *irritatione* matrimonii, sed solum notam inurunt infamiae sic contrahentibus, eosque haereditate privant; quae poenae mere civiles sunt, et habent pro obiecto effectus civiles.

De mente SS. Ambrosii et Augustini satis diximus.

Eadem porro ratione, qua exposita sunt, quae afferebantur a conc. Lateranensi, exponi debent effata Rom. pontificum et conciliorum, si quae sunt : nimirum de lege externa quoad civiles effectus, seu de ambitu legum civilium, quae nunquam sese ad vinculum, seu substantiam coniugii extendere possunt, ut ostendimus.

Mirum est posse a catholicis viris provocari ad S. Thomam ad asserendam principibus potestatem, quam eis S. Doctor constanter et apertis verbis denegavit. Ac ne a longe eius testimonia petamus, satis sit illa ipsa exhibere verba, quae a Tournelyo ex lib. 4. Sent. d. 42. q. 2. ar. 2. in resp. ad 4. allata et a nobis quoque superius commemorata sunt : « Dicen- » dum quod *prohibitio legis humanae non sufficeret* ad impe- » dimentum matrimonii, *nisi interveniret Ecclesiae auctoritas*, » quae idem etiam prohibet » Notandum porro est, quod talem dederit responsionem ad id, quod sibi obiecerat ex adop-

tione, quae sola civili lege constituta est, ac propterea *legalis* nuncupatur, nec posset humana lex impedimentum inducere, quod quidem concedit iuxta id, quod in corpore articuli constituerat : « Et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata ; et « inde est, quod legalis cognatio matrimonium impediat. » Alium in sensum dicta eius detorquere, non solum est vim verbis inferre, sed praeterea manifestissimus abusus eius auctoritatis ; neque scientia id patitur.

Quapropter ad ea, quae tum ex commentariis ad lib. IV. Sent. tum ex lib. IV. Contr. gent. proferuntur de triplici fine naturali, civili ac spirituali, ad quos dirigitur matrimonium, facilis est responsio : quod scilicet iuxta S. Doctorem coniugium, prout dirigitur a natura, possit esse irritum, si contrarium eidem sit, ut in propinquis gradibus consanguinitatis ; prout dirigitur a lege civili, possit irritum fieri quoad effectus civiles, quia contra leges initum, nempe in ordine civili, seu politico ; prout dirigitur ad finem spiritualem, possit irritum effici ab Ecclesia in ordine ad sacramentum, ita ut hoc sub respectu matrimonium evectum ultra conditionem contractus pure civilis subiiciatur auctoritati propriae et originariae Ecclesiae in iis omnibus, quae spectant ad valorem, legitimitatem, honestatemque coniugalis vinculi. Sed de S. Thoma in capite insequenti recurret sermo.

Intrinsecis hactenus atque extrinsecis argumentis spectatis, quae favere videbantur adversariorum sententiae, nonnulla adiicimus nominatim, uti praemonuimus, in D. Carrière doctrinam, quae singularem animadversionem hoc loco meretur, alia dicturi eadem de re capite mox sequenti. Ex dictis satis constat supervacaneo labore adnisum esse, ut persuaderet, nullam in eo esse repugnantiam, quod duae potestates ex aequo in unam eamdemque rem, in unum idemque obiectum ius exerceant. Duae nimirum auctoritates supremae atque ab invicem independentes. Qua de re n. 562. ait : « Nullatenus repugnat idem » obiectum utrique auctoritati subiici. Illud asserunt adversarii, » sed *non probant*, nec *unquam probabunt* repugnare, ut idem

» obiectum directe influat in bonum utrique potestati sub-
» iectum (77). » Quinque deinde rationibus adductis ad hoc idem paradoxum persuadendum, quas hic non persequar ; n. 565. pergit : « Si tamen invicem dissentiant princeps et
» Ecclesia, non ideo impossibile erit rem componere. Etenim
» duo impedimenta non possunt esse proprie contradictoria,
» cum non sint, ut ita dicam, nisi duae negationes seu duae
» incapacitates. Igitur in eo tantum poterit adesse dissensio,
» quod vel princeps recusabit agnoscere impedimentum ab
» Ecclesia constitutum, vel viceversa... Nempe inter duo ma-
» trimonia una potestas illud iudicat validum, quod altera pro-
» nunciat irritum. » Post haec pergit auctor, fateturque non posse principem destruere impedimentum ab Ecclesia decretum, deinde vero pariter statuit non posse Ecclesiam reiicere, seu saltem non reiicere de facto impedimentum a potestate civili constitutum, nisi sit iniustum.

Verum pace tanti auctoris, haec omnia ne speciem quidem veritatis habere videntur, sed absona sunt prorsus ac paralogistica (78). Nam 1. absonum est duas potestates supremas ac independentes posse eodem iure aliquod obiectum possidere. Repugnat enim bonus sensus huic affirmationi ex. gr. quod duo pleno iure eamdem domum, idem vinetum, eumdem agrum possideant, quamvis titulo diverso. 2. Absonum est asserere non posse duo impedimenta esse proprie contradictoria, ut supponitur, circa idem obiectum ; eo quod sint duae negationes, seu duae incapacitates ; nec enim agitur de *concursu* duarum

(77) Ad quod declarandum utitur exemplis petitis ex festis, bonis ecclesiasticis etc. quasi nempe principes ius haberent in *festa*, atque in *bona ecclesiastica*, eodem modo quo habet Ecclesia, et quasi non esset haec doctrina ab Ecclesia saepe damnata, praesertim vero in *Constit.* AUCTOREM FIDEI prop. IV. V. LXXIII. in qua ultima propositione, licet directe sermo sit de episcopis, multo magis de seculari potestate id dicendum; nullum scilicet ipsi ius esse circa festa sive abolenda, sive transferenda.

(78) Cf. Roskovàny op. cit. §. 47. 48., ubi nonnulla notatu digna inveniuntur hac de re, quoad eos, qui nimium vellent potestati civili tribuere.

auctoritatum independentium in apponendis duobus impedimentis distinctis, sed agitur de duabus auctoritatibus quarum altera irritum facit, quod altera validum pronunciat. Sit exemplum in matrimonio filiorum familias absque parentum consensu : Ecclesia illud validum declarat sub anathematis interminatione ; lex civilis irritum pronunciat ac nullius roboris ; quomodo hoc in casu vitari poterit contradictio ? Idem dic de caeteris. 3. Absonum est asserere haud posse Ecclesiam reiicere tanquam nullum illud impedimentum, quod apposuerit potestas civilis, nisi sit iniustum, quandoquidem praeter iniustitiam insitam in institutione alicuius impedimenti, plures potest Ecclesia causas habere, quare illud respuat, quemadmodum, ut vidimus. plura reiecit ex iis, quae humana seu civili lege constituta erant; nec ullam vim reipsa habuerunt post hanc reiectionem, etsi per se non iniusta essent, ex. gr. coniugium consobrinorum.

Post quae longam satis prolixamque adiecit idem auctor disceptationem circa fundamenta theologorum externorum et Gallorum ad iura principum abiicienda vel asserenda, ac fatetur, quod si res ex auctoritate foret dirimenda, vincerent theologi externi; secus vero si intima rationum momenta expendantur, quibus Galli innituntur ; quasi scilicet auctoritas non firmis niteretur rationibus, praesertim cum hae desumtae sint magna ex parte a Rom. pontificibus, Benedicto XIV. (79). et Pio VI.

(79) Sane Benedictus XIV. tum in litteris ad card. Eboracensem die 9 Febr. 1749. tum in opere *De synodo*, praesertim lib. VIII. cap. 12. n. 6., lib. IX. cap. II. n. 5. et ibid. cap. 9. n. 3. et alibi hanc doctrinam inculcat. Nos contenti erimus verba eius adducere ex cit. ep. ad ep. ducem Eboracensem; quum enim §. 7. meminisset legis imperatoris Theodosii, subdit : « Verum duae hic occurrunt difficultates, prima, *quod haec lex* » *utpote a laico principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet.* » Disserit autem de impedimentis matrimonii. Bullar. Ben. XIV. tom. III. p. 8. De Pio VI. non est, quod dubitemus, de quo palmare exstat documentum in Brevi dato ad episcopum Motulensem, quod inferius afferemus. Verum inutile est alia documenta proferre, cum D. Carrière ea minime ignoravit. Videri potest sensus et sententia Ecclesiae Rom. in *Thesauro*

quae sunt satis explicitae. Fidenter nimis pronunciat, felicius sese expedire Gallos ab auctoritatibus, quam externi a rationibus Gallorum; cuiusmodi vero sint graves adeo rationes, quibus fulciunt sententiam suam Galli, modo expendimus; attamen hac de causa ipse profitetur, se adhaerere tanquam probabiliori sententiae Gallorum.

Verum hic non stetit auctor noster, sed vocat sententiam Gallorum in praxi *tutiorem*, idque evincere conatur hoc argumento, quod profitetur se amplecti cum Baston (80). Est autem eiusmodi : « Tutior enim dici debet ea opinio, quae, posito » quod falsa esset, minus haberet periculi et incommodi. Atqui » talis est Gallorum opinio, quacumque ex parte spectetur, sive » quoad principes, sive quoad Ecclesiam, sive quoad sacerdotem, sive quoad contrahentes ipsos : quod sic breviter » ostendit (Baston), comparando sub quadruplici respectu » utriusque partis incommoda. 1. Quoad principes; posito quod « nostra sententia falsa sit, et in praxi teneatur, principibus » ius datur, ipsis quidem indebitum, sed quod posset Ecclesia, » ex omnium confesso, illis donare : si contra falsa sit adversariorum sententia et teneatur in praxi, principibus eripitur » ius nativum, ius essentiale, ius ipsis a Deo concessum ad » tuitionem societatis. 2. Quoad Ecclesiam : in nostra sententia, » si falsa sit, iure fruuntur principes solius Ecclesiae proprio, » ita tamen, ut exinde non tollatur aut impediatur exercitium » auctoritatis ecclesiasticae; in alia hypothesi, principibus tota» liter interdicitur iuris exercitium, ipsis et Ecclesiae com» munis. 3. Quoad societatem, nostram sequendo sententiam, » cives a matrimoniis abstinebunt, quae valida fuissent, sed » aliunde illicita et effectibus civilibus orbata : aliam vero » sequendo, cives matrimonia contraherent invalida, quae » valere reputabantur. 4. Demum quoad nubentes ipsos, in

*resolutionum sacr. congr. concilii*, tom. CI. in dubio de matrimonio proposito mense apr. 1841. pag. 128 seqq.

(80) Theol. Rhotomag. pag. 573. et *Concordance etc.* pag. 372 seq.

» priori hypothesi, matrimonium iis negatur, qui vere iun-
» gerentur, sed infeliciter, utpote qui civilia matrimonii bona
» consequi non possent : in posteriori nubentibus permittitur
» matrimonium invalidum, illicitum ac infelix. Iam vero sub
» quadruplici hoc aspectu, facile perspicitur maiora esse peri-
» cula et incommoda, quae sequuntur ex extraneorum sen-
» tentia, si falsa sit et in praxi teneatur, quam quae ex sententia
» Gallorum. Hucusque Baston. »

Ast quomodo potuit D. Carrière, vir ceteroquin doctus et diligens his nugis illudi ? Quare non advertit haec omnia potuisse intorqueri in catholicos sectantes doctrinam S. Stephani ab iis, qui cum S. Cypriano contendebant rebaptizandos esse tinctos ab haereticis ? Cur non advertit totam hanc argumentorum congeriem falso laborare supposito seu potius inniti veritati sententiae suae, quod principibus convenire possit ius in vinculum coniugale etiam *fidelium?* At vero quidquid congeratur pro hac sententia, illam nunquam theoretice probabilem efficient theologi Galli universi, qui pro ea pugnant. Siquidem habet haec sententia contra se satis aperte auctoritatem concilii oecumenici, scilicet Tridentini, uti ex hactenus dictis constat; habet contra se auctoritatem summorum pontificum, Benedicti XIV. praecipue ac Pii VI. Quod nec dissimulat ipse Carrière (81). Habet

(81) Loc. cit. n. 597. postquam undique se verterat ad extenuandum hoc argumentum ex auctoritate petitum. Quum vero Pius VI. in Brevi ad episcopum Motulensem magis prae caeteris rem declaraverit gravissimis istis verbis, quibus illum episcopum alloquitur, quod « Tanquam regius delegatus ausus es sol-
» vere sacramenti vinculum, et id gloriae duxisti tuae, ut in causis nullitatis
» matrimonii tribueres laicis potestatibus auctoritatem *leges dicendi de nup-*
» *tiis*, auctoritatem, inquam, quam seculi ipsae potestates sibi arrogarunt
» nunquam : *hoc enim ius, quo late patet, in sola Ecclesia residet universum ;*»
ut aliquo modo ab hac auctoritate se expediat, n. 582. profert eiusdem pontificis epist. ad card. archiep. Mechliniensem, datam 10. Decemb. ( seu verius 30. Dec. ) 1784. italico idiomate exaratam, in qua, iuxta Carrière, Pius VI. profitetur se nolle controversiam praesentem dirimere; sic vero effert verba pontificis latino sermone : « Nos *non damnamus absolute* eos doctores catholi-
» cos, qui asseruerunt principem posse adiungere impedimenta ad redden-
» dam inefficacem, et tollendam materiam aptam sacramento, quamvis alii

contra se praxim in universa Ecclesia receptam de convalidandis in articulo mortis eorum coniugiis, qui hactenus in concubinatu versati erant, quique irretiti sunt impedimento dirimente civili. Quae convalidatio in Gallorum istorum hypothesi locum habere non posset; adeoque infelices illi homines non possent propriae conscientiae prospiscere, ac legitimitate liberorum suorum, saltem in facie Ecclesiae frui; ut alia praeteream silentio, quae adiicere facile possem. Omitto etiam imprudentiam committendi inter se theologos Gallos atque extraneos, perinde ac si veritas patrimonium non esset commune Gallorum et extraneorum.

Caeterum post haec adeo firmiter constituta adversus hanc sententiam, ex abundanti adiicimus; constituto a nobis principio, quod paulo infra, ut diximus, ex professo propugnabimus, scilicet principes nullo unquam potitos esse aut potiri posse iure in vinculum connubiale, etiam prout contractus est naturalis, plane inutilis ac otiosa evadit haec disceptatio, an

» magis merito illud negent. » Italice vero, prout Romae mihi exhibita sunt ex autographo, ita se habent: « Noi non condanniano assolutamente quei dot- » tori catholici ch'hanno asserito, che il sovrano possa aggiungere impedi- » menti per rendere inefficace, e toglier la materia atta al sagramento, quan- » tunque altri più giustamente lo neghino. » Ast perperam si animadvertatur 1. Rom. pontificem nil hic, directe saltem dicere de controversia in se, sed solum nolle condemnare *personas*, seu doctores qui sententiam illam tenuerunt, quam tamen satis aperte ipse improbat; 2. spectasse quaestionem *theoretice* prout ab illis doctoribus agitabatur; contra vero in Brevi ad episc. Motulensem summus pontifex reiicit ac damnat *doctrinam* ipsam, et quidem prout ab episcopo Motulensi in praxim deducebatur, seu *in concreto*. Ut omittam epistolam datam ad arch. Mechliniensem scriptam fuisse an. 1784. Breve autem ad episc. Motulensem publicatum an. 1787. postquam synodus Pistoriensis, aliique factiosi homines illa sententia abusi fuerant; insuper epistola illa ad episcopum privatum missa fuerat; Breve autem publice promulgavit.

Cf. hac de re praeclaram dissertationem, quae, postquam haec exarassem, incidit in manus meas, Lovanii editam an. 1853. ab Ant. Heuser ad gradum doctoratus SS. canonum, ut moris est in celebri illa catholica universitate elucubrata est, pag. 17. seqq. quamque non semel laudabo, est autem: *De potestate statuendi impedimenta dirimentia pro fidelium matrim. soli ecclesiae propria.*

ulla in eo sit repugnantia, ut admittatur tum Ecclesiam, tum principatum circa impedimenta coniugia christianorum dirimentia aequali iure gaudere.

ARTICULUS III. — Principes christiani nullatenus relaxare fideles subditos possunt ab impedimentis christianum Matrimonium dirimentibus.

Iamdiu obsoleta videri poterat doctrina, quam regalistae ac Ianseniauae factionis homines propugnaverant, de principum auctoritate relaxandi impedimenta, quae coniugium christianum dirimant. Sed ea in scenam his annis denuo prodivit Nepomucenus Nuytz, professor Taurinensis, ad eamdem doctrinam ex suis cineribus exsuscitandam. Is enim, ut in pluribus aliis doctrinae capitibus praestiterat, sic et in isto, de quo agimus, non dubitavit ex apostata Spalatensi, Launoio, Febronio, Eybel, Litta, Nestio, aliisque eiusmodi argumenta depromere, ut evinceret penes principes potestatem esse relaxandi impedimenta matrimonii. Hinc statuit: « Dirimentia impedimenta a sola ci-» vili potestate tollenda esse; » quum vero doctrina haec fuerit in Brevi Pii IX. proscripta (82), quin auctor huic damnationi humiliter, ut decet virum catholicum, se subiecerit, potius audacter doctrinam suam protueri et confirmare edito libello adnisus est (83).

Ut ea qua par est diligentia quaestionem hanc pertractemus, et confusionem declinemus, iuverit nonnulla praemittere, quae conferant ad eius dilucidationem.

(82) In cit. op. *In ius ecclesiast. universum Tractationes.* Taurini 1848. part. V. sec.. IV. tit. XVI. art. 1. pag. 290. Coll. cum Brevi pariter cit. *Damnatio et prohibitio etc.*

Atque hic obiter adnoto, professorem Nuytz veritum non esse affirmare, quod Romae examinatum non fuerit opus a se vulgatum, sed fides habita *extractis seu excerptis* illuc missis. Ast in manibus meis est exemplar ipsum cum signis et postillis, ex quo propositiones damnatae excertae fuerunt.

(83) Sic enim scribit opusc. cit. *Il professor Nuytz ai suoi concittadini.* Torino 1851. cap. V. p. 161. « Proposizione condannata. *Spetta al governo civile,* » *come di stabilire impedimenti dirimenti, così di toglierli con dispensa.* Ac-» cetto e sostengo questa proposizione.»

Itaque 1. uti certum assuminus, quod antea a nobis constitutum ac probatum est, solam Ecclesiam potuisse ac posse impedimenta, quae nullum ac irritum coniugium christianum quoad vinculum reddant, statuere, ac reipsa eiusmodi impedimenta solam Ecclesiam constituisse. Hoc enim, ut videbimus, est fundamentum, ex quo pendet quaestionis solutio.

2. Admittimus, posse civiles principes impedimenta civilia constituere, quae nullum reddant coniugium in foro civili tantummodo seu externo, et quoad civiles effectus. Nulla hac in re disceptatio esse potest; atque non semel a nobis declaratum est.

3. Fieri potest, nec raro contingit, ut coniugia utroque impedimento, ecclesiastico nempe et civili afficiantur. Hac in hypothesi, si detur relaxatio ab Ecclesia, ratum legitimumque erit matrimonium, quod ea venia contrahitur; ast nisi obtineatur etiam dispensatio ab auctoritate civili, illegitimum ac nullum in foro civili habebitur, et qui ita connubium inirent, civilibus effectibus privarentur. Neque in hoc ulla movetur difficultas. Haec animadversio nobis inserviet ad documenta quaedam intelligenda, quae ab adversariis opponi consueverunt.

Quibus praemissis, inversis plane adversariorum principiis, facile nobis accidet evincere, istiusmodi relaxationum potestatem, quibus dirimens quoad vinculum impedimentum solvatur, ad civiles principes nullatenus pertinere. Adversarii enim pugnant ex facultate constituendi impedimenta; pugnant legibus; pugnant denique exemplis. Nos vero eadem in adversarios invertemus atque intorquebimus.

Et quidem quoad primum caput, sic sibi viam aperiunt, ut id evincant, quod intendunt: Si principum regumque, non autem Ecclesiae ac pontificum proprium est dirimentes matrimonium leges constituere; si eas, quibus nunc utimur, dirimentes matrimonium leges revera tulerunt principes atque imperatores; plane consequitur, ius easdem leges solvendi, ac data venia, relaxandi, non ad Ecclesiam pontificesque, sed ad principes regesque unice pertinere. Cuius enim est legem condere

illius est solvere (84). Aut brevius etiam. Dispensatio ad eum pertinet, cuius auctoritati innititur lex, quae impedimentum induxit. Nemo tollere legem potest nisi ille, qui eam tulit (85): Sic alii passim ratiocinantur, qui dispensationum ius principibus vindicant (86). Qui ad unum omnes uti certum exploratumque habent, principes leges tulisse matrimonium dirimentes apud christianos.

Praeclare omnino, si res ita se haberet, ut ipsi assumunt; ast malo ipsorum fato fundamentum istud non solum labile est, sed neque subsistit, prout ostendimus tum iure tum facto. Iure quidem, irrefragabili Tridentinorum canonum auctoritate, a qua irrito conatu se subducere nituntur adversarii, qui catholicos tamen se profitentur, adeo ut omnino violenta sit quaevis ab ipsis, Launoio duce, excogitata evasio. Facto autem, in medium allatis antiquissimorum canonum, Romanorumque pontificum statutis, quibus dirimentia impedimenta inducta sunt (87).

Hoc igitur fundamento everso, ita iam in rem nostram convertimus adversariorum argumentum. Illius unice est legem solvere, qui eam condidit; porro Ecclesia sola, Romanique pontifices potuerunt leges matrimonium dirimentes condere, ac reipsa condidere; ergo solius Ecclesiae Romanorumque pontificum est has ipsas leges relaxare, seu tollere, quae obstant, impedimenta, ut legitime coniugium iniri inter christianos possit.

Sed iam accedamus ad alterum argumentorum caput expendendum, quod a legibus arcessitur, quibus principes veniam

(84) Ita quidem Nestius Pistoriensis in libro suo singulari *De dirimentibus matrimonium impedimentis*. Neapoli 1786. *Aeternis Sarpii manibus, quod de dirimentibus matrimonium impedimentis opus tanto duce et auspice elaboravit, Honoris, gratique animi causa* D. D. D. Cap. XII. pag. 160 seq.

(85) Ita Nuytz op. et locus cit.

(86) Inter caeteros anonymus auctor op. *Del diritto di stabilire gl' impedimenti dirimenti il matrimonio è di concederne le dispense*. Cremona 1784.

(87) Cf. Superius dicta in priori sectione.

hanc dare contrahendi illegitimum coniugium consueverunt. Sic porro pergunt adversarii : Rationi facta respondent. Vetustissima namque historiarum monumenta versantibus facile occurrit, fuisse in more positum institutoque maiorum , ut a principibus atque imperatoribus iniustorum coniugiorum venia tribueretur (88).

Id vero probant contexendo harum legum catalogum. Herodotus in Erato narrat , apud Lacedaemones ius fuisse, ut principes de virgine eiusque sponso suis rescriptis statuerent. Vetus Romanorum respublica dirimentia matrimonium impedimenta remittebat, illique integrum erat iniustarum nuptiarum gratiam facere. Quod certo senatusconsulto factum fuisse tradit Livius (89), quo Hispalae Feceniae libertinae indultum fuit , ut quia bacchanalia indicasset, ingenuo nubere liceret ; neu quod ei , qui eam duxisset , ob id fraudi ignominiaeve esset. Postea vero principes, ad quos omnia populi iura venerunt , omnem sibi vetitorum coniugiorum indulgentiam vindicarunt. Sic senator libertinam, tutor et curator pupillam, interveniente principis rescripto , ducebant (90).

Praetermissa porro Symmachi viri clarissimi, qui sub Theodosio eiusque filiis floruit , intercessione ad obtinendum rescriptum (91), id ipsum constat ex Honorii et Theodosii lege an. 401. Ravennae lata , in qua ab imperatoribus edicitur, quibus et qua ratione velint ineundi in vetitis gradibus matrimonii veniam dari (92). Veterem formulam, qua iniustarum nuptiarum

(88) Ita Nestius op. et loc. cit. cui de more consonat Nuytz pariter loc. cit. et in alio opusc. *Nuytz a' suoi concittadini*, pag. 165. nec non auctor *Del diritto etc.*

(89) Lib. 30. c. 19.

(90) Leg. 31. ff. *De ritib. nuptiar.* l. penult. Cod. *De interdict. matrim. int. pupil. et tut.*

(91) Lib. 10. ep. I.

(92) Huic legi , quae in Theodosiano extat codice , titulus est : *Si nuptiae ex rescripto petantur* , et ita se habet : « Quidam vetusto iuris ordine praeter-» misso , obreptione precum nuptias , quas pro se intelligant non' mereri, de » nobis aestimant postulandas , se habere puellae consensum confingentes.

venia a principibus concedebatur, nobis servavit Cassiodorus, Theodorici regis cancellarius; quae quidem formula ad rem nostram his concepta est verbis : « Et ideo supplicationum tua- » rum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis » vicinitate coniungitur, nec alio gradu proximior adprobaris, » matrimonio tuo decernimus esse sanciendam : nullamque vo- » bis exinde iubemus fieri quaestionem, quando et leges nos- » trae permitti voluntate consentiunt, et vota vestra praesen- » tis auctoritatis beneficio firmaverunt (93). » Exinde tit. in Cod. Rom. *De nuptiis per rescriptum* seu de dispensatione in nuptiis.

Tales sunt leges, quae ad propriam causam tuendam in medium proferunt adversarii. Verum ex his subducendae in primis sunt, quae ex auctoribus paganis puerili eruditionis ostentatione allegantur, quae profecto ad rem praesentem referri nequeunt, cum non agatur in illis de matrimoniis christianis, seu de sacramento a Christo instituto. Sic pariter seponenda est epistola Symmachi viri ethnici, et supplicantis pro rescripto in favorem coniugii pagani (94).

» Quapropter tale sponsaliorum genus praesentis legis definitione prohibe » mus. Si quis igitur contra hanc definitionem, nuptias precum subreptione » meruerit, amissionem bonorum et poenam deportationis subiturum se esse » non ambigat. Et amisso iure matrimonii, quod prohibita usurpatione merue- » rit, filios se iuste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam pos- » tulandae indulgentiae adnotationisve principis indulto efficacem se veniae » effectum meruisse. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est quarti gra- » dus coniunctionem, lex triumphalis memoriae patris nostri exemplum in- » dultorum supplicare non vetat etc. »

(93) Integra formula legitur lib. VII. *Variarum* eiusdem Cassiodorii n. 46. Opp. ed. I. Garetii monachi Maurini. Rothomagi 1679. tom. I. pag 125.

(94) Epistola adducta a Nestio non est n. 1. libri X. sed reperitur in Auctuario Symmachiano sub n. 14. ed. Paris 1604. Hic Symmachus ille idem est, qui nomine senatus direxit *Relationem* ad Valentinianum Augustum de repetenda ara Victoriae, deque sumptibus ceremoniarum. S. Ambrosius ubi id comperit, misso libello ad imperatorem postulavit, ut ad se *Relationis* exemplaria dirigerentur, cui ipse per singula responsurus esset. Qua *Relatione accepta*, inquit Paulinus, presbyter eiusdem biographus, praeclarissimum libellum conscripsit, ut contra nihil unquam auderet Symmachus, vir eloquentissimus, respondere.

Veniendum igitur est ad leges conditas ab imperatoribus et regibus christianis, quibus promiscue omnibus certa quaedam vetantur connubia, et ad rescripta, quibus apposita relaxantur impedimenta. Hae leges itaque, ut alias diximus, attingunt solum impedimenta civilia, civilesque effectus, non autem vinculum ipsum, ita ut hoc irritum foret in conscientia, si contra legum sanctiones coniugium initum fuisset; ac proinde, quod consequens est, relaxationes a principibus per rescriptum datae effectus pariter civiles externosque afficiunt, ita ut, si obtenta facultas fuisset has contrahendi nuptias, ius haberetur ab civilia omnia privilegia huic statui adnexa ex legum dispositione. Minime vero valebit venia a principe data, ut, si quae fuissent irritantia impedimenta ab Ecclesia constituta solverentur, ac legitimum evadere coram Deo et coram Ecclesia censeretur coniugium alioquin illegitimum. Caeterum quemadmodum diximus, cum matrimonia ab utraque potestate prohibita sunt, ad utramque potestatem fieri debet recursus pro respectiva dispensatione.

Ne vero haec a nobis gratis confingi quis existimet, satis est diligenter ipsarum legum formulas et contextum inspicere. Ac primo initium sumimus a lege lata ab imperatore Theodosio, cui adeo insistit Launoius (95), qui testibus Sexto Aurelio Victore, Ambrosio et Augustino « Etiam fratres patrueles et consobri- » nos vetuit inter se coniugii convenire nomine, et severissi- » mam poenam statuit (96). » Verum quis non videt ea in lege de poenis tantummodo agi decretis in infractores, nec ullum haberi verbum, quo vel insinuetur quidem irritatio eiusmodi coniugiorum quoad vinculum ? Proindeque si qua data fuerit dispensatio ab eodem imperatore haec indictas poenas similiter attingebat, easque relaxabat.

(95) *De regia in matr. potest.* art. III. cap. I.

(96) Ita S. Ambrosius epist. XLVIII. ad Paternum, cui reliqui consonant. Victor in *Epitom. hist.* sub finem, S. Augustinus lib. XIV. *De civit. Dei.* cap. XVI. Haec enim lex deperdita est.

Idem dic de altera lege sancita a Theodosii senioris filiis, Arcadio et Honorio, an. 396., in qua vetantur nuptiae in gradibus prohibitis sub poenis civilibus (97). Item de altera lege ab iisdem imperatoribus data an. 409. in qua pariter nihil de vinculo statuitur, sed unice poenae de cernuntur in infractores, ut patet ex illis verbis : « Si quis igitur contra hanc definitionem nup» tias precum subreptione meruerit, amissionem bonorum et » poenam deportationis subiturum se esse non ambigat (98). » Deinde adiiciuntur ea, quae referuntur ad relaxationem ab his poenis, si venia obtineatur. Nam relaxatio relativa est ad legis indolem ac naturam. Lex autem non attingit vinculum, adeoque nec relaxatio.

Eodem sensu intelligi proinde debet formula a Cassiodoro nobis servata, qua reges Gothi veniam dabant ineundi nuptias inter consobrinos, scilicet de solutione poenae quoad effectus civiles, eademque ratione sunt accipiendae si quae sint aliae huiuscemodi leges. Hoc magis manifestum fit ex adductis a Launoio exemplis ad conficiendum quod intendit (99).

Siquidem inter caetera refert receptam penes Francorum optimates consuetudinem, ut uxorem non ducerent, nisi venia a rege petita. Nam in vita S. Godebertae legitur : « Parentes » autem eius (Godebertae), cum essent regis beneficiarii, non » audebant, inconsulto rege, cuiquam eam in matrimonium » collocare. Cum autem haec res apud Clotharium ageretur » etc. (100), » At quis non videt hisce in adiunctis nullimode

(97) *Cod. Theodosian.* lib. III. tit. 12. *De incestis nuptiis* in qua statuitur : « Sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur, ut nihil prorsus praedictis ac per interpositam personam vel donet superstes, vel mortuus » derelinquat. Dos, si qua forte solemniter aut data, aut dicta, aut promissa » fuerit, iuxta ius antiquum fisci nostri commodis cedat etc. »

(98) Eiusd. lib. III. tit. 10. *Si nuptiae ex rescripta petantur.*

(99) Atque hic obiter noto Launoium esse promptuarium ex quo Nestius, Nuytz aliique suam deprompserunt eruditionem et argumenta, quibus paradoxum suum persuadeant. Nihil enim novi protulerunt, quod illic non inveniatur.

(100) Op. cit. p. II. art. 11. cap. 1. p. 767.

agi de impedimento dirimente, neque idcirco de relaxatione ab impedimento eiusmodi? Alioquin nullum dicendum foret coniugium, quod hactenus a militum ducibus iniri non poterat absque imperantis venia, quod plane absurdum est et contra catholicorum omnium sensum (101).

Legibus expensis, adversarii Nestius et Nuytz Launoiana eruditione constanter freti, ad facta se conferunt; atque ex rudi illa indigestaque mole tria selegerunt quatuorve, quae nobis opponerent. Nuytz itaque affirmasse contentus, quod imperatores Romani regesque Gothi de facto dispensaverint ab impedimentis dirimentibus, quodque Ecclesia matrimoniis ita ab impedimentis politica potestate solutis impertierit benedictionem, atque eo ipso in principibus ius relaxandi impedimenta practice agnoverit (102), ulterius non progreditur. Ast Nestius Pistoriensis, cuius doctrinam adoptavit Nuytz, factis theoriam suam communire sategit.

Locupletissimum quoque, inquit Nestius, nobis exemplum suppeditat Flodoardus (103), quo tum dirimentia matrimonium impedimenta sanciendi, tum eadem remittendi potestas principibus Romanis, ipsis fatentibus episcopis asseritur. Balduinus namque Comes Iudith, Caroli Calvi filiam, praeter paternum ipsius Caroli consensum, sine quo filiorum familias matrimonia penes Gallos irrita decernebantur, uxorem duxit. At civiles iudices, ipso rogante Carolo, matrimonium illud pronunciarunt infectum. Episcopi vero spiritualibus inflictis poenis improbarunt atque damnarunt. Ex quo factum est, ut Balduinus ad pontificem Nicolaum I. confugerit, qui huiusmodi insciente patre initi coniugii veniam daret. Votis, ut aequum erat, restitit pontifex, eamque tantam detestatus temeritatem dimisit. Tandem iteratis precibus victus, datis ad Carolum litteris, ro-

(101) Cf. op. *De l'autorité des deux puissances*. Liège 1791. tom. III. §. VIII. pag. 182. seqq.

(102) In cit. opusc. *Nuytz ai suoi concittadini*, cap. V. pag. 164 seqq.

(103) Lib. III. *Hist. rhemens.*

gat ut irritum Balduini atque Iudith matrimonium ratum iustumque decernere vellet, apprime noscens, quod ipse talis connubii gratiam posset facere. Humanissimis pontificis precibus annuit Carolus, remissaque dirimentium nuptias hasce legum auctoritate, iustum cum Iudith matrimonium ineundi potestatem Balduino fecit (104). Prolatisque in medium tum Nicolai I. ad Carolum epistola, tum responso ab Hincmaro regis nomine dato (105), ita prosequitur Nestius : ex quo satis abunde constat, non solum pontificem regiam in concedenda vetiti matrimonii venia potestatem agnovisse, sed tanto Gallicanum regem habuisse in pretio, ut eam, quam rex ipse denegaverat, veniam nunquam et optimo quidem iure impertiri vellet (106).

Hic sistamus, atque Launoii eiusque exscriptoris Nestii detegamus errores ac fraudes. 1. Falsum est Flodoardum aliquid insinuare, quo potestas dirimenti in foro conscientiae impedi-

(104) Op. cit. cap. XIII. p. 164 seqq.

(105) Hic tenor est epist. Nicolai I. « Balduinum, qui natam vestram sibi » furto contra fas sociavit, quem ideo venerandi praesules Ecclesiam in regno » vestro gubernantes vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum » accessisse, et ut a vinculis solveretur, atque per nos gratiam inveniret, se- » dem adiisse apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime ab- » solvimus, aut in communione nostra recepimus, sed penitus eam presump- » tuosam temeritatem detestati sumus... Verum quoniam ad divina se praesi- » dia contulit, amatorumque vestrorum Petri ac Pauli, apostolorum principum, » sibimet expetiit afferri praesidia, non potuimus omittere, quominus ut ves- » tram *gratiam perciperet, apud excellentiam vestram* interveniremus. Verum » vestram in omnibus prae oculis habentes dilectionem, quamquam sciamus, » et filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, et » pietatis vestrae gratiam impertiri, tamen non iussa misimus, sed preces ob- » trudimus.»

Rescriptum porro Hincmari ita se habet : « Balduinus et Iudith iura legum » secularium, quae elegerunt, exsequi studuerunt. Dominus enim noster rex, » filius vester huic desponsationi et coniunctioni interesse non voluit; sed » missis publicae rei ministris, sicut promisit, secundum leges eos uxoria » coniunctione ad invicem copulari permisit, et honores Balduino pro vestra » solummodo petitione donavit. »

(106) Haec Nestius, qui ea depromsit ex Launoio *De regia etc.* part. II. cap. IV.

menta regibus tribuatur. Nihil eiusmodi occurrit in hoc scriptore. 2. Falsum est episcopos spiritualibus poenis communivisse hac in re civiles leges, ut ait Launoius, sed executioni mandarunt decreta X. et XI. Gregorii II. in synodo Romana cap. *Si quis virginem* 36. q. 2. quo cap. raptores virginum et viduarum excommunicari iubentur. 3. Falsum est Balduinum rogasse pontificem, ut initi matrimonii veniam daret, atque pontificem regem rogasse, ut irritum Balduini ac Iudith matrimonium ratum iustumque decernere vellet, sed sanctissimus pontifex, admissis precibus Balduini, per litteras tum ad regem Carolum Calvum, tum ad eius uxorem Hermentrudem reginam datas, una cum duorum praesulum legatione, rogavit ut iniuriam sibi illatam per Balduini facinus ignoscerent. Immo notandum, quod pontifex de civili lege ne mentionem quidem iniecerit, sed tantum affirmavit quod Balduinus *charissimam filiam contra divinarum legum sanctiones rapuit* (107); qui praeterea ad Hincmarum scripsit sub interminatione excommunicationis praecipiendo *nullam protelationem in eorum* (Balduini et Iudith) *coniunctione fiendam* (108).

Itaque in toto hoc negotio tantummodo actum est de condonatione impetranda a rege Carolo illatae sibi a Balduino et Iudith iniuriae, ac proinde de ineundo cum eiusdem regis venia coniugio, prout reipsa factum est, rege ac regina placatis. Caetera omnia superstructa nil aliud sunt quam somnia Launoii et Nestii. Si quod fuit impedimentum in eiusmodi coniugio quod a rege relaxari deberet, hoc fuit mere civile iuxta leges Gallicas, quae irritum in conscientia non reddunt connubium (109). Quod si intervenit impedimentum canonicum raptus, ab eo re-

(107) Ita Nicolaus I. in epist. ad reginam Hermentruden apud Baronium ad an. 862. n. 54.

(108) In epist. ad Hincmarum apud Flodoardum *His rhem. eccles.* lib. III. cap. 12. ed. Duaci 1617. pag. 330.

(109) Cf. Baronium loc. cit. nec non Du-Mesnil *Doctr. et disciplina ecclesiae.* Coloniae 1739. tom. III. lib. 39. §. 16. Natal. Alexandr. *Hist. eccles.* saec. IX et X. art. IX. *De Nicolao I.*

laxavit ipsemet pontifex facto ipso intercedens apud genitores.

Alterum, quod nobis a Nestio obiicitur factum, est Ludovici, Romanorum imperatoris, qui postquam contractum inter Ioannem, regis Bohemiae filium, perpetuae impotentiae laborantem impedimento, et Margaretham, Karinthiae dominam, matrimonium dissolvit, Margarethae facultatem dedit, ut Ludovico, Ludovici imperatoris filio, Marchioni Brandeburgensi, consobrino suo nuberet. In cuius rei probationem prolixam formulam eiusdem affert imperatoris, utpote quae ad instituti nostri, inquit, rationem pertinet (110). Porro in hac formula mentio fit tum impedimentorum dirimentium, quae auctoritate civili constituta sunt, tum veniae, quam suppliciter Ioannes et Margaretha ab auctoritate imperiali petierunt; tum relaxationis, quam reipsa Ludovicus auctoritate propria concessit. Post quae, sic elato supercilio lectorem suum Nestius compellat. Potuitne imperator explicatius, nervosius ac magnificentius loqui? Ex locupletissimis igitur rationum momentis, ac certissima factorum serie intelligitur suprema regum in concedenda iniustarum nuptiarum venia, potestas. Non igitur Ecclesiae, non Rom. pontificum, non episcoporum, sed principum regumque est dirimentium matrimonia legum auctoritatem remittere, exoratamque in vetitis coniugii gradibus veniam tribuere: eo prorsus modo, quo dirimentes matrimonium leges condere ad principem, non ad Ecclesiam ac pontifices pertinere demonstravimus. Hactenus ille.

Verum non adiecit, quod maxime intererat, nempe Ludovicum hunc fuisse Ludovicum Bavarum, scilicet schismaticum, cuius theologi fuerunt Ioannes a Ianduno et Marsilius Patavinus damnati a Rom. pontificibus tanquam haeretici. Neque adiecit, Ludovicum ob adeo atrox facinus a Clemente, Benedicti suc-

(110) Quod ei difficile non fuit; nam integram eam formulam reperit apud Launoium in cit. op. part. III. art. I. cap. IX. pag. 861. seqq. Ne tamen videretur ex adeo impuro fonte se haurire sua haec documenta et argumenta, cavet sedulo Nestius, ne unquam Launoium nominet.

cessore novo fuisse anathemate percussum, aliisque gravioribus poenis affectum (111). Non adiecit tum divortium petulantis ac impudicae Margarethae irritum a pontifice pronunciatum fuisse, tum novum coniugium velut adulterinum fuisse reiectum (112). Nulla igitur ratio erat cur adeo exultaret hic auctor pro usurpata a viro schismatico potestate contra ius ac fas. Ex his etiam specimen capere possumus indolis eiusmodi auctorum, qui apostolicae Sedi adversarios se praebent.

Qua vero ratione *demonstraverit* hic auctor dirimentes matrimonium leges condere ad principem, non autem ad Ecclesiam Romanosque pontifices pertinere, ex antea dictis abunde constat, quin aliud addamus ad eius iactantiam retundendam.

Post haec pergit Nestius scribens : Profecto non solum superioribus temporibus, sed ne undecimo quidem vertente seculo receptum more fuisse tradit Ioannes Mariana (113), ut pontifices in vetitis matrimonii gradibus veniam darent (114). Quis haec legens non sibi persuaderet iuxta Marianam ius solvendi illicitorum coniugiorum impedimenta sec. XI. nondum ad Rom. pontifices pertinuisse, sed ad seculi principes id unice spectasse? Ast si Marianam consulueris, illico contrariam deprehendes sententiam.

(111) Satis ingeniosa est evasio, quam Launoius reperit, ut se ab hac Clementis agendi ratione extricaret. Scribit enim: « Clemens VI. in sententia, qua » Ludovicum imperio privatum denunciavit, inter septem damnationis capita » recenset illud, quod nonnullos in prohibitis gradibus coniunxisset. Sed id » fecit doctissimus pontifex, non quod crederet legitimos principes gradus » affinitatis solo civili iure vetitos relaxare non posse, sed quod Ludovicum » Bavarum verum ac legitimum imperatorem non esse, persuasum haberet. » Qua in re pontifex illatam legitimis principibus iniuriam vindicavit potius » quam ullum civili potestati regiae vel imperatoriae detrimentum attulit. » Certe sin minus veritas, ingenium laudandum saltem est in hoc effugio inveniendo.

(112) Cf. Bzovium *Annal. eccles.* ad an. 1340. n. VIII. qui praeterea ibidem n. IX. refert Ludovicum Bavarum his perterritum ad pontificiam Sedem legationem misisse pacis conciliandae caussa. Nec non Raynaldum ad. an. 1341. n. XV.

(113) Lib. X. *Histor.* cap. 8.

(114) Op. cit. pag. 171 seqq.

Quod ut pateat nos non pigebit integrum huius historici hac in re textum describere. « Alfonsus Urracam uxorem a patre » tertio propinquitatis iure attingebat: proavus utriusque » Sanctius, rex Vasconum, cognomento Maior. *Nondum moribus receptum erat, ut pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta coniugia inter cognatos coirent.* Itaque » passim consideramus per haec tempora connubia principum » dirempta esse, cognatione inter coniuges illegitima iniustaque. Hanc unam arbitror esse causam cur Alfonsus hic in » nullo Castellae regum numero ponatur apud veteres scriptores, neque verum est fixas vetustate opiniones novis » placitis convellere: quod quidam faciunt regem hunc Alfonsi » nomine septimum inter Castellae reges numerantes: in quam » quod iuris habere potuit, legitimo haerede ex priori coniugio » nato, posteriori matrimonio vitioso, et legibus repugnantibus » invalido? Regina ob importunas actiones ad arcem Castellare » in custodiam tradita, re cum suis communicata in Castellam » evadit. Verum a regni proceribus ad virum remissa, carceri » denuo mancipatur: Caleciae proceres, ubi Urracae filius » Alfonsus ex avi testamento rerum potiebatur, inter se inire » societates adversus Aragonios conatus: coniugium, quod » inauspicato coierat invita nobilitate, dissolvendi occasionem » nacti. Ex ea re in animis hominum religiones excitatae, ei » obtemperare fas esse negantium, qui legitimus rex non esset. » Ad Paschalem Romanum pontificem missa legatio: causa » omnis exposita: ab eoque diploma ablatum: quo causae » cognitionem Didaco Gelmirio, Compostellano praesuli, permittebat. Eius diplomatis fragmentum subiicimus: Paschalis » *servus servorum Dei venerabili fratri dom. Compostellano* » *episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc te* » *omnipotens Deus populo suo praeesse constituit, ut eorum* » *peccata corrigas, et Domini annuncies voluntatem. Stude igi-* » *tur secundum datam tibi divinitus facultatem, tantum incesti* » *facinus, quod a regis filia perpetratum est, debita ultione* » *corrigere: ut vel a tanta praesumptione desistat, vel Ecclesiae*

» *consortio, et seculari potestate privetur*. Quid dati iudices, » seu potius mali vindices designati constituerint, memoriae » proditum non est. Illud constat, ex eo tempore Alfonsum » in praesules iniquo animo esse, atque adeo saevire coe- » pisse (115). »

Universam orationis seriem, licet aliquantum prolixam, in medium proferre constitui, tum ut appareat mala huius adversarii fides, tum etiam ut, quae pro re nostra faciunt, inde eruamus.

Itaque, ut patet ex contextu, verba illa : *Nondum in moribus receptum erat, ut pontificum Romanorum venia lege cognationis soluta coniugia inter cognatos coirent*, referuntur ad antiquam disciplinam, iuxta quam non dabatur a Rom. pontificibus relaxatio praevia ab impedimento, seu antequam iniretur coniugium, sed aut dissolvebantur, si quae contracta fuissent, aut gravissimis intercedentibus causis ab Ecclesia, seu a Rom. pontificibus sanabantur, prout superius a nobis animadversum est. Exploratum est enim ob causas, quas exposuimus, a seculo plus minus XII. coepisse a summis pontificibus dari relaxationem ab impedimentis ante nuptiarum celebrationem.

Ex his quocirca colligimus, non eo sensu haec dicta a Mariana fuisse, quod hactenus impedimenta relaxarentur a principibus, ut contendit Nestius, et postea coeperint pontifices Romani veniam dare; sed quod alia obtinuerit in Ecclesia disciplina ab ea, quae postea inducta est.

Nam si penes principes regesque viguisset potestas relaxandi leges, aut canones matrimonium dirimentes, quid opus fuisset relaxatione pontificia ? Nonne potuisset Alfonsus secum dispensare, ac legitimum inire coniugium ? At tantum abest, ut id pertentaverit rex ille, ut ne excogitaverit quidem. Hinc eius coniugium populus universus regnique proceres tanquam incestum detestati sunt, atque irritum ; filius inde ortus ut illegitimus spectatus atque a successione detrusus, neque inter

(115) Loc. cit. pag. 473 seq.

Castellae reges a scriptoribus omnibus illius aetatis connumeratus.

Verum quod magis patefacit ad solam Ecclesiam, seu ad Rom. pontifices spectasse hoc negotium, est legatio missa ad Paschalem pontificem, qui dato diplomate ad Compostellanum episcopum ei in mandatis dedit, ut, causa excussa, regem compelleret ad illegitimam uxorem dimittendam, aut excommunicatione plecteret, si obtemperare detrectasset. Exinde irae vexationesque, ut ab eiusmodi hominibus fieri consuevit in sacrorum praesules, deportationes, exilia ex regis ira, donec tandem, ut postea refert idem historicus, coniugium penitus dissolutum fuerit.

Ut igitur paucis rem conficiamus, ex dixtis patet, non solum ex Marianae verbis nihil colligi posse pro regum auctoritate circa impedimentorum dirimentium relaxationem, verum contrarium prorsus ostendi, seu auctoritatem pontificiam ad exclusionem potestatis regiae.

Et haec de Nestio. Superest ut excutiamus adhuc nonnulla ex iis, quae subdit Litta, dum inquirens in relaxationum originem, quas, ut vidimus, vocavit *iustitiae*, scribit, primis Ecclesiae seculis leges nullas admisisse exceptiones; quod si interdum venia daretur, id nonnisi raro accidisse. *Respectu vero impedimentorum dirimentium* nullatenus ac nunquam relaxabatur. Attamen, subdit, profecto nonnulli casus non defuerunt, qui adeo relaxationem mererentur, ut videretur quasi iniusta eius denegatio. Nihilominus nulla prorsus ratione relaxatio concedebatur; sicque ostenderunt Ecclesiae Patres se practice agnoscere, iniustum natura sua plane non esse, denegare relaxationem a lege aliunde iusta, utpote opportuna pro maxima casuum parte et personarum; ipsi nempe pluris semper fecerunt bonum obedientiae legi quamvis rigidae ac interdum incommodae, quam inducere legum contemptum, qui semper ex relaxationibus initium ducit (116).

(116) Litta op. cit. *Del diritto*, lett. 16. pag. 286.

Quin nobis haec difficultatem creent, valde potius conferunt ad perstringendos adversarios. Siquidem :

1. Inferimus : ergo primis Ecclesiae seculis iam impedimenta vigebant. Nescimus vero utrum adversarii ostendere queant ad ea constabilienda utriusque potestatis civilis nempe et ecclesiasticae simultaneum concursum intervenisse, adeoque eumdem necessarium fuisse ad legum relaxationem, ex. gr. Domitiani et S. Clementis.

2. Inferimus : quod si constans atque insuperabilis Ecclesiae difficultas ad concedendas eiusmodi relaxationes repetenda est, ut adversarii contendunt, ex illo principio, quod penes Ecclesiae Patres fixum erat, debere legis observationem quibusvis praevalere motivis, quae eius relaxationem suaderent, inferimus, inquam: ergo agebatur de relaxationibus ab Ecclesia concedendis aut denegandis. Quod si ius relaxationem connubialium est intime inhaerens potestati politicae, intelligi nequit, qui potuerit hic spiritus antiquae disciplinae immutabilis tot seculorum tractu sancte servari, cum potuerint fideles omnimoda facilitate ad tribunalia secularia sese recipere pro relaxatione, quam illa valide ac licite dare potuissent, adeoque fideles valide et licite illa uti contra canonum statuta. Quapropter hoc idem principium a Patribus adoptatum, iuxta adversarios nostros, nonne evidenter supponit firmam eorumdem persuasionem ab Ecclesia repetendam esse, et a sola Ecclesia debuisse fideles dependere, ut dispensationem obtinerent (117) ?

3. Inferimus : ergo mentita est iniquitas sibi, dum ex una parte contendunt ius statuendi impedimenta spectare ad politicam auctoritatem, perinde ac ius ab eis relaxandi; ex altera vero parte fatentur ad Ecclesiam eamque solam utrumque ab initio pertinuisse, nisi velint Domitianum, aut Decium una cum Ecclesia concurrisse sive ad impedimenta constabilienda, sive ad relaxanda, cum opus fuerit. Hactenus quidem contenti fuimus propugnare doctrinam catholicam retundendo adversa-

(117) Cf. Gerdil op. cit. *De matrim.* part. II. §. X.

riorum impetus inanesque conatus ; nunc vero ad pleniorem veritatis triumphum positivis argumentis atque illationibus ita progredimur.

Si ius relaxandi impedimenta dirimentia coniugia christianorum ad principes laicos pertineret , profecto quoties ageretur de coniugio incesto ac illegitimo sive quoad se , sive quoad subditos, toties auctoritate propria , nempe suprema et independente, et secum et cum subditis suis principes relaxassent leges matrimonium dirimentes. Iam vero nunquam ita se gesserunt principes regesque , sed constanter ad Ecclesiae auctoritatem se contulerunt ad obtinendam relaxationem.

Revera, ipsis adversariis fatentibus imo et contendentibus, primis Ecclesiae seculis nulla penitus relaxatio concedebatur, sed si qua matrimonia contracta fuissent aliquo irretita impedimento, dissolvebantur. Postea vero, quum interdum inita coniugia impellente necessitate tolerare opus esset , nec nisi summa rerum regnorumque perturbatione dissolvi possent , coeptum est in coniugiis iam contractis venia dari. Denique ob gravia , quae suo loco recensuimus, rationum momenta nova introducta est disciplina, qua daretur venia, ante quam coniugia inirentur. In utroque autem casu sive de iam inito illegitimo coniugio, sive de ineundo ageretur, constanter ac iugiter intervenit sola Ecclesiae seu apostolicae Sedis auctoritas , aut etiam ex tacito aut expresso apostolicae Sedis indulto , auctoritas episcoporum, aut synodorum provincialium ac nationalium, nunquam vero regia aut imperialis; quin etiam eadem auctoritate ecclesiastica factum est non semel , ut illegitima coniugia imperatorum, regum ac principum , ipsis invitis dissolverentur, coniugesque poenitentiae addicerentur. Quoniam vero de re agitur satis explorata, quaedam nos exempla afferemus, quae viri eruditi ex certissimis historiae documentis collegerunt, ut ius Ecclesiae ostenderent, sive quum coniugia impedimento aliquo irretita, nulla facta legis dispensatione, Ecclesia dissolvi voluit, sive quum dispensatione facta , vel rata habuit iam inita, vel iniri permisit.

Itaque an. 912. Henricus *Auceps* cognomento filiam Ervini, comitis in Merseburch, et Alstadii, quae vidua monasterium ingressa fuerat, velumque susceperat, uxorem sibi adscivit et obtinuit. Porro cum Sigismundus, Halberstadiensis ecclesiae antistes, eiusmodi facinus comperisset, Henricum atque Hatelburgam se synodo sistere et disiungi illico iussit, lata in eos anathematis sententia. Conradus rex sese pro illis interposuit, cuius precibus annuens Sigismundus sententiae executionem aliquamdiu distulit. Henricus tamen Hatelburgam dimittere debuit, quamvis Tammonem seu Thankmarum ex ea genuisset, iustisque postea nuptiis Mathildem ex antiquissima Witekindi stirpe ortam sibi copulavit (118).

Sic an. 949. constantia enituit Fulberti, Cameracensis episcopi, qui incestum Amulrici, Hainouensis comitis, cum Isaaci, comitis Cameracensis, filia connubium tolerare detrectavit, ac disiungendum indixit. De quo ita scribit Baldericus in eiusdem Cameracensis ecclesiae chronico : « Quod parentes atque amici » moleste, sed et dolenter ferentes, modo minarum asperitate » episcopum perterrefaciunt, modo tamen precibus et pretiosis » muneribus conveniunt; quin etiam uberrimas haereditates » sanctae Dei Ecclesiae promittunt, ut sive scilicet eorum minis coactus, sive promissorum munerum affectatione in » aliam sententiam flexus, disiunctos fortasse reconiungeret » incolvulsosque amodo manere permitteret (119). » Ast perperam. Nunquam Fulbertus a sua dimoveri sententia passus est.

An. 971. refertur factum S. Dunstani de quo alias verba fecimus, qui illegitimum pariter coniugium dissolvit.

(118) Cf. Hartzheim *Concil. German.* tom. II. pag. 586. ed. Colon. 1760.

(119) *Chronicon Cameracense et Atrebatense* a Balderico, Noviomensi et Tornacensi episcopo, Duaci 1615. lib. I. c. 73. qui post relata verba adiungit « Huius rei suggestione episcopus commotior factus, quia in ipso timor Domini praeponderabat, minas posthabuit, et ne a norma canonicae legis pretio » emptus forte desciscret, promissa calcavit... precibus eorum minime adquievit, sed totius auctoritatis iudicio in perpetuo segregavit. »

An. 1085. cum quaestio mota fuisset in synodo Quintina Limburgi de Hermanni regis coniugio, cardinalis Ostiensis episcopus a S. Gregorio VII. missus legatus in Germaniam, se contulit ad concilium Rhemense, in eoque concilio edixit : « Audiens ego quod rex vester legitimum non habeat con- » iugium, iudico inter eum et uxorem eius fieri divor- » tium (120). »

Sub saeculi XI. finem non pauca suppeditat exempla de illegitimis coniugiis dissociatis Ivo, Carnotensis episcopus, quem *communem Galliarum magistrum* appellant. Hic in epistola 214. scripsit ad Audoenum, Ebroicensem episcopum, qui eum monuerat, esse quamplurimos, qui aegre ferrent «quod dirimerem coniugia » liberorem et ancillarum, et e converso ; et hoc vobis videri, » quod sit contra sententiam evangelicam, qua dicitur : *Non* » *licet viro dimittere uxorem, nisi causa fornicationis.* » Ad quod, inquit, dilectioni vestrae respondemus, quia contra » hanc sententiam scienter nihil agimus, vel agere volumus. » Si enim divortium facimus inter liberum et ancillam, non » coniugium solvimus, sed contubernium male coniunctum » dissolvimus et dissociamus (121). »

In altera vero epistola, nempe 245. quam ad Gualonem, episcopum Parisiensem, idem misit, inter caetera haec habet : « Nuper cum essemus apud Castrum Melitanense, narravit » nobis dominus Stephanus Cancellarius quasdam nuptias » fuisse celebratas in episcopatu vestro contra placitum ves- » trum, inter quemdam puerulum, et quamdam puellulam, » quum adhuc pene in cunis essent.... quibus auditis rogavit » me, ut scriberem vobis quatenus tales nuptiae aut fieri non » permitteretis, aut factas dissolvi praeciperetis (122). »

(120) Ita rem narrat Venericus, Vercellensis episcopus, apud Christian. Lupum ad can. XI. Rhemensis concilii a S. Leone IX. celebrati. Is cardinalis legatus suffectus postea fuit S. Gregorio VII. in pontificatu Romano sub nomine Urbani II.

(121) *Ivonis, episcopi Carnotensis, epistolae.* Paris. 1585. in-4.

(122) Ibid. Cf. etiam epist. 128. ad Lisiardum. Suessionen. episc. et alibi passim.

Ad hoc ipsum seculum spectat, quod paulo ante attulimus de illegitimo coniugio ab Alfonso, Castellae rege, inito, atque Ecclesiae solius auctoritate dissoluto, petentibus regni proceribus.

Ex his, quae hactenus attulimus factis, manifestum fit Ecclesiam iure suo dissociasse coniugia non modo non annuentibus, aut assentientibus principibus, sed ipsis prorsus invitis ac renuentibus; siquidem et ipsi non semel compulsi sunt illegitima a se inita coniugia disrumpere, et ob male contractas nuptias poenitentiae fuerunt addicti. Iam vero si relaxationis ius penes principes stetisset, nonne secum ipsis dispensassent, totque devitassent incommoda, quae ex divortio sibi iniuncto sub excommunicationis poena proveniebant?

Ast prae caeteris eminet sec. XI. labente ac XII. ineunte exemplum dissoluti coniugii perperam initi inter Philippum I. regem Galliarum, et Bertradam auctoritate Paschalis II. Quandoquidem vero factum istud celebre extitit in historia tum ecclesiastica tum civili, iuverit paucis illud ex authenticis fontibus enarrare ob magni momenti consecutiones, quae exinde in rem nostram efflorescunt. Hunc porro ordinem consectabimur: 1. exponemus matrimonium initum inter Fulconem, comitem Andegavensem, et Bertradam, filiam comitis Simonis de Montfort; 2. coniugium contractum inter Philippum et Bertradam; 3. quanam ratione se gesserint hoc in negotio Urbanus II. et Paschalis II. Rom. Pontifices; 4. inquiremus num post huiusmodi coniugii dissolutionem Paschalis II. dispensationem concesserit, et matrimonium fuerit nec ne redintegratum; 5. corollaria demum ex hac facti expositione deducemus.

Ut igitur a primo exordiamur, refert Ordericus Vitalis, auctor Synchronus, (123) Fulconem, comitem Andegavensem,

Atque hic est Ivo, ad quem praecipue confugit Launoius, ut evincat iuxta ipsum ad principes seculares spectare impedimenta constituere, ab iisque relaxationem concedere. At istorum fraudem detegit, atque ad nihilum redegit cl. card. Gerdilius in op. cit. part. I. §. III.

(123) In *Hist. ecclesiast.* lib. VIII. pag. 681.seqq.

proiectae vitae hominem, binis repudiatis uxoribus, illecebris captum Bertradae, filiae Simonis, comitis Montforti neptisque comitis Guillelmi Eboradunensis, eam in uxorem petiisse. In hunc finem operam interposuit ducis Normanniae Roberti, cui Fulco nonnulla castra cessit. Ac reipsa eam, quamvis *adhuc tenera virago* fuisset (124), obtinuit, licet invivis agerent duae repudiatae uxores : « Andegavensis consul, scribit cit. auctor, » concupitam puellam gaudens suscepit, et viventibus adhuc » duabus uxoribus desponsavit (125); « Quocirca paulo post ab eodem Orderico Bertrada vocatur pellex, Fulco vero adulter (126). Ex chronico vero Virdunensi novimus quo propinquitatis gradu coniuncta fuerit Bertrada cum Fulcone et cum Philippo rege. In eo enim legimus : « Rex legitimo » abdicato matrimonio.... comiti suo Andegavensi uxorem » subripuit, militi suo, cui fidem promiserat, et carnis consan- » guinitate propinquo : adeo ut ex una parte in *tertio* et in » alia in *quarto* propinquitatis sanguine necterentur (127.) » Hac de causa in chronico Andegavensi Philippus traducitur uti incestuosus et adulter (128).

Paucis me expediam ab eo, quod secundo loco proposui, nempe a coniugio Philippi regis cum Berta. Siquidem sic res plene refertur ab historicis illius aetatis : « Philippus, rex Francorum, » uxorem habens legitimam et praeclari generis Bertam no- » mine, ex qua susceperat filium nomine Ludovicum,... con- » tra ius legitimae coniunctionis exosam habere coepit : et a se

(124) Ibid. I. c.

(125) Ibid.

(126) Ibid. pag. 899 : « Sic petulans *pellex adulterum* comitem reliquit. » Exinde novimus coniunctionem Fulconis cum Bertrada non fuisse nisi concubinatum, deprehendimusque quare episcopi, qui tantum excitaverunt rumorem ob repudium Philippi et Berthae, nunquam mussitaverint ob repudium Bertradae ex parte Fulconis.

(127) *Chron. Virdun. Hugonis ab. Flaviniaci; in Biblioth.* Labbei tom. I. pag. 259.

(128) « Philippum Francorum regem pro *incesti adulterii* crimine excom- » municavit. » *Chron. Andegav.* an. 1093. in *Biblioth.* Labbei tom. I pag. 281.

» contra canonum statuta libello repudii conatur repellere, » nihil criminis obiecto, excepto quod sanguinitatem falso » adnumerare tentabat, nec poterat (129). »

Quid porro gesserint Urbanus II. et Paschalis II. in hoc negotio compertum est ex historia illius temporis et ex epistolis utriusque pontificis, quorum iussu plura concilia coacta sunt; donec Urbani et Claramontanae synodi sententia coactus Philippus Bertradam dimiserit; ast cum paulo post rex eamdem reduxerit, in synodo Pictaviensi, agentibus cardinalibus Ioanne et Benedicto, Sedis apostolicae legatis, XIV kal. Dec. an. 1100. excommunicationis sententia Philippus mulctatus est. Tandem an. 1104. resipiscentibus Philippo et Bertrada pro absolutione Paschali II. supplicarunt. Annuit Paschalis, ea tamen conditione ut interposito iureiurando, promitterent non modo separationem a mutuo contubernio, sed et a colloquio, nisi sub personarum minime suspectarum testimonio, abstinerent (130). Cumque rex se ultro huic conditioni plene subiecerit, tamen in concilio Balgensiaco ob renuentiam episcoporum res infecta est (131). Absolutus rex fuit in concilio Parisiensi IV. non. Decemb. an. 1105. ubi Bertrada idem sacramentum praestitit ad absolutionem impetrandam (132).

Nunc autem quarto loco inquirere praestat, num praeter ab-

(129) Ex fragm. *Histor. francor.* lib. IV. *Histor. Roberti Wiscardi, quam scripsit* Malaterra monachus, apud Duchesne *Histor. Francor. script.* Lutet. Paris 1641. tom. IV. p. 166.

(130) Cf. Nat. Alexandr. *Hist. eccles.* in sec. XI. et XII. cap. X. art. II.

(131) His verbis narrat Yvo : « Convenimus Balgenciacum ad faciendam ab- »solutionem regis, secundum tenorem litterarum, quas super hac re miserat » moderatio vestra. Convenit etiam rex et lateralis sua, et secundum praeceptum »vestrum, sacrosanctis evangeliis tactis parati fuerunt abiurare absolute omnem » carnalis copulae consuetudinem, insuper et mutuam colloquutionem nisi sub »testimonio personarum minime suspectarum usque ad vestram dispensatio- »nem. » Yvonis ep. 144.; quam refert etiam Baronius ad an. 1104. n. 3. Formulam vero iuramenti a Philippo praestiti refert Lucas Dacherius in *Spicilegio* tom. III. ed. Paris. 1659. pag. 129.

(132) Prout refertur in epist. Lamberti ad Paschalem II. apud Labbeum *Concilior.* tom. X. col. 742 seq.

solutionem ab excommunicatione Paschalis II. dispensationem ad matrimonium contrahendum cum Bertrada, propinqua sua in quarto gradu, Philippo regi contulerit. Sane non pauci scriptores ita sentiunt, adnumerantque eiusmodi dispensationem inter praevias, quae illa aetate, nempe ante Innocentium III. a Rom. pontificibus datae fuerunt (133). Nos vero plus semel innuimus rem incertam esse, immo verisimilius nunquam concessam eiusmodi dispensationem fuisse. Iuverit expendere utriusque sententiae fundamenta.

Igitur qui priori adhaerent placito, censent post mortem Bertae legitimae uxoris, quae contigit an. 1094. (134). Philippum in spem venisse redintegrationis sui matrimonii cum Bertrada atque sub hac conditione se poenitentiae subiecisse ad obtinendam tum absolutionem, tum dispensationem, qua legitime nuptias cum Bertrada iniret. Innituntur porro 1. allegatis verbis Ivonis in ep. 144. ad Paschalem II. *Usque ad vestram dispensationem;* 2. Facto ipsius Philippi, quia nisi dispensationem obtinuisset, profecto ausus haud fuisset se iterum cum Bertrada coniungere, prout fecit; 3. rationi qua Fulco excepit Philippum et Bertradam cum Andegavum se contulerunt, prout omnibus honoris ac reverentiae signis et testificationibus exceptus pariter est a clericis et proceribus; 4. *Reginae* denominationi, qua identidem a veteribus Bertrada donata fuit.

Ast hae merae sunt coniecturae solido destitutae fundamento. Etenim prima deiicitur tum ex eo quod verba illa: *Usque ad vestram dispensationem* adiecerit Ivo de suo, fidens futurum ut Papa dispensaret, praesertim cum ipse cum paucis episcopis pro

(133) Inter quos Thomassinius, *De beneficiis*, tom. II. c. XXIX. n. X. p. 539. Daniel. *Hist. de France*, tom . II. p. 410. Amsterdam 1720. Moreau *Discours sur l'hist. de France*, tom. XIV. p. 592. Natal. Alexand. *Hist. eccles.* in sec. XI. et XII. cap. X. art. 2. Herault in *Epitome chronol. Gallicae histor.* tom. I. ad an. 1005. Zacharia in cit. Diss. *De episcop. in dispensat. super matr. impedim. potestate*, cap. I. §. 2. p. 37 seq.

(134) Ut legitur in *Chronica Petri Vivi*, apud Dacherium in *Spicilegio*, tom. II. p. 748.

gratia hac intercessisset scribens : « Dispensationis autem mo-
» dus nulli unquam sapientum displicuit etc. (135); » tum eo quod Paschalis II. in epist. ad archiepiscopos et episcopos Remensem, Senonensem, et Turonensem post litteram synodalem Bangenciacam ne verbum quidem fecerit de dispensatione, sed unice institerit separationi faciendae a Philippo absque ulla conditione (136); tum denique ex eo quod Philippus et Bertrada in iureiurando praestito ad obtinendam absolutionem, nullam adposuerint prorsus conditionem.

Altera coniectura eliminatur, spectata agendi ratione, quam alias tenuit idem Philippus, qui nihil obstante promissione facta, iterum ad pristinam rediit conversationem; nimio enim erat amore captus erga Bertradam; nil mirum proinde si etiam post obtentam absolutionem ac praestitum iusiurandum redierit ad vomitum.

Tertia facile diluitur ex iis, quae de artibus Bertradae scribunt Ordericus et Sugerus. « Versipellis mulier, inquit Orde-
» ricus, inter rivales simultatem compescuit, ingenioque suo in
» tantam pacem eos compaginavit, ut splendidum eis convivium
» praepararet, et apte prout placuit illis ministraret (137). »
Sugerus vero addit : « Andegavensem priorem maritum, licet
» toro omnino repudiatum, ita mollificaverat (Bertrada), ut
» eam tanquam dominam veneraretur, et scabello pedum eius
» saepius residens, ac si prestigio fieret voluntati eius
» omnino obsequeretur (138). » Quod vero spectat ad clericos ac proceres, qui honoris ac obsequii significationibus Philippum regem exceperint, mirum esse non debet post obtentam ab eo absolutionem.

Quarta coniectura ex *reginae* appellatione, quae interdum a nonnullis Bertradae tributa fuerit, desumpta, disiicitur, si ratio

(135) Epist. cit.

(136) Haec epistola Paschalis II. legitur apud Dacherium in *Spicilegio*, tom. III. p. 128.

(137) *Histor. ecclesiast.* lib. VIII. ed. Duchesne Lutet. Paris. 1619. p. 999.

(138) *De vita Ludovici Grossi regis* apud Duchesne, *Hist. franc. script.* Lutetiae 1641. tom. IV. p. 398 seq.

habeatur assentationis erga Philippum, qui illam uti legitimam uxorem haberi volebat.

Caeterum nec levia nec pauca sunt documenta, quae has penitus destruunt coniecturas. Etenim 1. nemo est ex antiquis scriptoribus, qui toties locuti sunt de absolutione Philippi, qui mentionem iniiciat de data *dispensatione*. 2. Imo ex ratione, qua referunt datam absolutionem, contrarium potius ostendunt; sic enim Aimoinus scribit : « Quam sententiam (anathematis) » rex, motus divina gratia, timens, et *ad terminum vitae suae* » *propinquans*, resipuit, veniamque postulans eam (Bertra- » dam) dimisit (139). » Ergo nonnisi sub vitae finem Philippum vere poenituit, dimisitque tanquam illegitimam uxorem Bertradam, adeoque nullam obtinuerat dispensationem. Ordericus pariter, relato Philippi iuramento, pergit his verbis : « Petulans pellex adulterum comitem reliquit, *adulteroque regi* » *usque ad mortem* adhaesit (140); » quae verba nullum praeferrent sensum in hypothesi de obtenta dispensatione. Demum Sugerus aperte liberos ex Bertrada a Philippo susceptos illegitimos vocat scribens : « Dicebatur enim regem illum su- » perbum et impetuosum (regem Anglorum) aspirare ad regnum » Francorum, quia famosus iuvenis (Ludovicus VI.) *unicus* pa- » tri erat de nobilissima coniuge, Roberti, Flandrensis comitis, » sorore. Qui enim duo supererant, Philippus et Florus, de » supradicta Andegavensi comitissa Bertrada, geniti erant, » nec illorum appreciabatur successionem, si unicum primum » decedere quocumque infortunio contingeret (141). » Iam vero si intercessisset dispensatio pontificia, per subsequens legitimum coniugium, legitimi facti fuissent, ac successionis ad thronum capaces. Nunquam igitur eiusmodi dispensatio data est (142).

(139) *De gestis francor.* lib. V. cap. L. ed. Paris. pag. 363.

(140) Op. cit. lib. VIII. pag. 299.

(141) *De vita Ludovici Grossi regis*, c. I. *Hist. francor. scriptores* apud Duchesne tom. IV. ed. Paris. 1641. pag. 283.

(142) Cf. Pagium Antonium in annotatione ad card. Baronium an. 1104 seq.

Quibus ita constitutis, superest ut prosequamur postremo loco consecutiones, quae exinde dimanant adversus Nepomuc. Nuytz, qui plane se hospitem in historia patefacit, dum ex hoc facto insurgit adversus dispensationes ab Ecclesia circa matrimonia concessas. In tot enim errata impegit, quot fere hac de re periodos scripsit.

Ac 1. in eo quod affirmat vulgo traduci veluti primam dispensationem eam, quam dedit Paschalis II. regi Philippo an. 1100. eo quod Bertrada esset consanguineitate coniuncta Philippo, dum oppugnatum non fuit hoc coniugium *propter consanguineitatem*, sed quia Philippus iunctus erat matrimonio cum Berta, ac Bertrada erat uxor comitis Andegavensis (143). Vulgarem sententiam in suo tractatu de matrimonio ipse Nuytz sectatus fuerat, innixus auctoritate Tomassinii, at dein suam protulit novam sententiam, quae facile erroris multiplicis convincitur. Nam Berta, ut constat ex dictis, vita iam functa fuerat an. 1094. Ergo an. 1100. id est post sex annos ab eius obitu, non poterat esse causa, ob quam peteretur dispensatio et negaretur coniunctio Philippi cum Bertrada. 2. Praeterea absurdum est expetitam fuisse dispensationem vivente adhuc Berta ob impedimentum ligaminis, quod est iuris divini; praetextus enim,

nec non Pagium Franciscum in *Breviario gestorum pontific. Roman.* Lucae 1729. in vita Paschalis II. tom. I. pag. 625 n. XXVIII. qui refellunt Blondellum autumantem legitimum fuisse Philippi coniugium cum Bertrada, ob concessam a Paschali II. dispensationem.

(143) En eius verba ex opusc. *Il professore Nuits ai suoi concittadini*. Torino 1851. in quo adnititur refellere Pium IX. oblatam contra se sententiam. « Il primo esempio di dispensa data *dalla chiesa*, si dice esistere in quella. che Pasquale II. diede a Filippo 1. re di Francia circa del 1100 acciò *rimaner* » *potesse* con Bertrada *sua parente* già sposata, in seguito a quale sentenza, » quel re abbia rinnovato con Bertrada il suo matrimonio. Cosi Tomassino. » Io credo però che Thomassino, la cui auctorità ho seguitato troppo facilmente » nel mio trattato, commetta quivi un grave errore.

Il matrimonio tra Filippo e Bertrada, non era oppugnato per *consanguineità* ma perchè Filippo aveva Berta per moglie, e Bertrada avea già per marito il » conte d'Angiò » pag. 165 seq.

quem obtendebat Philippus de sua propinquitate cum Berta illico exclusus est. 3. Etiam errat Nuytz in eo quod dicit de Bertrada *uxore* comitis Andegavensis, cum vere non fuerit nisi eius pellex et concubina, superviventibus adhuc duabus repudiatis uxoribus, seu potius uxore, et superinducta concubina altera. Remanet igitur ut ob *solam consanguineitatem* post an. 1094. oppugnatum fuerit matrimonium Philippi cum Bertrada, ac proinde turpiter erraverit Nuytz, dum hanc exclusit; eo vel magis, quod ex adductis documentis positive constet quo in gradu fuerit Bertrada consanguinea Philippo, nempe in *quarto* (144).

2. Non minus turpiter erravit Nuytz, dum fidenter adeo affirmat, *historiam non loqui de dispensatione* ad contrahendum matrimonium data, sed unice de absolutione ab excommunicatione Philippo inflicta ob suum cum Bertrada initum coniugium (145). Ast contrarium constat, ut vidimus ex Ivone, qui una cum nonnullis aliis episcopis post conventum Bangenciacum supplicavit apud Paschalem II. pro *dispensatione* adiiciens: « Dis» pensationum autem modus nulli unquam sapientum displi» cuit (146), » qui deinde plura adtexuit argumenta tum ex auctoritate tum ex ratione petita, ut persuadeat pontifici necessitatem, aut saltem congruentiam concedendi eiusmodi *dispensationem*.

Praeterea in hac eadem epistola circa finem Ivo aperte duas distinguit petitiones, quae fiebant pontifici, scilicet *dispensationis* ab impedimento consanguineitatis, et *absolutionis* ab excommunicatione. En eius verba: « Nostrae suggestionis summa est, ut imbecillitati hominis amodo, quantum cum

(144) Paulo ante verba retulimus chronici Virdunensis ad hoc evincendum.

(145) Sic enim prosequitur loc. cit. « *E la storia non ci parla più di dispenda* data pel matrimonio, ma di *assoluzione* da scommunica inferita al re Filippo ed a Bertrada per quaesto loro matrimonio, concessa sotto giuramento di separarsi. »

(146) Loc. cit. quibus alludit ad verba ex. S. Cyrillo relata a Paschali II. quaeque nos alias descripsimus.

salute eius potestis, condescendatis, (nempe circa dispensationem, de qua immediate ante disseruerat), et terram, quae eius anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.» Et haec circa absolutionem.

3. Erravit in eo quod affirmet, nonnisi valde sero coeperint dari ab apostolica Sede dispensationes matrimoniales, ut inde colligat ius dispensandi non ad Ecclesiam, sed ad civilem auctoritatem originarie spectare (147). Quidquid sit de facto, de quo mox dicemus, certum est persuasum quavis aetate in Ecclesia fuisse eiusmodi dispensationes exclusive ad apostolicam Sedem pertinere, nullo vero modo ad politicam potestatem. Id constat ex ipso Ivone aliisque episcopis, qui enixe adeo Paschali II. supplicaverunt, ut dispensationem concederet; constat ex ipso pontifice, qui animum inclinasset ad eam concedendam, si unanimi consensu episcopi Bangenciaci congregati convenissent ad eam petendam; ast pro maiori eorum parte noluerunt proprium iudicium proferre dicentes: « se » debere esse huius consilii comites et non duces (148). » Constat demum ex ipsa Philippi agendi ratione non ad principes laicos, sed unice ad summos pontifices pertinuisse dispensationem concedere, alioquin secum ipse dispensasset, ut evidens est.

4. Non minus erravit Nuytz, dum asseruit nonnisi sero valde coepisse ab apostolica Sede dispensationes matrimoniales concedi; siquidem nos harum relaxationum exempla attulimus ex sec. VI. videlicet a S. Gregorio M. in gratiam Anglorum recens ad christianam religionem conversorum (149), tum a Gregorio

(147) « Comunque sia, fatto è, che le dispense papali per ragion di matri- » monio, cominciarono tardissimamente. Ma quell'aspettare si tardy a dar di- » spense, e il cominciare a farlo *nelle dense tenebre* del medio evo, quando » la chiesa esclusivamente al civile legislatore governò la materia del matri- » monio, tanto pel temporale quanto per lo spirituale, non prova egli che il » diritto di dispensa *alla chiesa non appartiene ?* »

(148) Ivo ibid.

(149) Has perperam Nuytz in suspicionem vocat in sua tractatione *De matrimonio*, pag. 291. in nota, ut suo loco ostendimus.

II. aliisque pontificibus. Sero tantum datae sunt relaxationes *praeviae* matrimonio contrahendo, et quidem ob gravissimas causas, quas suo loco recensuimus. Consequentia, quam deducit Nuytz, digna est egregio professore eiusque praemissis (150).

Quod si Paschalis II. dispensationem expetitam non concessit, non ex defectu id contigit auctoritatis, sed ex eo quod iudicaverit illis in adiunctis non esse faciendam; et in hoc ostendit auctoritatem suam.

Atque haec necessario erant diligentius expendenda, ut satis faceremus Nuytz, qui eo adeo abusus est ad tribuendum dispensationum ius civili potestati.

Caeterum ex hoc tempore ita invaluit haec disciplina, ut non aliae fere relaxationes, quam coniugio praeviae a Rom. pontificibus darentur, ut constat ex ea, quam insequenti seculo Innocentius III. Othoni IV. imperatori dedit, aliisque, quas antea recensuimus.

Hic proinde redit argumentum, quod ita instauramus: si ad regiam imperialemve potestatem ius relaxandi leges matrimonium dirimentes spectaret, citra omne dubium principes nunquam passi fuissent, pontifices Romanos exclusiva ratione illud sibi vindicare, atque eo usi fuissent, quandoque in subditorum favorem, multo vero magis in proprium commodum, spectata praecipue summa interdum difficultate veniae a pontificibus obtinendae, eaque non raro aperte negata. Atqui tamen nunquam nec pro se neque pro subditis suis eiusmodi iure usi sunt principes, sed quoties opus fuit, ad apostolicam Sedem supplices libellos dederunt. Evidens igitur est eos agnovisse se nec ius istud aliquando habuisse, nec illud regiae auctoritati inhaerere. Contrarium nunquam evincent sive Launoius, sive eius gregales atque exscriptores falso eruditionis apparatu.

(150) Adeo eruditus est hic iuris canonici professor in Athenaeo Taurinensi, ut inter se card. Fleuryum cum ab. Fleuryo permiscuerit, ac Eugenium III. qui floruit aetate S. Bernardi, cum Eugenio IV. qui praefuit concilio Florentino, id est post aliquot secula floruit.

Restat igitur, ut, si quae datae sunt ab imperatoribus principibusque christianis relaxationes ad legitime ineundum coniugium, aliud eae non habuerint aut habeant obiectum, quam impedimenta civilia atque civiles poenas, quae in transgressores legum constitutae sunt; verum hae nunquam vinculum attingunt circa quod civiles leges nihil possunt.

Exinde et illud inferimus, quod, cum potestas relaxandi ab impedimentis relativa sit ad potestatem eadem constituendi, novum robur vimque maiorem accipiant, quae de auctoritate solius Ecclesiae ad exclusionem laicorum principum in superioribus articulis disputavimus in legibus matrimonium dirimentibus constituendis.

Atque haec de gravissimo hoc argumento sufficiant.

ARTICULUS IV. — Causae matrimoniales, quae vinculum respiciunt Matrimonii christiani, perperam civili christianorum principum foro adiudicantur.

Quidquid hac de re De Dominis, Launoius, eorumque exscriptores Nestius, Tamburinus, Litta protulere, Io. Nepomucenus Nuytz in compendium redegit. Hic auctor, qui se catholicum profitetur, postquam Pius IX. eius scripta damnavit, novo opere edito, ac veluti appellatione facta ad concives suos damnatas doctrinas adstruere, ac ipsum Rom. pontificem docere catholicam veritatem ausus est. Ea omnia, quae ad quaestionem praesentem faciunt, verbum verbo reddentes vertemus.

Assero matrimoniales causas ac sponsalium pactum natura sua ad forum civile pertinere.

Matrimoniales eae causae dicuntur, in quibus in disputationem venit vel matrimonii validitas, vel coniugum separatio tum relate ad distinctam solummodo habitationem, tum relate ad solutionem vinculi cum facultate novi ineundi coniugii.

Ut quaestio dirimatur ad quodnam forum huiusmodi causae pertineant, satis est hanc illarum definitionem inspicere. Ex data definitione patet non agi in his causis nisi de contractu eiusque effectibus.

Si oppugnatur coniugium ut nullum, ei opponitur impedimentum dirimens, quod exhiberi nequit, nisi constitutum sit vel a natura, civili lege idem recognoscente, vel ab ipsa lege civili, quae sola potest positiva ratione impedimenta huiusmodi constituere.

Si de coniugum separatione agitur, tunc in controversiam veniunt solutio vinculi ac separatio habitationis, quae omnia a lege civili sancita sunt.

In hisce omnibus agitur aut de obligandis vi coniugibus ut cohabitent, aut de iisdem ad separationem cogendis, aut de separatione alterutri concedenda, altero invito.

Tandem ab his causis dependent effectus civiles.

Nimirum agitur de coactiva executione legum civilium.

Atqui civilium legum nemo potest executionem urgere praeter unum civile regimen, quod eas constituit et servat. Imperium non amplius foret unum, supremum, plenum, indivisibile, si in executione legum suarum ab alia societate pendere deberet. Accedit quod executio coactiva esse nequeat negotium ad Ecclesiam spectans.

Ab iis, qui vellent harum causarum iudicium pertrahere ad forum ecclesiasticum, allegatur sacramentum. Ast sacramentum non alium praeter coniugum gratiam effectum producit. Quoniam vero eiusmodi gratia non confertur a coniugibus invicem, sed utrique a Deo, de hac nulla movetur lis. Ergo locum hic non habet sacramentum.

Confugitur pariter ad indissolubilitatem; verum et hoc frustra: siquidem indissolubilitas a naturali prius lege expetita sancitur a legibus civilibus, atque effectus est civilis coniugii. Igitur illius etiam executio ad forum civile spectat.

Adiicitur praeterea, quod debeat Ecclesia se in his immiscere ob conscientiae obligationem, ex qua coniuges cohabitare debent, neque se separare vel sola etiam habitatione possunt, absque gravi causa. Ita plane; verum in hunc finem habet Ecclesia forum internum, forum nempe poenitentiale.

Si conscientiae obtentu deberet Ecclesia se causis matrimo-

nialibus immiscere, rationis paritate deberet se ingerere causis etiam venditionis, locationis, testamentorum, verbo causae cuicumque; etenim quaenam causa fingi potest, in qua conscientiae vinculum locum non habeat? Attamen ipsa se in haec non ingerit, nisi per poenitentiae tribunal. Quod si dicatur indissolubilitatem coniugii iuris esse divini, in promptu responsio est; quod nempe etiam conscientiae vinculum, quod in caeteris quibusque causis reperitur, in divina lege fundetur.

Ast, inquiunt, si civile forum de validitate matrimonii aut de divortio diiudicat, periculum adest collisionis inter conscientiam ac civile iudicium: si iudex invalidum pronunciaret coniugium, quod Ecclesia habet ut validum, aut viceversa, illud validum diceret, quod invalidum dicit Ecclesia; infelices coniuges in foro civili ad id, quod est contra eorum conscientiam, cogerentur. Quae quidem collisio evitaretur, si iudicaret Ecclesia, quia forum externum, et forum internum ab unico iudicio penderent.

Sed qui ita disserunt, rem funditus non expenderunt, alioquin agnoscerent eiusmodi collisionem vitari non posse. Fac in foro ecclesiastico ob falsas probationes aliumve errorem, iudicem declarare invalidum matrimonium, quod reipsa tale non est, aut e contra; coniuges sibi conscii quod iudex erraverit in foro externo, iura quaedam haberent, quibus in interno conscientiae foro uti non possent.

Curia episcopalis dicet eos inhabitare posse ac debere; ast confessarius cui unusquisque coniugum seorsum manifestam facit veritatem denunciabit sententiam latam non esse iuxta veritatem, adeoque eosdem cohabitare simul non posse.

Iam vero in hac hypothesi quomodo coniuges rite se gerent? Si penes ipsos erit sententiam non exequi, exequi non debent; quod si in ipsorum potestate id non est, debent in conscientia acquiescere: quoniam aliter agere nequeunt, et iuxta rationem necesse est res tandem aliquando terminum habeant. Iam vero huiusmodi ratiocinatio aeque applicari potest casui in quo sententia a iudice civili denuncietur.

Interea, si quacumque ex parte oritur conflictus, eo melius patet iudicium ad quos spectat relinqui debere, nempe auctoritati civili.

Accedit quod ad Ecclesiam minime pertineat iudicare in foro externo sententia, quae per vim executioni mandanda sit, cum eius imperium sit in conscientias; ipsa limites suos transgreditur sic agendo, atque etiam amittit fiduciam, qua maxime eget. Si ipsa contenta esset iudicare in foro interno per suos confessarios, id nunquam accideret, quia qui ad eos recurrit, ille est qui vocem conscientiae experitur, atque utpote is, qui movetur animae suae salvandae desiderio, et cuius proinde interest pandere veritatem iudici seu confessario, cui se sistit, veritatem semper adamussim aperiet.

Et sane causae matrimoniales *semper* ad tribunalia civilia spectarunt. Quod si Ecclesia se in illas ingerere sategit, id contigit tantum medio aevo, tenebrarum scilicet tempore, quo Ecclesia tot modis extra proprios fines egressa, fines civilis invasit imperii.

Quod si aliquis modo opponeret canonem XII. conc. Tridentini sess. XXIV. responderem similiter ac respondi canoni IV. Dico igitur aut canonem non esse dogmaticum, aut loqui de potestate, qua usa est Ecclesia ex concessione civili.

Quod vero diximus de causis matrimonialibus, ad causas sponsalium applicari potest; imo et a fortiori; in causis enim matrimonialibus pretextus aderat sacramenti, at in sponsalibus prorsus deest. In sponsalibus omnia sunt temporalia; temporalis est contractus, temporalis obligatio illam exequendi, temporalis est obligatio damnorum: « temporale itaque etiam ac civile » sit iudicium necesse est, quo de hisce rebus pronunciatur. »

Hactenus Nuytz (151); singula nunc breviter perpendenda sunt.

Assertio eius prima est, quod inspecta causarum matrimonia-

(151) Op. cit. *Il professore Nuits ai suoi concittadini*, cap. VII. 1. a n. 218. ad 219. At bene vapulat a cl. Margotti in op. *Processo di Nepomuceno Nuytz*. Torino 1852.

lium natura, illico appareat, eas natura sua spectare ad forum civile, cum agatur de contractu eiusque effectibus. Ast eiusmodi assertio est *falsa*; nam agitur de sacramento, cum quo contractus naturalis identificatur, cum matrimonium christianum nihil aliud sit quam contractus naturalis ad dignitatem sacramenti evectus. Cum igitur agatur de sacramento, causae matrimoniales natura sua ad illud forum exclusive pertinent, cui Christus demandavit sacramentorum suorum dispensationem, nempe ad Ecclesiam (152). Neque aequiparari potest contractus coniugalis institutionis divinae, ac omnino spiritualis cum contractibus quibus emitur bos, aut ovis, aut asinus.

Altera assertio, quod impedimentum dirimens non possit constitui nisi a natura, recognita a civili lege, aut ab ipsa lege civili, quae *sola* possit ciusmodi impedimenta constituere, est *haeretica* utpote contradictoria canonibus III. et IV. concilii Tridentini, atque ut talis notata et damnata est in dogmatica constitutione *Auctorem fidei*, in propositione LIX. pseudosynodi Pistoriensis, a qua auctor noster eam est mutuatus, quin aliud adiiciamus.

Tertia assertio, quod vinculi solutio, et separatio habitationis sint a lege civili sancitae, *falsa* est, si intelligatur auctoritate originaria potestatis civilis, et non de sola executione canonum; nam hoc excedit fines politicae auctoritatis, quae ad solutionem vinculi non sese extendit, utpote divini iuris, ut ostendimus; idem dic de separatione quoadtorum et habitationem, quae res conscientiae est, et a sola Ecclesia pendet eiusmodi sanctio.

(152) Hoc ipse vidit Calvinus, qui propterea, uti initio huius secundi libri adnotavimus, scripsit *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 37. « Ubi id semel obtinuere » (pontificii) coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res » spiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda. » Id ipsum vidit Mirabeau celebris incredulus, qui in sua *Monarchie prussienne*, tom. VII. pag. 83. ex definitione concilii Tridentini concludit : « Si verum est matrimonium esse sa- » cramentum, causae omnes matrimoniales unice spectant ad iurisdictionem » Ecclesiasticam. Ecclesia est, cuius hierarchia pariter iuris divini est, quae » debet statuere rationem iudicandi causas suas. Velle fingere diversa iura » hierarchiae christianae, est ausus maximus potestatis publicae adversus po- » testatem religiosam.»

Esto quod agatur de cogendis coniugibus, aut ad cohabitandum, aut ad se ab invicem separandos: non inde sequitur, hos meros civiles effectus esse, aut ad solum politicum regimen referendas leges, quae duo illa constituant, adeoque agi de legum civilium executione. Hae siquidem omnes ratiunculae sunt innixae quartae assertioni adversarii nostri, quae *haereticalis* est, atque uti talis non semel ab apostolica Sede confixa.

Haec autem quarta assertio est, quod executio coactiva sit negotium ad Ecclesiam non spectans. Porro, ut diximus, doctrina haec uti haereticalis proscripta est a Pio IX. in Brevi edito adversus auctorem nostrum, atque his verbis expressa: *Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere* (153); proscripta item fuit a Pio VI. in allegata constitut. *Auctorem fidei* in propositionibus IV. et V. synodi Pistoriensis, quae ita se habent :- IV. « Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde,* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis.* » Quatenus indeterminatis illis verbis : *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius » potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in » disciplina exteriore constituenda et sancienda. *Haeretica.* »-V. « Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae » pendent a persuasione. Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coërcendi, atque cogendi.* - Ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas* anni » 1755. primatis, archiepiscopis et episcopis regni Poloniae- » *inducens in systema alias damnatum ut haereticum.* » Omisso porro Brevi Bened. XIV. damnata iamdiu haec ipsa doctrina

(153) In cit. *Damnationc operis , cui titulus; Iuris etc.* die 22. Augusti 1851.

fuit a Ioanne XXII. in Ioanne a Ianduno, constitutione dogmatica *Licet iusta* ut haeretica (154). Et haec nobis adnotasse sufficiat adversus eum, qui se catholicum profitetur. Neque enim nobis in animo est hunc specialem errorem refellere, quod plures alii egregie praestiterunt (155), nec huius loci est.

Assertio quinta, quod sacramentum non alium producat effectum quam gratiam, id est, ex adversarii mente, quod sacramentum extrinsecum sit contractui coniugali, eique superveniat accedatque, est pariter *falsa* atque a Pio IX. in suo Brevi his verbis damnata : « Plura quoque de matrimonio *falsa* asse-» runtur... Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contrac-» tui accessorium, ab eoque separabile. » Et merito. Siquidem adeo intimum est in coniugiis christianorum sacramentum contractui, prout suo loco ostendimus, ut sine sacramento contractus ipse nuptialis nulla ratione subsistat. Adversarii ideirco

(154) Apud Raynaldum ad an. 1327. n. XXXII seqq. quibus prius Rom. pontifex confutat ex sacris litteris, ex SS. Patribus, et praxi ipsius Ecclesiae hanc, qua de agimus, doctrinam ; demum n. XXXV. sic eam proscribit : « Ultimo quod » Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sce-» leratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator donet eis auctorita-» tem, velut sacrae Scripturae contrarios (hunc et quatuor alios praecedentes » articulos), et *fidei catholicae inimicos, haereticos, sive haereticales et erroneos;* » nec non et praedictos Marsilium et Ioannem (Ianduuum), immo haeresiar-» chas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus ; articulosque ac » libros praedictos, nec non et quamcumque aliam scripturam continentem » eosdem ; praedictos quoque Marsilium et Ioannem, ut haereticos manifestos » et notorios, immo ut haeresiarchas potius reprobamus et sententialiter con-» demnamus. Si quis enim doctrinam praedictam defendere vel approbare » praesumpserit, cuiuscumque dignitatis, ordinis, aut status tanquam haere-» ticus confutetur. » Viderit nunc *Nuytz* aut *Nuyts* (siquidem sibi nomen immutavit) num in horum censum ipse veniat.

(155) Cf. Mamachi *Del diritto libero della Chiesa* lib. II. par. II. cap. 3. §. 5. Bianchi *Dell' esterior polizia della Chieza*, tom. III. cap. I. §. 3. item cap. V. §. 2. et tom. IV. lib. II. c. 4. §. 1 seqq. Zacharia Dissert. XXVI. *Sulla potestà regolatrice della disciplina*, part. III. art. 2. in *Raccolta di dissertaz. di storia ecclesiastica*, tom. IV. pag. 597 seqq. Phillips *Du droit ecclesiastique*, tom. II. §. CXII. 2. *Indépendance de l'Église dans sa puissance législatrice et jurisdictionnelle ;* item Margotti op. cit. *Processo di Nepomuceno Nuytz* §. VII. *Potestà della Chiesa*. Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale*, dissertaz. VII. §. III. n. 1482. *Potere coattivo della chiesa*. Roma 1855.

falsa hypothesi sublata, concidunt ea omnia, quae ipse superstruxit. « Dogma etenim fidei est, inquit Pius VI. in litt. ad » episcopum Motulensem, ut matrimonium, quod ante adventum » Christi nihil aliud erat, nisi indissolubilis quidam contractus, » illud post Christi adventum evaserit *unum ex septem legis* » *evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum.* »

Assertio sexta, quod indissolubilitas coniugii christiani a naturali lege ut prius expetita sanciatur a legibus civilibus, atque effectus sit legis civilis, est *falsa* et haeretica ; *falsa* quia a Deo ipso in coniugio protoparentum constituta fuit, ac demum a Christo ipso confirmata illis verbis : *quod Deus coniunxit, homo non separet*, uti declaravit conc. Tridentinum (156) ; *haeretica*, quia adversatur canonibus V. et VII. eiusdem concilii, quibus omnimoda matrimonii christiani consummati indissolubilitas adstruitur. Alioquin si indissolubilitas a sanctione legis civilis penderet, ab eadem penderet eiusdem dissolubilitas.

Assertio septima, quod satis sit Ecclesiae habere forum poenitentiale, sive internum ad causas matrimoniales discutiendas ac dirimendas una cum congerie superstructarum consecutionum, est pariter *falsa* et *haereticalis*. *Falsa* quia est contra factum ; *haereticalis* quia est contra ius. Itaque primo est contra factum ; exploratum enim est Ecclesiam quovis tempore, etiam sub imperatoribus ethnicis, praeter forum conscientiae sive internum habuisse suum forum externum, in quo tum causae matrimoniales, tum reliquae omnes iuxta propriam uniuscuiusque naturam discutiebantur ac dirimebantur, executionique mandabantur, saltem prout rerum ac temporum adiuncta aetate illa patiebantur. Huius rei suppetunt documenta antiquissima in Tertulliano (157), in S. Cypriano (158), in canonibus apos-

(156) In *Doctrina de sacramento matrimonii* praemissa canonibus.

(157) *Apologet.* n. 39. « Ibidem etiam exhortationes, inquit, *castigationes* » *et censura divina*. Nam et *iudicatur* magno cum pondere, ut apud certos de » Dei conspectu ; summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deli- » querit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti com- » mercii relegetur. » Ed. Rigalt.

(158) Ep. LV. ad Cornel. et Maur. « Nam cum statutum sit ab omnibus no-

tolicis (159), in concilio Antiocheno (160), et quidem quoad priora tria secula et quarti seculi initia; nam quoad secula insequentia a nemine existentia eiusdem externi ecclesiastici fori iure in dubium revocari potest, in quo causae eae omni, quae necessaria est, auctoritate ac *formalitate*, quam vocant, una cum coactiva sententiae executione discussae sunt ac iudicatae(161); sed praeterea, ut diximus, haec adversarii assertio est *haereticalis*, quia impetit ius de fide assertum adversus Marsilium Patavinum, et Ioannem Iandunum a Ioanne XXII. qui ipsorum errorum circa potestatem coactivam Ecclesiae in foro externo ut *haeresim* damnavit, ut constat ex recitatis eius constitutionis verbis. Hancque eamdem haereseos notam adversus eumdum errorem inussit

» bis, et aequum praeter ac iustum, ut *uniuscuiusque causa illic auditatur*, ubi » erit crimen admissum... oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare... sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes » sui criminis possunt.» Et paulo post ibid. subdit :« Iam causa eorum cognita est, » iam de eis *dicta sententia* est, nec censurae congruit sacerdotum mobilis » atque inconstantis animi levitate reprehendi. » Ex quibus patet nihil deesse ad verum ac formale in foro externo iudicium; rei, testes, agitatio causae, sententiae prolatio, executio.

(159) Can. LXVI. « Episcopum de aliquo ab homine fide digno ac fidelibus » accusatum oportet vocari ab episcopis. Et si quidem occurrerit, ac respon- » derit; cum fuerit convictus, *poena definiatur*: sin vero vocatus non paruerit: » vocetur iterum, missis ad eum duobus episcopis: si autem vel sic non pa- » ruerit, vocetur etiam tertio, duobus rursum episcopis ad eum missis: quod si » etiam sic, aspernatus non advenerit; synodus *adversus eum pronunciet*, quae » videbuntur, ne iudicium detrectans videatur lucrum facere. » Edit. Coteler. tom. I. *Patrum apostolic.*

(160) Can V. ex Collect. Rom. Holstenii p. I. p. 229. et apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 595.

(161) Si quis cupiat haec documenta magna copia reperire, adeat Bianchi op. cit. tom. III. lib. I. cap. 5. §. 2. n. 7 seqq. ubi etiam egregius auctor refellit Morinum, qui in insigni opere *De administr. sacram. poenitentiae*, lib. V. n. 26. totus in eo est, ut evincat per plura secula non fuisse in Ecclesia distinctum forum externum et contentiosum a foro interno ac poenitentiali. Cf. item tom. IV. lib. II. cap. 4. §. 1 seqq. ubi adversus Giannone ex *Constitutionibus apostolicis* ostendit ordinem, quem tenuit servavitque Ecclesia in puniendis delinquentibus. Cf. etiam Mamachi op. cit. *Del diritto libero della Chiesa*, tom. II. part. II. pag. 127 seqq. Sed quod magis ad rem facit adversus Nuytz, cf. Bingham auctorem protestantem *Origin. seu antiquit. ecclesiast.* vol. II. lib. V. §. 4. et rursum tom. IX. lib. XXII. cap. V.

Pius VI. in const. *Auctorem fidei* adversus Pistorienses, quin necesse sit eadem referre.

Nunc vero quod attinet ad congeriem consecutionum, uti vocavimus, quas adversarius argumentationi suae superstruxit, seu verius ex ea deduxit, satis est analysi instituta, eius paralogismos detegere.

Primus paralogismus est, ex nostra doctrina, id est ex doctrina catholica, sequi ob paritatem rationis, posse Ecclesiam se immiscere in omnibus contractibus, quia et hi conscientiae obnoxii sunt, cuius moderatrix Ecclesia est. Utique causae contractuum iudicio Ecclesiae subsunt; cum agitur de ethica, seu morali aut immorali illorum natura, seu ratione discutienda, cum Ecclesia non minus sit magistra in ordine ad fidem quam in ordine ad mores. Caeterum non inde sequitur parem esse rationem reliquorum contractuum, qui iniri solent in societate civili et contractus connubialis, qui habet praeterea rationem sacramenti, immo et cum quo una eademque res est, quod profecto in caeteris contractibus locum non habet, ut alia discrimina silentio premam (162).

Alter paralogismus in eo consistit, quod professor noster permisceat ea, quae *ex accidenti*, ut aiunt, contingere possent in quocumque humano iudicio, cum iis, quae necessario oriuntur ex collisione iurium. Si enim civilis codex adversetur iuri canonico, ut saepe contingit, his praesertim temporibus, eiusmodi collisiones oriuntur ex ipsa intima rei natura. Finge probatam in Subalpino senatu fuisse legem de matrimonio pure civili; innumerae prope illico collisiones obortae fuissent vi

(162) Ut pateat ex quo fonte hauserit Nuytz hanc doctrinam suam, non me piget hic describere verba Launoii, qui in cit. op. *De regia etc.* p. I. art. I. c. 9. haec habet: « Eadem est ratio contractus matrimonialis, quae venditionis, aut » emptionis.» Et iterum ibid. art. 3. cap. 12. ex illo principio infert illud ipsum quod deinde intulit eius exscriptor, quod cum clerici nullam potestatem habeant « in iis, quae per se cum ad officium naturae, tum ad officium communi- » tatis pertinent, *sic ius non habent* reddendi personas inhabiles ad utrumque » officium, quod ordinis mere naturalis est, nec de seipso ad supernaturalem » finem tendit. » Launoius autem id acceperat ab apostata De Dominis.

ipsius legis contrariae iuri seu legi Ecclesiasticae, et sic de pluribus aliis dici debet, quae longum ac odiosum etiam esset enumerare. Per accidens vero est, quod error circa factum contingat.

Tertius paralogismus professoris seu profligatoris iuris canonici in eo consistit, quod non modo non probavit, sed ostensum est esse falsum, quod ipse assumit, ad forum nempe civile spectare iudicium causarum matrimonialium. Nos eadem ratione potiorique iure concludere possemus: quandoquidem quacumque ex parte necessario oritur conflictatio; ergo debet indicium relinqui ad quem spectat, nempe ad iudices Ecclesiasticos, ut definivit Tridentinum.

Reliquas duas assertiones non moror, cum non sint nisi repetitiones eiusdem crambes de vi coactiva Ecclesiae; nec quidquam dico de gratuita illa affirmatione, immo falsa, quod *semper* causae matrimoniales ad tribunalia civilia spectarint, cum dicere debuisset *nunquam*; sed dura frons non erubescit. Sic etiam quod adiicit de usurpatione Ecclesiae tenebricoso medio aevo non est eius adinventum, sed desumpsit ex Launoio, qui suo ordine desumpsit ex apostata De Dominis, ex quibus deinceps alii exscripserunt ac ingeminare non erubuerunt, ut alias animadvertimus.

Sic neque novum eius est inventum, quod repetit ad obiectam canonis XII. Tridentini auctoritatem eludendam, nempe aut illum non esse dogmaticum, prout affirmaverat de canone IV. aut loqui concilium in suo canone de usu Ecclesiae ex concessione civili. Siquidem et haec mutuatus est Nuytz a magistris suis apostata De Dominis et larvato lutherano Launoio, quorum fidissimum constanter discipulum se exhibet. Licet vero in aliis regionibus iamdiu haec obsoleverint, ipse tamen adhuc obtrudit Subalpinis. Attamen utrumque assertum falsum est, ut patet ex censura sub nota *haereticali* inflicta a Pio VI. in toties citata constitutione *Auctorem fidei* propp. LIX. et LX. synodi Pistoriensis.

Sed quod mirum est, refellitur Nuytz ab ipso Paulo Sarpio, qui in sua historia concilii Tridentini pro more suo, alieno ore carpens definitiones a concilio editas, cum pervenit ad can. XII.

scribit: « Absurdum fuisse visum politicis *constitui articulum fidei*, causas ad matrimonium spectantes pertinere ad iudices » ecclesiasticos (163). » Ergo cum hic canon editus est, omnibus persuasum fuit illum esse plane dogmaticum; quomodo igitur postea naturam immutavit, ut evaderet disciplinaris? Rursum: quomodo definivit consilium sub anathematis interminatione causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare, si principes huiusmodi revocando concessionem, ipsum canonem falsum reddere potuissent?

Tándem quae de sponsalibus addit, errorem continent in Bulla, ut diximus, Pii VI. iamdiu confixum; quia, etsi sponsalia sacramentum non sint, ad sacramentum tamen referuntur eique subiacent, ut suo loco exposuimus.

Interim ex hactenus discussis patet quam verum sit, eos qui non contenti limitibus illis, quibus civilis auctoritas continetur circa causas matrimoniales, vellent eidem tribuere, quod proprium Ecclesiae est, ad eamque exclusive pertinent, inniti assertionibus *gratuitis*, *falsis*, *erroneis*, *haereticalibus*, *iamdiuque ab Ecclesia proscriptis;* fierique nulla ratione potest, ut in eas non impingat quicumque idem propositum persequi velit.

## CAPUT III.

### De civili potestate principum infidelium relate ad Matrimonium.

Articulus 1. — Principes infideles ius non habent constituendi impedimenta matrimonium infidelium dirimentia, suisque legibus nullatenus vinculum attingere possunt.

Quamvis instituti nostri ratio postulet, ut de civili potestate loquamur relate ad matrimonium *christianum*, saepius tamen ob rerum nexum de coniugio etiam infidelium deque infidelium principum in illud potestate innuere aliquid debuimus. Revera

(163) Cf. apud Pallavicin. *Hist. conc. Trid.* lib. XXIII. cap. IX. n. 11.

de matrimonio christiano agi complete non potest, nisi etiam seposita sacramenti ratione, infidelium matrimonium in sua relatione ad civilem potestatem spectetur. Nos vero tum in hoc, tum in priore libro palam professi sumus ipsum infidelium matrimonium a civili lege quoad vinculum non pendere, nec dirimi posse : sed modo plenius atque directe haec sententia vindicanda est.

Haud ignoro plerosque sive theologiae moralis institutores, sive iuris utriusque interpretes communi pene calculo docere posse principes infideles suis legibus irrita facere infidelium subditorum coniugia (1). Immo nonnulli adeo progressi sunt, ut ius istud infidelibus principibus tribuerint in suos etiam subditos fideles (2). Exinde vero collegerunt veluti corollarium in suo contentum theoremate etiam principes fideles hac frui potestate in fideles subditos; etsi postea concedant posse hoc illis ab Ecclesia ius adimi ac sibi soli vindicare; aut saltem principes fideles pro sua erga Ecclesiam pietate hoc ius in Ecclesiae favorem cessisse, ut suo loco vidimus (3).

Fateor, me nunquam potuisse huic sententiae acquiescere; scilicet de iure seu auctoritate principum infidelium sanciendi leges, quibus suorum subditorum infidelium coniugia nulla redderentur. Multo vero minus potui animum adiicere caeteris recensitis sive theologorum sive iurisperitorum placitis, ut ex

(1) Sanchez *De matrim.* lib. VII. disp. III. n. 5. Schmalzgrueber *Ius can.* lib. IV. tit. 1. *De sponsal.* n. 364. Carrière *De matr.* part. III. n. 349 seqq. Qui recensent alios auctores pro hac sententia.

(2) Sanchez loc. cit. n. 7. ubi aperte scribit : « Id vero monuerim, fideles » subditos infidelibus principibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, ad- » stringi legibus eorum iustis irritantibus matrimonium in omnibus iis casi- » bus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo dirimenti » impedimento contrahant, *erit nullum matrimonium.* Quia ratio sacramenti » *superaddita* matrimonio fidelium, non impedit in principibus potestatem » impedimenta dirimentia statuendi. » Quam abusi sint Sanchezii auctoritate non pauci recentiores, satis notum est.

(3) Iterum Sanchez loc. cit. n. 2. Id ipsum docet Drouin *De re sacram.* lib. IX. cap. I. §. II. *Dico* 2 et 3. aliique passim, qui id inferunt ex generali principio de insita principatui auctoritate in matrimonia.

huius lucubrationis decursu facile colligi potest. Postquam vero animadverti abusum istiusmodi sententiae ex parte tot regalistarum ac pseudo-politicorum, magis iugiter ac magis eam aversatus sum.

Ne tamen quispiam mihi succenseat, quasi velim civilem potestatem ultra debitum coërcere, nonnulla veluti lemmata hic subiiciam, quae patefacient me Caesari illud reddere quod Caesaris est.

Ac *primo* facile assentior, leges principum etiam infidelium, quae sancitae fuerint in commune societatis bonum, quaeque non adversentur sive iuri naturali sive divino, obstringere subditos in conscientia, adeo ut isti nequeant illas sine peccato infringere. Hoc enim aperte docet Apostolus generalibus illis verbis: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est » enim potestas nisi a Deo : quae autem sunt, a Deo ordinatae » sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui » autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo ne- » cessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam » propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis... Red- » dite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal, » vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem (4).» Quibus consonant quae habet Apostolorum Princeps (5): Et ante omnes Christus Dominus dicens: « Reddite ergo quae sunt » Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo (6). » Sermo porro in his est de principibus infidelibus.

*Secundo* et illud ultro profiteor, vim suam horum principum leges habere, non modo quum aliquid decernunt iuxta legem naturalem ac divinam, verum etiam cum aliquid sanciunt, quod sit praeter legem naturalem ac divinam positivam, quae profecto non pauca sunt, quot nempe utraque lex nec praecipit nec vetat.

(4) Rom. XIII. 1-7.
(5) I. Petr. II. 13.
(6) Matth. XXII. 21.

Immo *tertio* addo, posse principes infideles contractus, qui adversentur publico ac sociali bono, rescindere, conditionesque apponere, quae nisi serventur, reddantur nulli seu nullius effectus actus subditorum, ut patet in contractibus pupillorum sine tutorum consensione, in testamentis aliisque id genus, quibus ius Romanum redundat (7).

Qui etiam, ut ad rem propius accedam, *quarto* et id libenter tribuo, posse principes infideles subditis suis infidelibus illa omnia circa nuptias praecipere, quae in bonum societatis, et ad publicam morum honestatem conducunt. In quem finem non solum possunt *prohibere* nuptias, quas noxias habent, sed praeterea decernere poenas in legum, quae connubium attingunt, transgressores, eosque privare *civilibus* effectibus ipsius connubii, eosque ut innuptos habere.

Quibus admissis, quae certa ac ineluctabilia sunt, ad vinculum quod attinet coniugale seu nexum, quo contrahentes foedere perpetuo iunguntur, longe verisimilius censeo, principes infideles etiam in subditos suos infideles nullum prorsus ius habere, nullaque frui auctoritate, ex qua fiat ut valide aut invalide coniugium contrahant. Arbitror nullius vis leges esse, si quas tulerint, ad infirmanda coniugia, si illas excipias, quae ipsum confirmant naturae ius, seu quibus vetant aut irritant illas ipsas nuptiales coniunctiones, quae iam nullae ac irritae forent lege ipsa naturali, aut divina. Qua in hypothesi haud irritae eiusmodi nuptiae redderentur vi civilis legis, sed legis naturae, aut divinae (8).

(7) Cf. Biner *Apparatus eruditionis ad iurisprudentiam*, part. I. *De iure in genere*, cap. I. seqq. Quamquam non desint theologi, qui id aut in dubium revocent, aut omnino negent. Cf. apud card. De Lugo *De iustitia et iure*, disp. VII. sect. I. et *De contractibus in genere*, disp. XXII. sect. IX item Lessium *De contract. in genere*, lib. 2. c. 17. *Dubit.* IV.

(8) Quamquam et illud animadvertere praestat incertam esse principum iuris naturalis interpretationem; nec enim ipsi infallibilitate fruebantur, immo saepe errarunt in huius naturalis legis interpretatione, et quidem gravissime; interdum enim censuerunt aliquod adversari legi naturae, nec tamen adversabatur; interdum aliquid conforme eidem legi iudicarunt, quod tamen constat ipsi

Argumenta pro hac doctrina ad tria praecipue revoco, prout eam specto *primo* relate ad Deum, *secundo* relate ad Principes; *tertio* relate ad matrimonii naturam. Haec singillatim enucleare iam adgredior maiori qua potero perspicuitate.

Atque ut a Deo ordiar; certum est Deum ipsum, ut alias saepe adnotavimus, instituisse coniugium ante protoparentum lapsum, duasque praecipuas unitatis atque indissolubilitatis proprietates coniugio affinxisse. Quo facto ostendit vindicasse sibi eiusmodi connubialem unionem ante cuiusvis publicae societatis conventionem. Cum igitur ex iure divino positivo sit anterior coniugalis contractus qualibet sociali constitutione, quovisque civili consortio, patet societatem seu principes civiles vinculum coniugale, ex quo velut ex fonte connubialis societas dimanat, attingere haud posse utpote rem prorsus divinam.

Sane Deus tum in lege naturae, tum in lege scripta, tum in lege denique evangelica intimum hoc coniugum vinculum moderatus est, ordinavit, rexit. Siquidem Deus ipse leges sancivit, quibus legitimum haberetur.

Haud me latet reponi posse, Deum matrimonii naturam proprietatesque determinasse, at simul aliquid, quod ad ipsum

adversari. Quod innumeris prope exemplis tum ex legibus antiquiorum legislatorum, tum ex ipso iure Romano demonstrari facile posset, praesertim circa connubiale foedus, circa divortia etc. A quonam sane principes constituti sunt interpretes et iudices iuris naturalis? Poterant itaque errare principes, prout reipsa saepe errarunt, quemadmodum potuerunt errare privati, saepiusque errarunt. Vel ipsa infidelitas, idololatria, polytheismus nonne adversantur legi naturae? Nonne pugnant cum recta ratione? Attamen et principes et subditi turpiter in illis hallucinati sunt, perinde ac in foecundis consecutionibus, quae ex idololatria promanant. Quid igitur nobis nonnulli obtrudunt necessitatem alicuius interpretis authentici legis naturae in matrimoniorum negotio, ut evincant principibus infidelibus ius convenire in vinculum coniugale?

Hoc vero dictum est, ut aiunt *ad hominem*, nec enim inficiamur principes, quamvis infallibilitate praediti non sint in legis naturalis interpretatione, posse leges condere ad ea determinanda, quae a iure naturali aut divino determinata non sunt, neque adest Ecclesia, ad salutem reipublicae. Itaque illud unum refellere intendimus, quod aliqui afferunt ad adstruendum, ut diximus, ius principum in matrimonii vinculum.

Cf. Martin *De matrim.* part. II. p. 74.

vinculum refertur, indeterminatum legi reliquisse, adeoque principem nihil quidem statuere posse contra id, quod divinitus sancitum est, at suis legibus aliquid posse addere, ac naturalem libertatem, ut in aliis, ita etiam in matrimoniis iungendis restringere. Iam vero eo ipso quod Deus quaedam indeterminata reliquit, necessaria esse videtur publica auctoritas, quae saltem determinet ac definiat ea, quae naturali lege non satis constant. Quis enim determinet quinam gradus consanguinitatis, quivis error vel consensus defectus matrimonium dirimat? Num privatus quisque? Id nemo dicet: ergo ad auctoritatem publicam pertinere divino iure dicendum est.

At facilis responsio. Duplex enim vel ab ipso humanae societatis initio divinitus constituta est auctoritas, sacra et civilis; et ipsa rei natura postulat, ut hominum societas duplici hac auctoritate regatur. Iam vero matrimonii vinculum, ut res natura sua sacra et spiritualis, nullatenus ad civilem, sed ad sacram auctoritatem spectat. Si quod ergo Deus indeterminatum reliquit, si qua ulterior necessaria sit legislatio, quae non meros civiles matrimonii effectus, sed ipsum vinculum afficiat, id omne natura sua pertinet ad sacram illam auctoritatem, quae Dei nomine sacrum ac religiosum matrimonii contractum moderetur, adeoque omnis legislatio de matrimonii vinculo a Deo ipso sive immediate sive mediate, per sacram auctoritatem profiscisitur.

Ad haec accedit, quod Deus in coniugii institutione adumbrare sibi proposuerit, immovero etiam significare futuram Divini Verbi sui incarnationem, uti declarat Apostolus (9). Hinc illud ut signum sacrum rei sacrae instituit, quocirca a nulla humana potestate attingendum. Hoc vero signum in vinculo praecise constitit seu nexu, quo duo coniuges unum inter se fiunt inseparabili prorsus ratione, prout inseparabilis coniunctio facta est Verbi cum assumpta humanitate. Quod quidem expressum est illis verbis: *et erunt duo in carne una* (10). Quomodo igitur

(9) Ephes. V.

(10) Hoc perbelle Moyses passim insinuat, dum in legibus divinitus datis,

poterunt principes sacrum hoc signum suis legibus attingere, ut auctoritate sua validum aut irritum faciant?

Praeterea a Deo ordinatum est coniugium ad procreandos homines, viventes scilicet sui ipsius imagines, qui fierent aliquando haeredes coeli et incolae supernae illius civitatis, cuius fundamenta non homo sed Deus ipse posuit (11). Quum proinde ad finem adeo sublimem, seu supernaturalem Deus primario saltem direxerit suam hanc coniugii institutionem in ipso statu paradisiaco, profecto dependentem eam minime effecit ab hominum potestate ac arbitrio, ita ut ipsi possent legibus suis Dei opus aliqua ratione evertere aut labefactare, atque ipsius firmitas aut inanitas ab hominis voluntate penderet, tanquam res politicae potestati subiecta.

Sive igitur spectemus coniugii institutionem a Deo factam eiusque moderationem ; sive arcanum mysterium quod in eius institutione Deus adumbravit ; sive demum finem supernaturalem, ad quem illud ultimo destinavit, patet omnino voluisse Deum, ut illud ab humana voluntate ac potestate nullo prorsus modo penderet, ac proinde nullum principem potestatem habere in illius valorem aut infirmitatem. Et haec quidem ex parte Dei.

Ex parte Principis id ipsum efficitur; nimirum principes generatim suis legibus vinculum attingere, ac nominatim impedimenta dirimentia constituere non posse. Nam potestatis civilis obiectum est bonum commune subditorum prout *cives* sunt et membra, societatis, cui potestas ipsa praest, quamque regit ac moderatur. Totum idcirco eiusmodi obiectum externum est, non autem internum ac individuale, quod ab humano principatu

non alia phrasi uti consuevit ad significandum maritum et uxorem quam voce *Tu*. Ex. gr. Deut. V. 14. « Non facies in eo ( die sabbati ) quidquam operis *tu* » et filius tuus et filia, servus et ancilla etc. » XII. 18. « Comedes ea... *tu* et » filius tuus et filia tua et servus etc. » Levitic. XXV. 6. « Erunt vobis in cibum » *Tibi* et servo tuo etc. » Et ita porro quasi nempe ageretur de una eademque persona cum agitur de viro et uxore.

(11) Hebr. XI. 10.

nec directe neque indirecte potest attingi, utpote humanae directionis incapax, cum soli Deo atque conscientiae pateat. Hinc leges mere humanae poterunt quidem actus externos civium relationesque sociales civium sive inter se, sive cum principe ipso afficere; poterunt quae publicam aut privatam morum honestatem, quietem ac tranquillitatem felicitatemque temporalem subditorum attingunt promovere, atque amoliri, quae illis adversantur; poterunt in delinquentes poenis animadvertere, ac si quae alia sunt huiusmodi. Intra hunc cyclum tota coarctatur humana potestas; extra ipsum iam non poterit excurrere, quia materia se subtrahit illius obtutui, nec humanarum legum obiectum esse potest (12).

Iam vero coniugii vinculum, unde oritur societas coniugalis, totum internum est, atque ad conscientiae forum unice spectat; ab actu mere interno voluntatis enascitur, cui nulla humana potestas, si desit, supplere potest, ut in caeteris contractibus rerum externarum, quae humanae dispositioni et auctoritati subesse possunt, cuiusmodi ex. gr. essent contractus emptionis, venditionis, locationis, bonorum pupillorum, praescriptionis, aliorumque id genus plurima, de quibus lex decernere valet ob commune societatis bonum (13). At talis non est actus

(12) Cf. Biner op. et loc. cit. p. I. c. I. q. 3. concl. 2. ubi inter caetera scribit: « Disparitas desumenda est ex fine utriusque potestatis, ecclesiasticae » scilicet et politicae. Illa siquidem pro fine habet rectam gubernationem eccle» siasticae reipublicae in ordine ad finem supernaturalem, beatitudinem nempe » aeternam: ad quem finem actus interni cumprimis opportuni sunt et neces» sarii. Finis vero potestatis et iurisdictionis politicae est recta gubernatio rei» publicae secularis in ordine ad felicem eiusdem statum quoad externa pro» curandum et conservandum: ut nempe per salubres leges pax et tranquillitas » civium foveatur, administretur iustitia, nemo ab altero laedatur, et suum » cuique tribuatur. » Quod deinde fuse prosequitur, solvitque difficultates, quae huic principio adversari videntur; ostenditque neque *directe* neque *indirecte* humanum legislatorem cum externis posse actus internos praecipere aut prohibere. Sufficere vero ei consensum internum in contracta *iure naturali* requiri ne contrahens mentiatur, ac alterum decipiat.

(13) Id patet ex disparitate ingenti, quae intercedit inter caeteros contractus et coniugium. Illi enim sunt omnino temporales, nec per se ad bonum hominis spirituale spectantes, quique nullo iure divino, sed ab hominibus tantum sunt

quo quis assentitur ad se vinculo connubiali cum altero arcto adeo nexu coniungendum, ut exinde unum quadantenus cum alio efficiatur, tradendo alteri corporis sui cessionem, et vicissim alterius cessionem acceptando, unde iura et officia mutua exoriuntur.

At adversarii, missis philosophicis quaestionibus circa obiectum civilis potestatis, ad historiam matrimonialis legislationis provocant. Frustra, inquiunt, contenditur matrimonii vinculum civilis potestatis obiectum esse non posse: contra factum argumenta nil valent. Iam vero factum est monumentis omnigenis iurisprudentiae consignatum, paganos principes consuevisse leges ferre, quae matrimonii vinculum attingerent, conditionesque statuisse, quibus deficientibus irrita prorsus ac nulla essent coniugia, seu aliis verbis impedimenta, quae nos dirimentia vocamus, principes suis legibus constituisse.

Ut huiusmodi difficultas penitus evertatur, nos reponimus principes suis legibus, quibus adversarii tantopere fidunt, matrimonia non modo non irritasse, sed neque in animo id habuisse, neque tentasse.

Sane: illud infideles principes efficere non potuerunt, immo nec tentare, cuius nullam habebant *ideam*. Deficiente enim idea quidpiam fieri nequit aut tentari. Porro haec idea irritationis *vinculi* coniugalis destituti omnino erant principes infideles. Haec enim idea de irritatione foederis *coram Deo et in foro conscientiae* tota christiana est. Veteres ne suspicati quidem aliquando sunt, aliquem actum conscientiam maculare ac sontem coram Deo efficere, qui eum poneret et quidem occulte, ex eo quod impingeret in legem a principe sancitam. Iam vero si exerceretur connubium, quod irritum quoad vinculum est,

instituti, secus ac sit foedus connubiale, ut vidimus. Adeoque potest plura princeps decernere circa illos contractus ac etiam irritos facere utpote potestati eius obnoxios, ad commune bonum, ad iustitiam et aequitatem servandam, non autem idipsum potest circa matrimonium, quod et in se et ratione finis altioris longe ordinis est, ut possit a principe quoad eius substantiam attingi. Cf. Martin op. cit. n. 215.

profecto omnes hi actus totidem essent peccata, quae reum illum constituerent, qui eos poneret; contra vero honesti ac liciti evaderent, si vinculum esset legitimum. Numquid de hoc cogitarunt unquam humani legislatores? Praesertim cum sub paganismo pervulgata esset persuasio fornicationem per se licitam esse, aut saltem indifferentem, ut inter caeteros constat ex Epicteto(14), et ex eo quod Apostoli debuerint inter caetera neophytis christianis ex gentilitate fornicationem interdicere (15). Porro potuerunt ne unquam principes id suis legibus irritantibus praetendere, ut *fornicarii* redderentur actus, qui, si in legitimo fierent coniugio, liciti essent ac matrimoniales? Hoc est vere absonum pro illa aetate, et iuxta notiones seu principia, quae tunc vigebant; si igitur principes infideles hac idea carebant, quomodo potuerunt leges condere, quibus nullum nuptiale vinculum rederetur? Concludendum igitur est principes infideles neque leges sanxisse ad vinculum irritandum, neque id efficere potuisse.

Verum, si ita est, dicet quispiam, quo tandem tendebant tot illae veterum leges, quibus matrimonia nulla declarabantur? Quid fiet de iurisprudentia Romana, in qua non pauci tituli de nuptiis reperiuntur?

Eo unice tendebant, ut coram lege haberentur uti nulla et illegitima coniugia, perinde ac si nunquam fuissent celebrata. Ita contrahentes puniebantur, effectibus civilibus destituebantur, proles ut illegitima habebatur, iure non fruebatur haere-

(14) *Enchirid.* cap. XLIII. vel iuxta ed. Firm. Didot cap. XXXIII. n. 8. in quem loc. Cf. Simplicii Commentar. Idem constat de Socrate, apud Xenophontem, *Memorabilium* lib. III. c. II. qui Theodotam erudiebat meretricem ad apte viros alliciendos. Id ipsum patet ex Terentio in *Adelph. I.* 2. 21 seq. Cf. Spencerum, lib. I. p. 745. Schwarzium in Dissert. *De Comissation. vet.* Altorf. 1744. §. 10. 11. Albertium ad Rom. XIII. 13.

(15) Act. XV. 20. In quem loc. Cf. Cornel. a Lapide, Kuinoel *Comment. in lib. N. T. historic.* Lipsiae 1827. vol. IV. ed. sec. aliosque interpretes passim sive catholicos sive protestantes, qui omnes in eo conveniunt ideo datum ab Apostolis hoc decretum novis ex gentillitate christianis esse, quod ethnici nullum in fornicatione peccatum, saltem grave agnoscerent.

ditatis, aliisque privabatur bonis. Scilicet afficiebant principes legibus suis coniugium mere civile, uti nunc solet nuncupari, quoad suos externos effectus; at nulla ratione vinculum ipsum attingebant, ita ut in se matrimonium sive validum redderent, sive invalidum. Ad eum nempe modum, quo nunc etiam in nonnullis legislationibus christianorum matrimonium, praescindendo ab actu religioso, prout loquuntur, coram lege legitimum aut illegitimum, legale aut illegale, validum aut invalidum dici solet. Verum hoc non officit, quominus in interiori conscientiae foro aliquod coniugium, quod nullum seu irritum respectu legis habetur, validum in se verumque sit coniugium, ac viceversa irritum prorsus sit ac invalidum illud ipsum coniugium, quod legitimum ac validum est respectu legis civilis.

Quod si forte in ipso conscientiae foro irrita quandoque fuerunt connubia, quae a civili lege vetabantur, id non accidit, ut paulo ante admonuimus, vi civilis legis, sed vi legis naturalis quam civilis lex declarabat atque sanciebat (16); at irrita non fuissent connubia, si ea impedimenta non fuissent simul naturalia, sed mere civilia. Nulla haec coniugia etiam fuissent, etsi lex civilis ea non prohibuisset.

Quod si hae leges aliquam vim in vinculum iuxta aliquos habere potuerunt, id solum ad summum concedi posset, quatenus principes eas leges tulerunt, non tam ut civiles principes, quam ut pontifices ac sacerdotes in persona principis supremi, quia dignitas sacerdotalis seu pontificia regio ac imperiali culmini saepe coniuncta fuit, et quadantenus in unum coaluit: coniugium vero ex universali quadam traditione tanquam aliquid sacrum ac religiosae auctoritati obnoxium habitum fuit, adeoque legislatio, potissimum de matrimonio, sacerdotalis esse consuevit penes Persas, Aegyptios, nec non penes Romanos (17).

(16) Recolenda tamen sunt, quae paulo ante animadvertimus circa hanc declarationem.

(17) Praeter documenta, quae in hanc rem superius exhibuimus, Cf. Von Moy in op. German. cui titulus latine *Historia iuris matrimonialis christiani*. Regensburg. 1853. pag. 3 seq. Item Hotomannum *De ritu nupt.* c. 5. in *Graevii thes. antiquit.* tom. *Roman.* VIII.

At principes, prout principes politici sunt, nullam relate ad matrimonii vinculum et ad impedimenta dirimentia potestatem unquam habuerunt. Haec quidem, etsi in abstracto, ut aiunt, spectata veritatem habere videantur, in concreto nihilominus si res spectetur, non paucis subsunt difficultatibus; ut enim postea videbimus, principes infideles cum falsam ac superstitiosam religionem profiterentur cuius sacerdotio fungebantur, non poterant vi ipsius pontificatus has leges, quae vim haberent, circa coniugium condere, neque putandum est Deum his falsis sacerdotibus ac pontificibus auctoritatem suam communicare, illosque constituere legis naturalis-divinae interpretes et organa, ut decernant matrimonia quoad vinculum valida aut nulla. Eo vel magis quod saepe honestaverint sive coniugia sive divortia, quae nulla ratione cum lege naturali ac divina cohererent. Ut alia praetermittam, quae paulo ante attigimus de idea, qua ipsi destituti erant, ut id efficere voluerint aut potuerint.

Frustra vero aliquis opponeret, principes saltem in directe ac remote hanc potestatem habere, quatenus reddere possent subditos suos inhabiles ad assensum praebendum contractui nuptiali a lege vetito, prout Ecclesia in concilio Tridentino inhabiles ad contrahendum eos effecit, qui clandestine coniugia sua inirent. Frustra, inquam, id quispiam opponeret; nam princeps civilis non potest inhabiles reddere contrahentes subditos, nisi in ordine civili ac sociali, ut principatus natura exposcit, prout inhabiles reddit pupillos sine consensu tutoris, filios familias sine consensu patris, uxores sine consensu mariti ad contractus quosdam incundos. Qui proinde si quidpiam attentarent, nihil efficerent ob eiusmodi inhabilitatem, nec tenerentur in conscientia pacta servare, quia subiecta materia id patitur, quae principi obnoxia est (18). Contra vero quum contractus nuptialis, utpote sui generis, ex saepius dictis, principi minime obnoxius sit, nequit is inhabiles subditos sibi commissos effi-

(18) Saltem ex communi sententia una cum exceptionibus, quas theologi apponere solent. Cf. Lugo et Lessium loc. cit.

cere ad illum ineundum, nec eapropter potest vinculum impedire aut solvere, sed unice potest effectus externos, civiles, sociales attingere eiusdem connubialis contractus, qui ad principem spectant (19).

Quod si Ecclesia inhabiles in concilio Tridentino fideles effecit ad contrahendum clandestine matrimonium, ideo est, quia contractus est materia proxima sacramenti, a qua re non distinguitur, eodemque actu fit contractus ac sacramentum, seu clarius etiam, contractus est ipsum sacramentum. Cum vero a Christo Ecclesia potestatem acceperit plenam in sacramentorum administratione, iure potuit attingere contrahentes in ordine ad sacramentum eosque ineptos ad legitimum consensum praebendum efficere. Praeterea potestas Ecclesiae sese ad forum conscientiae protendit, interioresque voluntatis actus, eosque nullius roboris reddere ad sacramentum conficiendum, quod civilis princeps praestare nequit; principis enim auctoritas politica est, Ecclesiae vero divina, ac Dei nomine ac voluntate praecipit. Exinde patet disparitas, quae inter utramque potestatem interponitur (20). Quod si potestas principum aliquo vero sensu etiam ex Deo est, et si iuxta Apostolum principes *Dei nomine* imperant, ut ex se patet, tota hac potestate ipsi fruuntur in ordine suo, nempe in ordine ad bonum politicum, et externum, seu civile.

Idipsum ex eo patet, quod leges civiles iustae etsi subditos obligent in conscientia, non inde sequitur illis legibus eos obstringi, quarum obiectum extra principis seu legislatoris politici ditionem est, cuiusmodi, ut vidimus, vinculum est coniugale. Qui proinde sic ratiocinaretur. Subditi etiam infideles tenentur in conscientia legibus obsequi principis infidelis, porro inter has leges et illae commemorantur, quae illegitimum efficiunt

(19) Cum principum leges intra ambitum potestatis sibi propriae in conscientia subditos obligent; si subditi nuptias inirent contra legis praescriptum, utique peccarent, si leges iustae sint, nuptiae erunt illicitae, sed tamen validae.

(20) Cf. Biner loc. cit.

coniugium; ergo istorum coniugium nullum ac illegitimum evadet etiam in conscientiae foro; perperam ita concluderet. Nam ille, qui ita dissereret sophismate uteretur, permiscendo leges iustas, quae obligationem pariunt in conscientia cum lege, quae si vinculum ipsum attingere tentaret, eo ipso esset *iniusta*, quae ultra potestatis civilis ambitum excurreret. Habita ergo ratione potestatis principis in se, inspectaque natura ac indole veteris legislationis, constat, quod proposuimus, haud inesse principibus infidelibus ius sive generatim vinculum attingendi, sive nominatim constituendi impedimenta matrimonium dirimentia infidelium subditorum (21).

Hoc demum ipsum efficimus spectata matrimonii ipsius intima natura. Siquidem matrimonium mere naturale in primordiali perfectione sua aliud non est quam conventio, in qua duo individua diversi sexus se mutuo obligant ad id, quod natura exposcit ad liberorum procreationem, rectamque ipsorum institutionem. Iam vero eiusmodi conventio prout relationem dicit ad statum socialem, ut sit licita atque legitima a civili etiam auctoritate dirigi aliquatenus potest ac ordinari; alioquin mala non pauca nec levia exoriri possent, quae tranquillitatem familiarum ac publicam perturbarent publicaeque honestati multam perniciem afferrent; atque hoc sub respectu non abnuimus posse principes leges prohibentes condere, quae tamen vinculum non attingant.

Nam vinculum ipsum suapte natura ita sacrum est sanctumque, ut civilem omnem auctoritatem excedat, habita ratione actus, quo fit, obligationum, quas gignit, finis, in quem tendit. Haec singillatim enucleemus oportet, ut veritas thematis nostri magis patefiat.

Actus, quo ipsa conventio fit, et ex quo vinculum exurgit, indi-

(21) Nec obest, quod nonnulli reponunt principum leges solum *prohibentes* fore inefficaces, nisi impedirent ipsum vinculum; nam praeterquam quod id non evincitur, deberet ostendi graviora incommoda non sequi ex legibus irritantibus, quae tamen longe praevalent illi incommodo de inefficacia legum tantum prohibentium respectu praesertim nubentium.

vidualis est ac liber seu pendet a libera voluntate, qui nisi sit contra naturae legem, involvatque turpitudinem aliquam, vim suam habet independenter a quavis politica lege, quae non attingit nisi actus externos, eosque legi obnoxios, non autem actus internos, ut paulo ante animadvertimus. Ecquis enim potest ius exercere in voluntatem liberam ac individualem, qua decernitur aliquid ac eligitur ad bene, honeste beateque vivendum? Quanam ratione civilis princeps, qui nulla potestate pollet in domesticos vitae actus, efficere poterit, ut nullus evadat actus, quo se quis private obstringit ad fidem perpetuam alteri servandum ad prolis procreationem? Quomodo poterit impedire quominus in conscientiae foro legitime utatur facultate se cum altera matrimonialiter coniungendi etiam in concupiscentiae remedium? Fac ex.gr. quemdam herum velle se connubio copulare cum ea, quae est conditione serva; et quin cum ea fornicetur, velle potius eam ducere in uxorem; numquid hic se coram Deo reum constituet ac irritum inibit coniugium obnitente principis lege positiva? Numquid tanquam totidem fornicationes habendi erunt coniugales actus, qui naturae lege honesti sunt? Non puto quempiam id esse dicturum. Hac de causa Tridentinum, nativa spectata libertate, nullaque iniecta legum mentione, quae a principibus sive infidelibus sive fidelibus latae fuerint, declaravit rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, quae clandestine contracta fuerant ante decreti sui publicationem, vel contraherentur inter fideles. Multo igitur magis Ecclesia ut vera habet matrimonia, quae inter infideles contra quasvis infidelium principum leges contrahuntur, prout valide contracta habet ac recognoscit coniugia, quae invitis parentibus ineantur, quin ipsae obstent fidelium principum leges.

Accedit, actum, quo initur coniugium, talem esse electionis actum, ex quo pendet totius in posterum vitae ratio; at in re tanti momenti, quemadmodum nequiret legislator impedire propositum alicuius virginitatem servandi ac profitendi celibatum, ita nec impedire potest statum coniugalem, per quem

aliquis consulere vult conscientiae suae ac propagare seipsum, talemque vitae statum amplecti, ad quem ius habet, et a quo tota vitae huius felicitas pendere censetur (22). Ergo spectata actus natura, patet principem infidelem nulla ratione posse suis legibus nativam libertatem ita coërcere, ut eius actus irriti reddantur.

Sed non minus perspicue idem apparet, si ratio habeatur iurium et officiorum, quae a coniugio dimanant. Huiusmodi sunt mutuum dominium in coniugis corpus ad liberorum procreationem atque in concupiscientiae remedium; mutua fidelitas in hoc dominio sancte servando; mutua dilectio; utriusque contrahentis conspiratio ad familiae regimen, huius conventionis perpetuitas aliaque id genus non pauca. Iam vero nisi dicamus, civilem potestatem nullos prorsus limites habere, quibus coerceatur, quaenam hominum iura a civili auctoritate erunt immunia, si intimiora etiam coniugum iura servituti humanarum legum subdantur? Quaenam iura, quaenam officia exclusive ad sacram potestatem pertinebunt, si recensita etiam iura ac officia a civili potestate dependeant?

Demum finis coniugalis contractus eamdem emancipationem, ut ita loquar, a civili legislatione evidenter exposcit. Etenim finis praecipuus coniugii est filiorum propagatio atque educatio; ast utraque non more pecudum, sed ut hominem decet, instituenda est, scilicet, prout honestas ac religio requirunt. Humani nimirum coniugii finis natura sua rationalis est, moralis ac religiosus. In ipso etiam naturali statu, seposita sacramenti ratione, matrimonium ut officium rationalis naturae non eo spectat, ut pecudum more genus hominum quomodocumque crescat; neque eo tantum, ut cives patriae procurentur (23); sed eo potissimum

(22) Quemadmodum principes civiles in animum ius nullum habent, sic neque habent in corpus suorum subditorum, ita ut isti, quoad procreationem, ipsum alteri tradere non valeant, et in alienum ius acquirere. Cf. Martin loc. cit.

(23) Hic est error fundamentalis adversariorum, qui consueverunt tanquam principium inconcussum, atque evidens axioma assumere, matrimonium a natura, ut ipsi loquuntur, fuisse institutum ad *propagandam socie-*

ut honeste societas ad eum finem, quem Deus constituit, propagetur, et adoratores veri Dei progignantur, atque ad honestatem et religionem informentur. In ipso itaque naturali statu coniugium tum ob alia, tum ratione finis sancta res est ac religiosa, adeoque sacrae, non vero civili auctoritati obnoxia. Itaque civilis potestas poterit leges quandoque condere, quae matrimonium impediant prohibeantque in nonnullis rerum adiunctis bonum sociale spectantibus ; at leges condere, quae matrimonium in se dirimant, quae vinculum ipsum, quae iura et officia attingant cum ipso vinculo conserta, hoc nimirum civilem omnem potestatem excedit, ipsa etiam spectata matrimonii indole in ordine tantum naturali.

Sed ut plenius etiam doctrina haec evolvatur, advertimus in triplici ordine hanc controversiam de potestate principis infidelis in matrimonium spectari posse : primo in ordine supernaturali, deinde in ordine mere naturali, qui tamen nunquam extitit, tertio in ordine seu in statu naturae lapsae atque corruptae societatis paganae, qui status dici debet praeter et contra rationalem ac religiosam hominis naturam.

In ordine supernaturali, ut ex revelatione novimus, matrimonium ab initio divinitus constitutum fuit, quo supernaturalis hominum societas propagaretur ad Dei cultum et gloriam, atque ad supernaturalem finem educaretur. In huiusmodi supernaturali ordine sacerdotalis etiam auctoritas divinitus constituta est, atque matrimonium ad eam sacerdotalem auctoritatem semper pertinuit. Scilicet prius patriarchale sacerdotium matrimonium Dei nomine gubernavit, rexitque ; successit deinde legale sacerdotium, demum Ecclesia. Absurdum porro est quaerere an matrimonium in hoc supernaturali ordine principis infidelis potestati subdatur.

*latem* ; hic quidem poterit esse unus ex finibus institutionis, si lubet, matrimonii, sed neque unicus neque primarius aut praecipuus est. Finis primarius est gignere Deo adoratores et filios, bonum societatis est subordinatum fini illi primario. Quocirca peccant in sua argumentatione, quoties supponunt, bonum societatis finem esse praecipuum ac unicum institutionis coniugalis.

At quid dicendum de ordine naturali? Hic quidem nunquam extitit, et mere est hypotheticus (24). Tamen in hoc etiam ordine philosophia docet hominem ac societatem ad cultum unius veri Dei ordinari, adeoque praeter civilem ac politicam, adesse etiam debere sacram quandam ac religiosam auctoritatem, quae et publicam honestatem et naturalem religionem tueretur. Iam vero matrimonium huic sacrae auctoritati, non autem civili ac politicae, in hypothetico hoc ordine obnoxium esse deberet.

Id evincunt argumenta pleraque, quae nuper attulimus, matrimonium spectando in se, relate ad principes, ac relate ad Deum : pleraque enim ex his argumentis matrimonium prorsus philosophice spectant, adeo ut vim habeant suam pro quovis ordine, non modo supernaturali, sed etiam naturali atque hypothetico. Ergo in hoc etiam ordine,si forte unquam extitisset, matrimonium ut res sacra et spiritualis in iis, quae ad vinculum ipsum et ad honestatem pertinent, religiosae auctoritati subiectum fuisset. Supernaturalis itaque religio non aufert principibus auctoritatem in matrimonium, quam in religione naturali haberent, sed ea prorsus caret princeps in naturali ordine ipso.

Sed quid tandem dicemus de potestate principum in societate pagana, ubi nulla erat vera religio, sed foeda ubique superstitio dominabatur, adeoque nulla religiosa legitima erat auctoritas ? Si historiam consulimus, in ipsa etiam societate pagana matrimonium religiosae potius quam civilis auctoritatis obiec-

(24) Hunc statum dicimus *hypotheticum*, non autem realem, nempe in sensu quod aliquando viguerit status aliquis socialis sine quacumque vera aut falsa revelatione. Exploratum enim est nunquam societatem extitisse de facto sine aliqua vera aut ficta revelatione, ut omnis historia testatur. Hoc monere voluimus, ne quis nos contradictionis argueret, eo quod paulo ante distinximus inter *statum legis naturalis*, et statum *legis scriptae* ; ille enim status naturalis legis dicitur, non quod homines non regerentur lege divina a primordiis humanae originis data, sed per oppositionem ad legem Mosaicam tantum, quae litteris consignata est.

tum fuit. Facto quidem ac practice ita se res habuit, non tamen iure. Quis enim dicat, sacerdotes idolorum Iunonis puta ac Veneris caeterumque deorum, quos pagana superstitio matrimonii sanctitati solemnitatique praefecit, aliquam in matrimonium ipsum potestatem legitimam habuisse? Attamen universalis praxis in societate pagana, ut suprema matrimonialis legislatio ad sacerdotium pertineret, antiquam et patriarchalem hac de re traditionem nativumque ius sacrae auctoritatis confirmat. Quod si in societate pagana falsum ac illegitimum sacerdotium ius nullum habuit in matrimoniale vinculum, num eodem potita est civilis auctoritas? Practice quidem principes, potissimum ut pontifices seu sacerdotes summi, sacra sibi iura tribuere potuerunt, at ex dictis patet, eos neque ut sacerdotes falsarum religionum, neque ut civiles principes, sanctitatem, honestatemque vinculi attingere potuisse. Itaque in societate pagana impedimenta vere dirimentia nec sacra seu superstitiosa, nec civilis potestas constituere potuit.

Ast si ita esset, regerunt adversarii, in gravissima incidere-remus incommoda; hac enim in hypothesi infideles omni prorsus destituti fuissent atque hodie dum destituerentur auctoritate publica, quae definiret saltem impedimenta ipsa naturalia, atque idcirco periclitaretur honestas publica, potuisset ac posset quispiam pro lubito sibi quamcumque in coniugem copulare gravi morum ac publicae honestatis iactura; sine directione omnino fuissent ac essent in negotio omnium maximo, ex quo etiam publica ac privata felicitas pendet, quae quidem omnia videntur absona atque a communi ipso sensu aliena. Sane quanam alia de causa corrupta est aetate noachica universa terra, nisi quia defectu legis positivae homines « acceperunt sibi uxo-» res ex omnibus quas elegerant (25)? »

Ad haec aliaque id genus, quae urgeri possent, pauca animadvertam. Primo nil mirum esse, si vera amissa religione, societas tota inordinata sit, si sanctitas coniugii, si publica ho-

(25) Genes. VI. 2.

nestas exlex pene ac incerta periclitetur. Secundo animadvertam, civilem auctoritatem potuisse interdicere ac prohibere sub gravissimis etiam poenis, quominus nonnulla inirentur connubia, ac debuisse praeterea externos matrimonii effectus moderari, et paganum sacerdotium, quamvis illegitimum, *practice* tamen sibi ius arrogasse in coniugia, et in publicam honestatem. Revera tum summi sacerdotes, tum principes sive iure, sive vi, in societate pagana non pauca circa matrimonia honeste sanxerunt, quamquam in pluribus erraverint, quemadmodum constat ex pagana legislatione de nuptiis filiorum familias, ac servorum, de nuptiis inter consanguineos, fratres inter ac sorores (26) filium ac matrem (27), ac potissimum in legibus de divortio (28). Sed vitiosa etiam legislatio ac tyrannica quaedam potestas, ac religiosa superstitio minus malum censeri potest quam anarchia prorsus exlex, atque omnimoda irreligio, seu atheismus. Advertam denique, quod, si in societate pagana potestas civilis aliquid potuit ultra id, quod rerum natura ac rectus ordo postularent, id ex accidenti, atque ex defectu legitimae auctoritatis religiosae, non autem ex nativo iure evenisse. Quum enim in societate pagana sola civilis auctoritas vestigium aliquod divinitatis prae se ferat, dici forte posset, deficiente penitus auctoritate religiosa, ad maiora mala vitanda in civilem auctoritatem

(26) Uti apud Aegyptios.

(27) Apud Persas.

(28) Apud Romanos; atque hic animadverto, fere exclusive adversarios appellare pro legibus matrimonialibus ad ius Romanum. Ast deberent etiam appellare ad leges atque ad ius aliarum gentium, penes quas leges hac in re viguerunt aperte adversantes iuri naturae. Si valeret adversariorum generale principium, non minus censendi sunt interpretes iuris naturae antiquiores legislatores ac principes, quam fuerint legislatores et principes Romani. Porro antiquiores illi abnormiter ac manifeste a vero naturali iure abluserunt, ut omnes fatentur; at illi pro aetate, qua leges condiderunt, non ita censuerunt, imo putabant se leges rectissimas condidisse, populique illis paruerunt. Quis vero dicet per illas leges vere dirimi in conscientia vinculum coniugale? Errarunt, ut vidimus in non paucis et ipsi Romani, quomodo igitur eam vim leges Romanas habuisse dirimendi dicemus?

iura et officia relate ad publicam honestatem, atque adeo ad coniugia aliquo modo devolvi (29). At si rerum natura inspicitur, neque in statu religionis supernaturalis, neque in statu religionis naturalis, neque in statu pagane superstitionis, principes ius habent aliquod in matrimonii vinculum, nec per se irritare ullatenus possunt subditorum coniugia.

Foeda vero morum corruptio, quae sub Noe contigit, non defectui legis positivae tribui debet circa coniugia, cum recens abhuc esset memoria institutionis divinae ipsius coniugii, sed inconsulta fuere coniugia celebrata a filiis Seth cum filiabus Cainiticae stirpis, quibus factum est ut in malorum omnium baratrum inciderent, gravissimisque sceleribus omnigenis commacularentur (30).

Verum quid de auctoritate dicendum sive theologorum, sive canonistarum, qui principibus infidelibus ius tribuunt in matrimonii vinculum, ac nominatim ius constituendi impedimenta, quae matrimonium dirimant?

(29) Haec dicimus tantum hypothetice; caeterum ex iis, quae adnotavimus circa defectum *ideae*, qua in *subiecta materia* destituti erant principes pagani, constat, ipsos nunquam sibi proprie ius arrogasse in vinculum ad illud irritum reddendum. Hoc factis luculentis patefit: siquidem constat, in iure Rom. nullum declaratum coniugium a viro senatorii ordinis cum liberta contractum. Ast si vir dignitatem suam amiserit, liberta absque ullo alio actu uxor esse incipiebat. Sic etiam si minor duodecim annis domum ducta fuerit, iuxta legem ab initio nuptiae non aderant, si tamen decimum quartum annum expleverit, iusta uxor eo ipso fiebat. Cf. cit. Dissert. Lavaniens. p. 117. nec non Doellinger in op. pariter cit. *Hyppolithus* et *Callixtus*. §. VI. ad accus. sextam. De matrimoniis filiorum familias, quae nulla iuxta aliquot iuristas a legibus Rom. declarata sunt, postea loquemur. Quae quidem indicia aperta sunt leges illas vinculum non attigisse, sed solum effectus civiles, etsi verba aliud suadere interdum videantur. Cuius rei etiam exemplum habemus in legibus Galliae. Nam nulla lex Romana verbis adeo perspicuis nullitatem pronuntiat, ut Ludovicus XIII. respectu coniugii filiorum familias sine consensu parentum contracti, attamen clero Gallicano reclamanti respondit invaliditatem illam non esse intelligendam nisi quoad effectus civiles.

(30) Cf. Bonfrerium in hunc loc. nec non Cornel. a Lapide, aliosque passim sacros interpretes.

Dicam 1. non esse eiusmodi sententiam adeo communem ac fere unanimem, ut plures arbitrantur supponuntque; exploratum enim est haud paucos theologos et canonistas pro sententia nostra stetisse, nempe eos omnes, qui nullam tribuunt nativo iure principibus sive fidelibus sive infidelibus potestatem, quae *vinculum* afficiat coniugii subditorum suorum, atque ipsum matrimonii assensum, sed eam potestatem ad solum contractum civilem, et ad solos effectus civiles coarctant. Horum censum exhibet cl. Habert Vabrorum antistes, qui et ipse eamdem sententiam sequitur ac profitetur (31), nec non Lhuillierius, dum expendit veterum testimonia a Launoio prolata, ab eoque corrupta, ut ea ad placitum suum accommodet (32). Hanc eamdem doctrinam tuetur idem Iac. Lhullierius ubique in eodem opere, nec non Feller (33); item Pey (34); Barruel (35). cl. Muzzarelli (36), caeteris praetermissis, quos recenset D. Carriere (37). Post quos eamdem sententiam data opera, prolixaque discussione adstruxit cl. Martin (38), ac demum auctor allegatae disserta-

(31) Resp. *Ad Optatum Gallum* in lib. *De iustitia connubialis edicti* Ludov. XIII. ubi generatim scribit exponens etiam auctoritatem theol. Paris. « Impedimenta dirimentia constituere potest Ecclesia, possunt et reges etiam. et supremi principes, quibus ad contrahendum quosdam inhabiles reddant; sed quae a regibus sanciuntur aut a principibus laicis, *solos effectus civiles*, non vero sacramenti rationem spectant. » Cf. Moser *De imped. matrim.* c. XXIV. n. IX.

(32) In op. cit. *In librum magistri Ioanni Launoii theol. Parisiens., qui inscribitur: Regia in matrimonium potestas, observationes* Observ. I. et observat. VII. §. 2.

(33) *Diction. histor.* art. *Gibert, Espence, De dominis, Launoi etc.*

(34) *De l'autorité des deux puissances*, ed. 2. Paris 1791. tom. III. ch. 3. §. 8. pag. 158 seqq.

(35) *Les vrais principes sur le mariage.*

(36) Opusc. XXIV. op. *Il buon uso della logica in materia di religione. Del contratto del matrimonio in quanto sacramento*, ed Firenze 1822. tom. VII, pag. 200 seqq.

(37) Op. cit. tom. I. n. 549. seqq.

(38) In op. *De matrimonio ac potestate ipsum dirimendi* quod exaravit ad impugnandum D. Carrière, Lugduni 1844. tom. II. tota sectione. I. a pag. 2 ad 115. ubi ostendit *Nulla ratione probari posse, principi saeculari propriam*

tionis in nobilissima Lovaniensi catholica universitate (39), ut alios omittam, qui philosophico sub respectu hoc idem argumentum Romae ad trutinam revocarunt, ac principibus infidelibus ius istud nulla ratione convenire ostenderunt (40). Non est igitur doctrina seu sententia haec nostra aut nova, aut peregrina, omnive auctoritate destitua; immo vero non paucorum est auctoritate suffulta. Tantum abest ut pugnet, quod vulgo traditur, cum theologorum canonistarumque communi sententia.

Dicam 2. auctoritatem praecipuam, nimirum Angelici doctoris, cuius potissimum suffragio adversarii innituntur, si penitius introspiciatur, deprehendi ipsis plane contrariam adversantemque. Nam 1. S. Thomas nuspiam et nunquam tribuit principibus sive fidelibus sive infidelibus ius leges ferendi dirimentes matrimonia. Etenim eius testimonia, quae huc referuntur, desumpta sunt tum ex eius commentario in IV. Sentent., tum ex lib. IV. Contr. gent. Siquidem quae huc illucque sparsim edicit

*esse potestatem matrimonii contractum dirimendi;* argumentaque singula tum a Carrière tum ab aliis theologis aut canonistis ad vindicandam principi infideli auctoritatem dirimendi quoad vinculum suorum subditorum infidelium matrimonia apprime discutit, eorumque infirmitatem detegit, atque inanitatem clarissimo in lumine ponit.

(39) Ant. Reuser in cit. Diss. theologico-canonica *De potestate statuendi impedimenta dirimentia*, Lovan. 1853. Quae ut paulo ante monui, ad manus meas pervenit, quum lucubrationem meam absolvissem. Hic igitur in docta hac dissertatione p. III. cap. V. tum Gerbais, tum Carrière aliorumque principium evertit de potestate principum propria, praesertim infidelium, ad infidelium subditorum coniugia dirimenda. Plura addidit iis, quae scripserat Martin, atque eruditione non vulgari confirmat et illustrat.

(40) Cf. Liberatore *Instit. Philosoph.* vol. III. *Ethica et ius naturae.* ed. VIII. Romae 1855. lib. II. cap. I. art. IV.

Nec omittendum Prosp. Fugnani iamdiu in cap. *Ne innitaris* extra *de conditionibus* inter propositiones temerarias et scandalosas et hanc recensere: « Principes seculares *ex genere et natura suae potestatis possunt impedi-* » *menta matrimonium dirimentia fidelibus sibi subditis* ex iusta causa suis le- » gibus indicere eo modo, quo Summus Pontifex. » Loquitur quidem hic canonista de principibus quoad subditos *fideles*, attamen impetit principium generale de potestate inhaerente principatui in genere: *ex genere et natura suae potestatis*, ac propterea attingit etiam principes infideles quoad subditos infideles.

S. Doctor ad haec revocantur. Haec quidem describeremus, nisi superius ea attulissemus ; ne proinde videamur actum agere, hic ea nota supponimus.

Ex his textibus fundamentalibus Angelici doctoris concludunt theologorum plerique contra hanc sententiam pugnantes, eum stetisse pro doctrina, quod conveniat principibus quibuscumque vi inhaerentis sibi auctoritatis, adeoque et infidelibus, potestas apponendi eiusmodi conditiones suorum subditorum coniugiis, quae si desint, inhabiles fiant ad valide contrahendum. Ast nihil tale colligi posse videtur ex obiectis textibus. Tantum enim abest, ut quod contendunt adversarii, colligi possit, ut S. Doctor de potestate impedimenta constituendi ne verbum quidem habeat. Siquidem in priori textu ex commentario in IV. Sent. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4. (41) ut patet ex ipso articuli titulo : tantum quaerit : *Utrum matrimonio conveniente impedimenta assignentur;* cumque respondisset *affirmative*, recenset rationes et quidem *remotas*, ex quibus inhabilitas ad contrahendum derivari possit, easque assignat in lege naturae, in lege divina, ac in lege civili, ita tamen ut proxime inhabilitas statuenda sit a sola Ecclesia, ut clarius adhuc ex dicendis patebit (42). Insuper loquitur S. Doctor de lege statuendi matrimonium in ordine proprio uniuscuiusque officii, a quo dirigi debet, scilicet a natura, a communitate, ab Ecclesia, prout matrimonium aut est officium naturae, aut officium communitatis, aut sacramentum; si fiant illegitimae personae ad matrimonium a lege naturae, profecto inhabiles ad contrahendum illae efficiuntur; item si illegitimae fiant ab Ecclesia, quae in lege sua pro obiecto habet sacramentum sibi commissum ; si vero fiant illegitimae a communitate, inhabiles fiant in ordine sociali tantum, sed non absolute ac in se, sed extrinsecus, in ordine sociali, ita ut in facie societatis coniugium civile nullius

(41) In *Supplem.* autem est *Quaest.* L. art. unic. ad 4.

(42) Cf. Lhuillier op. cit. *Observ. II.* inscripta : *Sancti Thomae sententia a Launoio haud sincere relata* §. 1.

sit valoris, et sic qui contra principis leges contrahant coniugium, priventur privilegiis omnibus civilibus, quibus alioquin fruerentur (43). Haec, et non alia est mens Angelici praeceptoris.

In altero autem textu ex lib. Contra gent. de impedimentis nullatenus egit S. Thomas, sed exponere tantum intendit diversos fines matrimonii, qui sunt bonum naturae, bonum Ecclesiae, bonum politicum, ac ratione diversorum horum finium affirmat matrimonium subiacere diversis legibus; quatenus ex diversis istis legibus et quidem *remote* repetuntur omnia impedimenta, in ordine et ratione uniuscuiusque legis propria; ac propterea a lege civili in ordine ad bonum civile, quod profecto vinculo extrinsecum est (44).

Talem germanam esse S. Doctoris mentem ea ostendunt, quae ipse constituit, quaeque adversariorum theoriam omnino evertunt. Sane cum in IV. Sent. dist. 42. q. 2. art. 2. quarto sibi obiecisset loco, impedimentum cognationis legalis per leges civiles inductum, resp. « Atquartum dicendum, quod *prohibitio* » *legis humanae non sufficeret* ad impedimentum matrimonii, » *nisi interveniret Ecclesiae auctoritas*, quae idem interdicit. » Ex quo manifeste patet, potuisse quidem ac posse infideles leges *prohibentes* sancire circa matrimonium, non autem *irritantes*, nisi tantum in ordine suo, id est, civili ac politico. Quod confirmatur ex iis, quae S. Doctor scribit in Quodlibeto 3. art. 15. ad. 1. « Dicendum quod Ecclesia in his, quae ad matri- » monium pertinent, se habet tripliciter, uno quidem modo » per modum *iudicantis*..... alio modo per modum *prohibentis* » et *punientis*..... Tertio modo se habet per modum *Statuentis*, » *quod est solum auctoritate summi pontificis;* et secundum

(43) Cf. Martin n. 227. qui animadvertit, nullam dari connexionem vel in se et natura rei, vel in mente S. Thomae, inter potestatem matrimonium statuendi lege civili et potestatem dirimendi matrimonium. Remque explicat ea ratione, qua nos exposuimus.

(44) Cf. Lhuillier loc. cit. § 2.

» hoc personae aliquae redduntur illegitimae, ut patet in qui-
» busdam gradibus consanguinitatis et affinitatis, vel etiam de
» adultera, cum quis dedit ei fidem de contrahendo, cum ma-
» chinatus est in mortem uxoris. » Quibus verbis potestatem statuendi impedimenta dirimentia soli summo pontifici, seu Ecclesiae exclusive tribuit, ita ut nulli civiles principes ea fruantur. Et haec de S. Thomae mente, cuius auctoritati potissimum fidunt theologi et canonistae, de quibus disserimus (45).

Dicam 3. auctoritatem istorum theologorum infirmari eo ipso, quod constet et interna et externa argumenta, quibus innitebantur, esse nullius roboris et a nobis superius refutata (46). Etenim neque ex Theodosii lege contra nuptias consobrinorum, de qua SS. Ambrosius et Augustinus loquuntur; neque ex aliis imperatorum legibus, neque ex iure atque officio promovendi bonum publicum, publicamque honestatem; neque ex aliis superius allatis argumentis conficitur, principes, quicumque demum sint, sive infideles sive fideles, auctoritate sibi originaria et propria revera impedimenta matrimonium dirimentia constituere posse; adeoque dicam, eos theologos ac iuris utriusque peritos huiusmodi principum ius affirmare quidem, sed non probare. Imo addam, eosdem simul cum hac sententia de iure principum infidelium alia docuisse, quae nemo catholicus hac aetate probare posset. Data enim semel infidelibus principibus potestate, ut deinde eam negarent fidelibus principibus, ac soli Ecclesiae iuxta Tridentinum canonem vindicarent, ad incitas redacti sunt, atque affirmarunt, aut Ecclesiam illud ius ademisse principibus, aut principes illud in Ecclesiae favorem cessisse, aliaque eiusmodi plus minusve absona excogitarunt, quae nulla theologorum aut canonistarum auctoritate probabilia reddi possunt. Forte et illud addi potest, quod antea innui, nonnullos ex his theologis, non absolute, sed hypothetice fuisse locutos pro statu

(45) Cuiusmodi sunt, quotquot principibus vindicant potestatem illis nativam, propriam atque originariam constituendi impedimenta dirimentia, etsi fateantur eadem nunc uti non posse, quosque superius recensuimus.

(46) Cap II. art. 1. et 2.

nempe societatis paganae, in qua nulla erat religiosa auctoritas. Principibus scilicet tanquam custodibus residuae illius honestatis ac religionis naturalis, quae in medio paganismo servata est, potestatem aliquam etiam in matrimonium, deficiente sacra auctoritate, devolutam esse censuerunt, non autem quasi eam sibi inhaerentem ac originariam habuerint. Quamquam visi sunt absolute ac philosophice loqui, tamen concrete de societate pagana intelligendi videntur. In ea societate nullam videbant legitimam auctoritatem nisi civilem; quid mirum si etiam coniugia illi auctoritati subiecta, licet perperam, censuerunt?

Dicam 4. denique illud ipsum quod respondebat S. Augustinus, opponentibus sibi nonnulla antiquiorum Patrum effata, quae Pelagianae aut semipelagianae haeresi favere videbantur; nempe illis haereticis nondum litigantibus securius fuisse locutos (47). Sane quo tempore plerique eiusmodi theologi floruerunt, nondum Spalatensis atque Launoii theoriae fuerant compertae; nondum Pistoriensium caeterorumque eiusmodi secularis potestatis assentatorum principia erant exorta; nondum in populo christiano seu catholico nomen *matrimonii civilis* fuerat auditum; et quod caput est, nondum erat excogitata, quae nunc longe lateque pervagatur, theoria de plena separatione perfectaque inter Ecclesiam et Statum, atque pagana illa *statolatria*, religionis omnis ac societatis inimica.

Cum igitur theologi illi, de quibus est sermo, haud praeviderint eiusmodi consectaria, quae ex ipsorum principio de potestate propria principum, seu potius principatus, constabiliendi impedimenta, quae irritum efficiant suorum subditorum coniugium, deduci possent, nil mirum, si fuerint illam sententiam amplexi. Ast cum tempus pedetentim evolverit exitiosas consecutiones, quae eo in theoremate includebantur, iam nos debuimus tandem aliquando ipsum theorema ac principium evertere.

At. Urget D. Carrière Sedis apostolicae auctoritatem, quae declaravit nulla esse infidelium coniugia, quae inita fuerint

(74) Lib. *De praedest. sanct.* cap. XIV. n. 27.

contra principum infidelium leges matrimonium irritantes. Sic enim scribit hic auctor : « Demum huic sententiae (potestatem » coniugia infidelium dirimendi principibus tribuenti) *adhaeret in* » *praxi S. Sedes,* inquit *D. Pèrocheau* (Theol. ad usum mission. » Sut-chuensis tom. 2. p. 346), *quae declaravit invalida esse infi-* » *delium matrimonia, quae legibus patriae irritantibus adversan-* » *tur, nisi per consuetudinem abrogatae fuerint istae leges* (48). »

Cum vero nonnisi partem, quae sibi favebat ex allegato auctore Carrière protulerit, nos alteram partem adiiciemus, quae systema suum antea propugnatum penitus evertit, integrum textum exhibendo : sic igitur scribit D. Pèrocheau loc. cit. « Principes saeculares possunt constituere impedimenta irritan- » tia *relative ad effectus civiles tantum, si agatur De matrimonio* » *fidelium,* et etiam relative ad validitatem matrimonii, si aga- » tur de matrimonio infidelium ; huic enim sententiae adhaeret » S. Sedes, quae multoties declaravit *valida esse fidelium ma-* » *trimonia contra leges patrias inita,* modo servatae fuerint leges » ecclesiasticae et divinae, quamvis illa matrimonia et illicita ha- » buerit ; declaravit e contrario invalida esse infidelium matrimo- » nia, quae legibus patriae irritantibus adversantur, nisi per » consuetudinem abrogatae fuerint illae leges. »

Itaque iuxta hunc auctorem S. Sedes, quae declaravit valida matrimonia fidelium, etiamsi inita fuerint contra leges patrias, quod esset contra systema D. Carrière, pariter declarasset invalida, quae celebrantur eadem ratione ab infidelibus coniugia. Si ita se res haberet absque dubio huic esset adhaerendum sententiae. Ast vero existit ne eiusmodi declaratio ? Constat ne de eiusdem existentia? Longe abest, inquit Martin, quin de ea constet. Quis enim eam legit unquam aut vidit? Ubinam reperitur? Quando aut a quo summo pontifice prolata fuit? Quisnam est eiusdem tenor? Quaenam forma? Est ne bulla, breve, decretum, in quo proprie declaretur nullitas praedictorum coniugiorum ab infidelibus contra leges principum irritantes initorum ? Sed

(48) In *compendio* operis *De matrimonio*, ed. 2 n. 291, pag. 266.

nihil huiusmodi occurrit, in ullius S. pontificis Bullario, nec in collectione ea omnia, quae ad missiones et missionarios spectant, complectente, cui titulus : *Bullarium pontificium sacrae congregationis de propaganda fide* (5. vol. in 4. Romae 1740. Typis collegii Urbani (49). Unde si agatur de dogmatica, aut generali aut proprie dicta S. Sedis declaratione ad coniugiorum illorum invaliditatem pertinente, nulla unquam prodiit, nulla prorsus existit. Si vero agatur de aliquo alicuius S. congregationis Romanae responso, aut decreto particulari seu ad casum particularem *pro attentis peculiaribus circumstantiis* spectante, verum cuius non ea vis est, ut quaestionem ullam doctrinalem definiat, nonnullum forte emissum est : sed hoc ipsum prorsus ignorant etiam Romae viri doctissimi, et in studiis rebusque theologicis et canonicis versatissimi. Ergo tantum abest, ut de illa S. Sedis declaratione constet, ut contra certum sit nullam hoc nomine appellandam existere. Hactenus quidem ille (50).

Ad horum ulteriorem confirmationem adde cl. Muzzarellium Romae vulgasse opusculum suum de matrimonii contractu prout est sacramentum, in quo hanc tuetur sententiam, cui tamen utpote S. pœnitentiariae pontificio theologo, si qua ei declaratio aut resolutio contraria comperta fuisset, profecto numquam illam sententiam propugnasset. Ego ipse doctissimum S. R. E. Cardinalem, qui non ita pridem assessoris munere summa cum laude functus erat SS. inquisitionis supremae congregationis, hac de re interrogavi, mihique respondit nullum editum fuisse decretum huiusmodi. Quod si aliqua resolutio peculiaris data est pro speciali aliquo casu, nihil officit, tum quia hactenus data opera hoc super argumento discussio facta non

(49) Nec omittendum quod in universa synodo vicariatus Sutchuensis, quae habita est in Sinis in districtu Tcong King Tcheou an. 1803. ac Romae impressa an 1837. Typis sacrae congregat. de propaganda fide, nihil eiusmodi occurrat, etsi plura statuantur de matrimoniis infidelium sive in tit. *De Baptismo*, sive in tit. *De matrimonio*, sive in instructione pastorali Ioannis Desiderii, episcopi Caradrensis, vicarii Sutchuensis, quae satis prolixa est. Porro si quidpiam hac de re constitutum fuisset, procul dubio praetermissum minime esset.

(50) Loc. cit. n. 209, pag. 22. 23.

fuerat, et in rebus dubiis consueverunt congregationes Romanae communiori sententiae, prout hactenus ista fuit, ob rationum momenta, quae paulo ante recensuimus, adhaerere, quin intenderint quidpiam rei veritati detrahere, prout identidem in aliis adhuc implexis quaestionibus sese gesserunt (51).

Maneat igitur neque argumentis intrinsecis, neque extrinsecis, seu ex auctoritate petitis concuti quod statuimus, principes scilicet infideles ius non habere leges ferendi matrimonium infidelium suorum subditorum quoad vinculum dirimentes.

ARTICULUS II.— Corollaria deducuntur ex statuta doctrina, per quam lux affunditur toti controversiae de ecclesiastica et civili potestate relate ad matrimonium christianum.

Omni qua datum est argumentum vi et copia ostendimus, ipsum matrimonium infidelium nullatenus quoad vinculum potestati principum infidelium subesse: ex hoc enim principio multa dimanant corollaria, quae doctrinam a nobis hactenus expositam de matrimonio christiano mire confirmant et illustrant.

Ac re sane vera, si nullo unquam iure in matrimonii vinculum, prout coniugium contractus est naturalis, potiti sunt aut potiri possunt principes infideles erga subditos etiam infideles:

Sequitur 1. Nullatenus necesse esse, ut cum quibusdam theologis dicamus, Christum evectione facta naturalis coniugii ad sacramenti dignitatem, illud subtraxisse principum potestati ac transtulisse in potestatem Ecclesiae (52). Nihil omnino Christus

(51) Hac ratione componuntur discrepantiae, quae in nonnullis resolutionibus particularibus interdum sacris congregationibus obiectae sunt, de quibus etiam, ut vidimus, loquitur Benedictus XIV. *De synodo dioeces.* lib. VI. c. VI. n. 3. Ubi meminit etiam discrepantiae opinionum, quae non semel inter consultores viguit, prout mihi constat in quaestione, quam versamus in congregatione suprema SS. inquisitionis; nec praevaluit contraria resolutio, nisi quia, ut innui, magis erat conformis communiori tunc temporis theologorum placito.

(52) Ut nihil dicam de aulicis scriptoribus apertis Ecclesiae hostibus, qui omnem eidem Ecclesiae auctoritatem denegant; quoad sinceros catholicos, qui saltem communem faciunt principibus cum Ecclesia potestatem constituendi impedimenta dirimentia, ac urgent et ipsi hoc argumentum, quod si denega-

subtraxit principibus; ius civile quod habebant intactum reliquit, atque Ecclesiae auctoritati sacramentum matrimonii commisit, quod etiam seposita sacramenti ratione ad sacram, non autem ad civilem auctoritatem quoad vinculum in ipso naturali ordine pertineret.

Sequitur 2. Neque dici debere, exclusivum Ecclesiae ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia pendere ex positiva aliqua Ecclesiae lege, seu ex iure ecclesiastico, quo sibi eam potestatem Ecclesia ipsa reservaverit, eiusque usum christianis principibus interdixerit.

Sequitur 3. Neque illud admittendum esse nonnullorum theologorum placitum, qui gratuito affirmant, exclusivum illud Ecclesiae ius pendere ex tacita quadam ac implicita christianorum principum cessione, qui pro sua in Ecclesiam pietate exercitium huius potestatis Ecclesiae reliquisse dicuntur.

Sequitur 4. Multo magis errare regalistas, qui potestatem iuris, quo gaudet Ecclesia, ab usurpatione quadam repetunt, ac effutiunt tenebricoso illo medio aevo Ecclesiam sibi vi aut fraude potestatem usurpasse, ac dirimentia impedimenta constituisse illius aetatis communi ignorantia freta.

Sequitur 5. Falso laborare supposito regalistas, qui regiam potestatem in matrimonii vinculum vocant inamissibilem, impraescriptibilem atque inviolabilem, ac ius *maiestaticum*, quod nec cedi nec auferri potest. Commentitium siquidem est huiusmodi ius ac gratuito prorsus confictum.

Sequitur 6. Negato principum etiam infidelium iure in matrimonium infidelium, locum amplius non habere difficultates quasdam regalistarum, quae magna vi nec sine triumphi specie solent contra eos theologos, qui ius illud quod infidelibus prin-

retur principibus hoc ius, Christus eis nocuisset, cum nomen darent religioni christianae, non animadvertunt etiam in ipsorum hypothesi id ipsum contingere. Nam antequam christianismum profiterentur, *soli* hoc iure fruebantur, postea vero non amplius soli, sed una cum Ecclesia commune illud haberent et quidem cum subordinatione; siquidem temporale societatis bonum coordinari debet cum spirituali, et ita ut in conflictu istud praevaleret, ut per se patet.

cipibus tribuunt, ac christianis principibus negant, urgeri. Rident nimirum regalistae theologorum placita, quae modo recensuimus (53), utpote gratuita, nec bene cohaerentia, imo vero contendunt Ecclesiam non potuisse christianis principibus illud ius interdicere, quo infideles potiuntur, nec potuisse principes iure suo ex pietate cedere, quin potius pietatis esse regalia iura divinitus accepta sancte servare (54), vindicare,

(53) Speciminis gratia verba afferam, quae inverecundus Launoius habet, sic fingens Rom. pontificem principes alloquentem : « Bene veneritis carissimi filii ; multi sunt anni quod potestate ferendarum circa matrimoniales contractus legum laudabiliter, ut decebat, fruimini. Non possum non satis laudare obsequium vestrum ; sed haud morabor vos diutius ; iam tempus est ut vacetis otio, et ab illo labore desistatis : Ego considerata re, et motu proprio, statui de potestate illa mihi deinceps accommodare, et vos tanto onere levare. Christiani principes audito sermone tam blando consenserunt, gratias egerunt, et accepta benedictione et indulgentiis reversi sunt in regionem suam. Actum die N. mense et anno N. » (pag. op. et ed. cit. 521.) certe apertus haereticus nequivisset adeo impudenter debacchari.

(54) Ita inter caeteros Iacobus Bolaeus, doctor et socius Sorbonicus in op. *Traité des empêchemens du mariage, où l'on fait voir, que le droit qu'ont les rois et les princes d'en établir à l'égard de leurs sujets, n'a pû leur être ôté par violence ou par piété.* In hoc vero Tractatu cap. VI. ita scribit hic auctor : « Il y a deux sortes de sentiments des théologiens et des canonistes sur ce sujet, qui *voyant bien qu'originairement les princes étaient dans le droit* d'établir des empêchemens aux mariages de leurs sujets tant baptizés que *non baptizés*, catholiques qu'héretiques, se sont avisés de dire que les princes avaient été dépouillés de ce droit. Les uns prétendent qu'ils en ont été dépouillés par la reserve que le Pape s'est faite de ce pouvoir ; et les autres par l'abdication volontaire qu'en ont faite les princes en faveur de l'Église. Sanchez est du premier sentiment... Pierre Soto... est persuadé que ce n'est pas le Pape, ni l'Église qui leur en a interdit l'usage, mais que ces princes ont cédé ce droit par piété et de bonne volonté à l'Église, de telle sorte pourtant que les princes pourraient encore se maintenir dans cet usage, et exercer le droit qu'ils ont, et qui est attaché à leur autorité.... Monsieur Gerbais tient le sentiment de Soto... Mais si on disait à Mr. Gerbais, que la piété des princes consiste à conserver l'autorité dont Dieu les a rendus dépositaires, comme celle de l'Église, à ne pas usurper sans un ordre exprès de Dieu, qui a réglé la différence des deux puissances, ainsi que Mr. Hennequin l'a si bien observé, il ne regarderait

ac si forte in desuetudinem abierint revocare. Haec atque alia, quae a regalistis contra theologos urgentur, aërem verberant, si fixum ratumque sit, ipsos etiam infideles principes nullum ius habere in matrimonium infidelium. Hisce difficultatibus theologi quidem multa reponunt, at nostra admissa sententia, ea convelluntur radicitus.

Sequitur 7. Et illam difficultatem obtruncari, quod nempe principes, quum christiani fiunt, aliquid auctoritatis amittant. At vero quomodo eam auctoritatem amittent in matrimonium, quam nunquam habuerunt? Auctoritatem in vinculum neque amittunt, neque acquirunt, sed eam utique auctoritatem retinent, quam habebant, quae iure ipsis tribuitur, constituendi impedimenta in foro civili, in ordine ad effectus civiles ac politicos, ad promovendum bonum societatis, cui praesunt, atque ad servandam tranquillitatem. Hoc reipsa iure potiti sunt iugiter principes infideles, eoque adhuc potiuntur, postquam fuerunt fideles effecti. Concidit proinde illa toties ab Ecclesiae adversariis obiecta difficultas : nimirum si adimitur principibus christianis potestas, qua, cum adhuc essent infideles, fuerunt potiti, odiosam illis reddi religionem christianam, eosque sic amoveri ab amplectenda vera religione cum tanto suo detrimento ; item Christum non advenisse, ut principes laederet, atque suis iuribus spoliaret. Quas quidem difficultates mirum est quam urgeant amplificentque aulici ad unum omnes adversus catholicam doctrinam a Tridentino circa matrimonii impedimenta sancitam (55).

» peut-être pas cette piété des princes comme un si beau titre, pour » faire passer leur autorité à l'Église... Mais enfin quand est-ce, en quel » siècle, sous quel règne, et sous quel pontife les princes ont-ils eu cette » piété prétendue d'abandonner leur autorité à l'Église pour établir des » empêchemens de mariage ? »

(55) Uti Spalatensis apostata, nec non eius exscriptor Launoius, qui non contentus dixisse art. 2. c. 1. « Id genus lemmatis horrorem incutit, » Ecclesiam, ac Rom. pontificem in odium vocat et invidiam, ac principes » ethnicos a suscipienda religione christiana deterret, » sed praeterea sic per prosopopeiam hoc argumentum exponit : « Reliquum est, ut ex prin-

Communis ad haec theologorum responsio est, ea tum esse exaggerata, ac si nimis urgeantur, ex pluribus aliis capitibus posse iuxta eiusmodi aulicorum mentem odiosam reddi principibus ethnicis christianam professionem, tum abunde compensari ex multiplici emolumento, quod in ethnicos principes ex professione religionis christianae, quae adeo morigeros reddit atque obsequentes subditos, ac principum iura sarta tectaque servat.

Sane, inquiunt, posset quispiam pariter prosequendo Launoianam catechesim ita principem ethnicum competentem ad religionem christianam invitare : Scire debes, princeps optime, te crastina die, postquam baptismum susceperis, et Christum servatorem tuum ac nostrum indueris sine culpa ulla tua amissurum esse certam potestatem, quae ad regni tui subditorumque tuorum opes, divitias, facultates amplificandas maxime spectant. Nam per partem anni non mediocrem, puta per dies festos intermittetur agricultura, commercia cessabunt, non exercebuntur mercaturae, vacabunt emporia, opera desinent servilia omnia, quibus ad populorum sustentationem nihil conducibilius, conquiescent. Quid quod teneberis tuque tuique omnes abstinere a carnibus, ieiunare non infrequenter, diligere inimicos, parcere ipsis et benefacere, contemnere divitias in ipsa divitiarum omnium abundantia, humanam gloriam

» cipiis doctrinae huius mirifice sincera fiat ad regem ethnicum, qui chris-
» tianae religioni nomen dare vellet admonitio. Sic ergo breviter fiet, si
» principi competenti dicatur : Scire debes, princeps optime, te crastina
» die, postquam baptismum susceperis et Christum servatorem tuum ac
» nostrum indueris, sine culpa ulla tua amissurum certam quamdam po-
» testatem, quae ad continendos in officio populos et ad conservandam
» regni tui pacem ac tranquillitatem tibi hactenus necessaria fuit. Haec
» autem potestas, quae politicae administrationis pars est maxima, in
» ferendis circa subditorum tuorum matrimonia legibus consistit, dum
» alii ad illa contrahenda habiles, alii inhabiles, prout communi bono
» expedit, redduntur. Haec admonitio ad confutationem doctrinae recen-
« tium theologorum, ut cumulus accedit. » Pag. 705. et iterum pag. 747. ed. cit.

aspernari : haec enim omnia postulat, cui nomen dare cupis, religio. Vide quantum tibi sumas oneris. Iam vivis tuus, nullusque est, cui rationem reddere debeas factorum tuorum : at suscepta semel christiana religione, secretissimas actiones, imo et ipsas arcanissimas, ( si quid in iis contra legem christianam ultro tibi obrepat, ) cogitationes, quibus adeo saepe pascimur, cum aliquo e tuis subditis communicare, ipsique sincere aperire, referre, declarare teneberis. Nec satis : sed cum, ut fit, aliquando peccaveris, iniunget tibi poenas expiandis luendisque illis erratis, earumque aderit secretus ille quidem, at certe severus exactor. Quid memorem alia, quae tibi iam licita putas, quae tunc illicita futura sunt etc. Porro si haec aliaque eiusmodi non pauca quis principi christianam legem professuro proponi possunt, eum minime deterrere debent quominus, ut aeternae animae suae saluti prospiciat, eamdem amplectatur, multo certe minus eum absterrere ac retrahere debet potestatis cuiusdam amissio relate ad impedimenta, quibus irrita fiant subditorum suorum coniugia (56).

Ad alteram vero quod attinet responsionis partem, quae afficit emolumenta ac foenora, quae in christiana religione principibus obvenirent, animadvertunt catholici theologi, solam esse christianam religionem, quae efficaci ratione populos ad obsequendum principibus adigat, utpote quae eos subiiciat obedientiae principibus debitae, non solum propter iram, sed etiam *propter conscientiam*. Ipsa est, quae vera principum efficaciter solideque tueatur iura. Ipsa impedit, quominus quispiam vel solam cogitationem admittat, quae principem laedat, quominus de eo obloquatur, ei non obtemperet in omnibus, quae conscientiam non laedant, tributa non solvat, debitum ei non impertiatur honorem, atque ut verbo omnia complectar, illum tanquam Dei ministrum in bonum non spectet, eique

(56) Ita egregie in Launoium eiusque asseclas intorquet argumentum, quo ipsi maxime abutuntur Lhuillerius. Cui quidem retorsioni ad hominem factae nihil solidi reponi potest ad eam eludendam. Cf. op. cit. *Observatione* VII. §. IV.

tanquam Dei ipsius personam gerenti intra suae potestatis fines non obsequatur. A quibus omnibus, uti experientia non semel patefecit, longe absunt qui videntur adeo solliciti esse iurium principis, ut etiam indebita iura sub zeli specie illi vindicent (57).

Ita quidem passim theologi optime disserunt, quibus lubenti animo calculum nostrum adiicimus, immo vero nonnullis animadversionibus hic obiter huiusmodi responsiones ad regalistarum difficultates confirmamus. Difficultates hae suppositis nituntur, quae improbari pariter debent. Etenim 1. supponunt principibus non incumbere necessarium officium, sed eorum pene arbitrio relinqui christiani fiant nec ne, atque ad id ex principio *utilitatis* determinari debere. Supponunt 2. leges fieri potius ut principum voluntati ac leges ferendi auctoritati satisfiat, quam ut populorum necessitati provideatur, qui queruntur ac aegre ferunt, christianos populos civilibus legibus non indigere, quae matrimonium regant, eo quod Ecclesia regendum illud tanto felicius suscepit, similes videntur medico, qui forte quereretur aegrum sanitati supernaturaliter restitutum iam suis medicinis non indigere. Supponunt 3. civilem auctoritatem extra Ecclesiam principia publicae honestatis sancte servare posse et efficaciter promovere, dum contra experientia docet, dictamina ipsa naturalis honestatis tum in aliis, tum in re matrimoniali incerta atque inefficacia in pagana societate evasisse, ac nunc etiam evadere, simul ac Ecclesiae et religionis auctoritas a civili potestate contemnitur. Male igitur principibus tribuitur ius ferendi leges, quae matrimonii vinculum respiciant, quaeque illud vel impediant vel dirimant, dum adest ecclesiastica auctoritas quae profecto maiori scientia ac certitudine, maiorique efficacia honestati ac sanctitati coniugii providere potest. Itaque etiamsi principes, dum ex infidelitate ad christianam religionem veniunt, ius aliquod in matrimo-

(57) Hoc argumentum praeclare evolvit card. Gerdilius in suo *Trattato del matrimonio* par. II. §. IV. *Digressione.*

nium amitterent, id lucrum potius quam iacturam aestimare deberent (58). Haec atque alia huiusmodi dici possunt ac solent. At regalistae non acquiescunt. Fatentur religionis christianae commoda et emolumenta : at vellent ea a principibus acquiri, quin vel hilum pristinae auctoritatis amitterent. Esto, nos quidem dare id tuto possumus. Theologi quidem, qui principibus infidelibus ius illud tribuunt, se ab ipsis extricabunt, nos autem ius illud merito negantes, os adversariis obstruimus.

Sequitur 8. Ex eadem doctrina leges, quas circa matrimonium christianum principes sive infideles sive fideles tulerunt, illud per se irritare nunquam potuisse. Si enim infideles principes eo iure carent in matrimonium infidelium, quomodonam irritum quoad vinculum ac nullum in conscientia reddere poterunt christianum coniugium ? Principes vero christiani quomodonam per fidem ius acquisivisse dicendi sunt, quo ante fidem carebant ? Per fidem facti sunt quidem Ecclesiae filii, non domini. Quapropter dum aulici nobis obtrudunt imperiales leges, quae christiani matrimonii vinculum attingere videntur, in promptu est responsio, aut eas non attigisse eiusmodi connubia, nisi in foro politico-sociali, quoad effectus civiles; aut nullius valoris fuisse ultra limites politicae potestatis latas, atque utpote leges iniustas ex usurpatione ecclesiasticae potestatis; aut vim nactas obligandi esse ex Ecclesiae sanctione, dum eas probavit, et hac in hypothesi spectandas esse uti leges ecclesiasticas. Sicque evanescit haec difficultas tanto eruditionis apparatu ab adversariis congesta.

(58) Caeterum id necessario oritur ex ipsa natura rei ob novas relationes, quas in religione christiana principes fideles acquirunt cum Ecclesia, cuius subditi efficiuntur. Amittunt ius in sacra, si quod antea habuerunt ; amittunt ius in bona temporalia Deo dicata ; amittunt ius in personas divino cultui mancipatas ; subduntur illis in sacramentorum receptione ; in poenis canonicis, si quas promeruerunt, et ita porro in aliis prope innumeris. Quid mirum igitur si etiam quoad ius in coniugia subditorum, si quod unquam habuerunt, id ipsum contingat ? Haec vero dicta sint *ad hominem* ad os obstruendum adversariis.

Sequitur 9. Leges nominatim, quae ut nonnulli contendunt, antiquitus datae sunt a principibus ad illegitimas, seu nullas reddendas nuptias filiorum familias absque parentum consensu ac beneplacito, immo ipsis reluctantibus contractas (59), aut

(59) Fuit olim legum Romanarum dispositio, inquit Massei op. cit. *De matr. conscientiae.* Romae 1766., quod irritae essent nuptiae seu sponsalia filiorum familias absque consensu Patris et ex l. 2. *De rit. nupt.* et l. 12. c. *De nuptiis.* Hinc auctor *Tractatus de exam. duar. magni momenti quaestion.* circa matrimonium lib. 3. c. 2. sect. 13. miratur, quod Cuiaccius ad leg. 2. et 10. d. *De rit. nupt.* et Gothofredus ad l. 15. cod. tit. auctoritate Pauli *Recepta sentent.* lib. cit. 14. tenuerint nuptias a filiis familias initas insciis invitisque patribus irritas de iure Romano haud fuisse.

Leges etiam Ecclesiae prioribus seculis cum legibus Romanis hac de re conspirant; ut non diffitetur Ben. XIV. *De synodo* lib. 9. c. II. §. 3. Et ad haec priora secula referendi sunt canones, quos collegerunt Binghamus *Origin. sive antiq. Eccl.* vol. 7. lib. 16. cap. 7. §. 2. ait. cit. Auctor ubi supra.

Mutata postea fuit disciplina Ecclesiae, ut ibidem testatur Bened. XIV. §. 4. Caeterum requirit et Ecclesia *ex honestate* consensum parentum in nuptiis filiorum, idque ratione reverentiae a filiis parentibus debitae.

Hic vero nota cum iure naturae hac in materia consentire non *ius* Romanum, sed ius ecclesiasticum novum, ut observavit Wolfius. *De iure nat.* part. 7. §. 953. in not. De iure naturae tenentur utique liberi ex ea, quam parentibus debent, reverentia in negotio adeo gravi nuptiarum eorum consensum exposcere. At si consensum hunc exquirere omittant, non continuo irritae nuptiae fiunt. Non omnia, quae iure naturae disconveniunt, irrita sunt, sed ea demum, in quibus deest principium dans robur actui. At tale principium consensus parentum in nuptiis liberorum non est. Ipsum utique ad firmitatem nuptiarum, quasi naturaliter requirunt. Sed falluntur et fallunt. Quae afferunt argumenta hoc unum probant officium liberorum in parentes conveniens esse, ut parentum consensum exquirant, quod et nos concedimus cum temperamento, nisi manifeste iniqua sit voluntas parentum... Sed hinc, si verum amamus, non sequitur ius illud, quod facultatis, aut dominii nomine explicatur filio deesse, qui uxorem ducit et maturae debet esse aetatis, et abit extra familiam, ita ut hac in re regimini familiari non subiiciatur. Solum reverentiae officium neutiquam efficit, ut nullus sit, qui ei repugnat actus. Cf. Grotium. *De iure Belli et pac.* lib, 2. c. 1. §. 10. Puffendorf. *De offic. homin. et civ.* lib. 2. c. 5. §. 10.

Neque ius Rom. a iure naturae in hoc solum dissentit, quod declaravit matrimonium filiorum familias irritum sine consensu patris, sed et in eo,

quae insequentibus temporibus hac de re a regibus potissimum Galliarum identidem ac repetitis vicibus sancitae sunt, nullimode vinculum attigisse aut attingere. Nam si principum infidelium id excedebat auctoritatem, si excedit auctoritatem principum fidelium, perspicuum est, valida in conscientia esse quoad vinculum coniugia, quae filiifamilias contraxissent aut contraherent contra civiles tantum leges, quaeque simul non impingerent aut in legem naturae aut in legem divinam aut in legem ecclesiasticam (60).

Passim quidem auctores Galli contendunt, exceptionem esse faciendam quoad coniugia, quae contraherentur a regiae stirpis principibus, praesertim propioribus, et praesumptis coronae haeredibus, invito rege. Quaestio haec magno animorum aestu agitata est ex occasione coniugii initi inter ducem Gastonem, fratrem Ludovici XIII. ac sororem Caroli ducis, Margaretham principem Lotharingiae, non modo non consentiente, sed plane invito ac reluctante rege. Post plures consultationes tum a senatu Parisiensi, tum a clero Gallicano iudicium est latum pro nullitate illius coniugii, eo quod ita ferret vetus in Gallico regno consuetudo *ab Ecclesia* probata.

Verumtamen non omnes in eamdem concessere sententiam

quod ineundum voluit a filiisfamilias *cum consensu* eius parentis, in cuius potestate est. Alligavit ius rom. necessitatem consensus parentum in nuptiis liberorum, non reverentiae ipsis debitae, sed patriae potestati; eaque propter et matrem et caeteros ascendentes, quin et ipsum patrem, qui filios emancipavit negligi permisit. Observavit hoc et August. Leysser in *Meditation. ad Pandecta*, vol. 5. specul. 291. §. 2. et 3.

(60) Quo sensu D. D'Hericourt op. cit. *Loix ecclesiast.* part. 3. chap. 5. *Du mariage* art. 2. num. 74. conciliare nititur Galliarum leges de nullitate coniugiorum filiorumfamilias, invitis parentibus, cum concilii Tridentini doctrina declarantis illorum legitimitatem seu valorem scribens : « En » France, on déclare nuls les mariages célébrés par les mineurs, sans le » consentement de leurs père et mère, ou leurs ancêtres; parceque le » rapt de séduction y est regardé comme un empêchement dirimant de » mariage; et que l'on présume toujours que des mariages de cette nature » sont des effets de la séduction.... à l'égard des majeurs, il faut des preuves » positives de la subornation. »

sive episcopi sive theologi, eo ipso quod nondum satis constitisset de eiusmodi consuetudinis existentia, neque de eiusdem consuetudinis vi; num scilicet ad solum forum externum effectusque civiles extenderet coniugii illegitimitatem, an etiam ad foedus ipsum seu vinculum, ita ut nullum illud foret ac irritum. Nec deerant pro utroque placito rationum momenta (61). Quin etiam dubium excitatum est circa naturam illius ecclesiasticae approbationis, ad quam appellabant, qui steterunt pro nullitate illius connubii. Siquidem aliud est consuetudinem aliquam ab Ecclesia probari, ita ut quae iuxta illam fierent, dummodo sanctionibus canonicis non adversarentur, haberentur rata ab Ecclesia, aut etiam improbarentur, quae contra eamdem legitimam consuetudinem attentarentur; aliud vero quod Ecclesia consuetudinem illam ita probaverit, ut induceret impedimentum dirimens. Quae profecto inter se permisceri nec possunt nec debent.

Quin nos salebrosam hanc disceptationem ingrediamur, dicimus, quod si reipsa eiusmodi obtinuit consuetudo ab Ecclesia eo sensu probata, ut irritum faceret coniugii foedus in

(61) Cf. Scipion Dupleix *Histoire de Louis le Juste XIII. de nom, roi de France.* Paris 1635. qui ad an. 1634. ita scribit : « Or comme tant de l'assemblée du clergé, qu'autres qui avaient *un sentiment contraire* à celui des députés, approuvaient bien et fort volontiers que le roi a pouvoir d'interdire le mariage avec certain parti, à tel de ses sujets que lui semble; et pourtant que ce sujet ne le peut contracter valablement sans le consentement de sa majesté : *mais cela s'entend politiquement et civilement ;* c'est-à-dire quant au contract et à la convention civile, *non pas quant au sacrement.* De sorte que cette contravention mérite peine même capitale, si le roi ne fait grâce au criminel. Mais s'il n'y a point d'autres obstacles ou empêchements au mariage, il *ne laissera pas d'être valable, canonique et legitime quant au sacrement.* Ni plus ni moins que si le roi défendait à un prince du sang ou à quelqu'autre de ces vassaux ou sujets de faire baptiser son enfant en l'église des calvinistes, ou par certain prêtre; et que néanmoins il fût baptisé par un ministre ou réligionnaire, et par ce prêtre-là; l'enfant laisserait-il de recevoir un baptême valable? Par exemple encore si le roi défendait à un de ses sujets de prendre les ordres sacrés, et que néanmoins au préjudice de cette défense il s'y fît promouvoir, laissera-t-il d'être vraiment et canoniquement ordonné prêtre? »

principibus regio sanguine prognatis, rege invito contractum, nullum quidem fuisse coniugium Gastonis, ducis Aurelianensis, contractum cum Margaretha Lotharingia, prout irritum fieret aliud quodcumque in iisdem rerum adiunctis initum; ast non ob inhaerens regiae auctoritati ius statuendorum impedimentorum dirimentium, sed ob accedentem Ecclesiae auctoritatem. Alioquin prohibitio regia non attigisset nisi effectus civiles, firmo manente coniugali foedere ac vinculo, prout reipsa cernitur in praesenti causa accidisse, in quo regis postea superveniente consensu, ratum habitum est Gastonis cum Margaretha connubium absque ulla consensus renovatione aut ratihabitione (62). Sin vero alterutrum defuerit, scilicet consuetudo vel Ecclesiae in sensu exposito approbatio, evidens est in foro conscientiae illud coniugium viguisse. Et haec hactenus de hoc facto, quod quamvis nunc temporis parum aut nihil nostra intersit, expendendum tamen erat, ut fieret satis adversariis, qui eo abusi tantopere sunt ad germanam catholicam doctrinam oppugnandam.

Demum ex eodem principio, quod principes infideles iure careant in matrimonii vinculum, deduci et illud debet non modo principibus infidelibus, verum etiam christianis ius non esse dispensandi ab impedimentis dirimentibus, quemadmodum nec illa possunt statuere; neque iis ius esse diiudicandi quoad vinculum causas matrimoniales, et ne singula persequamur, catholica doctrina de potestate exclusiva Ecclesiae in matrimonium christianum mirifice confirmatur. Secus vero ex contrario principio consectaria, quae plus minus a catholica doctrina abludunt, deducta sunt ac deducuntur non modo ab Ecclesiae hostibus, sed etiam a catholicis scriptoribus doctis et piis.

Atque ut pene obsoletas paulo ante recensitas Sanchezii, Petri Soto, Gerbaesii, Drouinii aliorumque magno numero, qui illis adhaeserunt, omittamus sententias, illas recensere contenti

(62) Cf. Lhuillier *Observat.* IX. §. II. ubi excutit totum hoc negotium, quo abusus fuerat ad rem suam Launojus.

erimus, quas non ita pridem cum suis D. Carrière recensuit et complexus est. Talis ea est, qua statuit, « impedimenta dirimentia in codice civili statuta, excepto *forte* illo, quod oritur ex » morte civili, reddunt matrimonium invalidum, quantum ex » se est, quoad ipsum foedus coniugale et in foro conscientiae (63). » Animadvertit autem per voces illas *quantum ex se est*, significari quaestionem ab ipso expendi quoad *factum* tantum, independenter *a iure* seu potestate principis, de qua alibi egerat (n. 547 et seq.) ac proinde assertionem suam vario sensu esse sumendam pro variis opinionibus circa illam principum potestatem. Iam vero idem auctor loc. cit. adstruxerat, potestatem principes habere statuendi impedimenta eiusmodi, quae nullum quoad vinculum efficerent suorum subditorum coniugium. Mens itaque eius est (seu potius fuit) in praesenti propositione, quod reipsa codicis civilis legibus nulla ac irrita fiant in conscientiae foro connubia contra leges civiles inita.

Ex hac autem doctrina fundamentali colligit hic auctor pro praxi in Galliis, fideles absque dubio teneri, saltem generaliter loquendo, coram *officiario civili* se sistere ut nubant, idque infert ex principiis a se constitutis, quia *alioquin matrimonium futurum esset irritum*, aut saltem possent contrahentes se exponere periculo faciendi matrimonium irritum ob *probabilitatem*, quam habent praestituta a se principia (64). Verum quod possint, immo vero quandoque etiam debeant fideles coram magistratu civili se sistere ad celebrandas nuptias concedi utique potest tum ob alia, tum etiam ad vitandas molestias atque incommoda, quibus secus subiici possent, praesertim cum agatur de re per se indifferenti. Ast irritum vocare coniugium, quod sine magis-

(63) Op. cit. tom. II. n. 944 seqq. qui allegat pro hac sententia Baston tum in *Theol. Rothomag.* append. ad tract. De matrimon. ed. 1818., tum in op. cui tit. *Concordance des lois civiles et de lois ecclesiast. de France touchant le mariage.* 1824. I. vol. in-12. D. Bouvier in duabus prioribus editionibus c. IV. art. IV. §. 1. D. Icard *Dissert. de impedimentis iure civili inductis* adiecta novae editioni Theologiae P. Billuart 1829. c. II.

(64) Loc. cit. n. 1028.

tratus civilis praesentia initum fuerit, aut saltem illud probabiliter invalidum dicere ac nullitatis periculo obnoxium, id ferri nulla ratione potest.

Colligit 2. melius consuli sacramento, si matrimonium prius ineatur coram officiario civili, quam celebretur coram parocho (65). Neque hoc nos abnuimus ob eadem motiva modo recensita, atque ob statuta synodorum provincialium, ritualium, aut episcoporum, qui praecipiunt parochis, ne coniugiis assistant, quin contrahentes prius se constituerint coram magistratu civili. Improbamus autem ac prorsus reiicimus fundamentum, cui ipse innititur ad hoc asserendum, petitum ex vi impedimentorum civilium (66). Multo vero magis respuimus rationem, quam adducit ex Baston ad hoc ipsum adstruendum. Quae quidem ratio haec est : « Cum sacramentum non existat, ait ipse, » nisi quatenus contractus est validus, tunc tantum perficitur » sacramentum, quando perficitur contractus : si igitur cele- » brationem civilem praecedat celebratio religiosa, *sacramen- » tum perficitur tantum coram magistratu civili.* Porro exinde » multum periclitatur dignitas, imo et existentia sacramenti. » 1. *Dignitas :* quis non videat quam indecorum sit sacramen- » tum recipi coram magistratu civili? Id est in aedibus profanis,

(65) Ibid. n. 1030.

(66) Adeo hic auctor de firmitate sententiae suae circa vim impedimentorum civilium ad dirimenda coniugia persuasus fuit, (siquidem, ut monuimus, nunc praeclarissimus vir ab hac sententia discessit), ut cum ex Benedicto XIV. in *Epistola ad missionar. Hollandiae ( De synodo*, lib. VI. c. VII. n. 5.) attulisset, consultius esse si catholici, non nisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato ad illam explendam civilem ceremoniam secularem magistratum adirent; quod si id fieri nequeat, id saltem pro viribus satagant, ut postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere; atque ex Pio VI. monente catholicos Galliae, qui non possunt parochum adire, « curare debere contrahere matrimonium coram testibus » et quidem, quoad fieri posset, catholicis, *prius quam municipalitati se prae- » sentes sisterent :* » cum haec, inquam, attulisset, adiecit : « Illi duo ponti- » fices in ea loquuntur hypothesi, *quod declaratio civilis non requiratur ad » validitatem matrimonii.* » Quibus fatetur se hac in doctrina a mente et doctrina recedere duorum summorum pontificum.

» qui omni hominum generi usui sunt, in coetu non raro » tumultuante, iocante etc. Sane multo aptius reciperetur » sacramentum in ecclesia. 2. *Existentia sacramenti :* » sacramentum existet quidem, si admittatur contrahentes » esse ministros (67), sed cum incommodo mox exposito. Si » autem sacerdos sit minister, valde periclitatur existentia illa : » etenim quando datur benedictio, nondum existit materia, » imo fieri potest ut nunquam existat : ergo nondum existit » sacramentum. Quando ponitur materia, iam non adest forma : » cum ergo in sacramento materia et forma coëxistere debeant, » valde saltem dubium est, an hic adsit sacramentum (68). »

Colligit 3. non posse sacerdótem matrimonio coniungere sponsos civili impedimento irretitos, antequam sublatum fuerit impedimentum, eo quod tale matrimonium esset *irritum*, ut ipse loquitur, *ex nostris principiis*. Quapropter si secus ageret, sacerdos tutus haud esse posset in conscientia. Quin etiam, si secum cohaerere velit hic auctor, deberet, sublato impedimento civili, saltem sub conditione iterare coniunctionem in facie Ecclesiae. Verum opus non est inductione, cum ipsemet id aperte declaret. Nam cum sibi proposuerit dubium : « Utrum » possit sacerdos ministerium suum praebere matrimonio, cui » obstabat quaedam nullitas civilis, sed quae iam civiliter pur- » gata fuit. » Respondet : « Ratio dubitandi oriri potest vel ex » eo quod lex civilis, purgata nullitate, non praecipiat renovari » consensum, qui prius fuit invalidus; vel ex eo quod non satis » constet de natura huiusmodi nullitatum. Attamen respon- » dendum *affirmative :* cum enim legi civili satisfactum sit, quae » nihil amplius exigit, si pariter satisfiat legi religiosae, nihil » iam matrimonio deerit. »

(67) Non video hoc sequi ex sententia de contrahentibus ministris sacramenti matrimonii, cum ex lege Tridentina, ubi ea publicata est, requiratur praeterea praesentia parochi ad valorem sacramenti, prout reipsa in Galliis decretum Tridentinum fuit publicatum. Haec doctrina est prorsus erronea.

(68) Ita Baston *Theol. Rothomag.* pag. 557. apud Carrière I. c. n. 1052. Ex hac porro expositione patet, quo ducat sententia de contractu civili uti materia sacramenti matrimonii.

« Et vero, subdit, vel nullitates, de quibus hic agitur, habentur tantum ut conditionatae, vel existimantur producere effectum absolutum. Si primo, nulla est difficultas: deficiente enim conditione, matrimonium statim valet (69). Idem dicendum, si impedimentis tribuatur vis tantummodo suspensiva. Si secundo, lex profecto nec voluit nec velle potuit, ut personae illae in perpetuo concubinatu viverent : cum ergo ex parte sua nihil exigat ad revalidationem, earum conscientiae curam remisit ea agendi, quae forent necessaria, ut vere coram Deo coniungerentur. Igitur peracta celebratione religiosa, perfectum erit omni ex parte matrimonium ; hanc proinde nihil impedit (70). »

Aliis deinde simili ratione non paucis quaestionibus se implicat idem auctor , quibus solvendis aut in angustias se redegit, aut non parum haerentem se ostendit, aut in erroneas sententias impingit; quae quidem omnes pendent a semel constituto principio de potestate principis politici leges sanciendi, quae irritum faciant suorum subditorum coniugium. Sic non veretur affirmare ob impedimenta civilia haud posse parochum etiam in necessitatis casu in mortis videlicet articulo, eos coniungere, qui hactenus in concubinatu versati sunt, saltem sine consultatione superiorum ecclesiasticorum. Item non posse sacerdotem suum praebere ministerium iis, qui aliquo civili impedimento irreparabili fuerint irretiti; si vero impedimentum temporarium sit, suspendi debere celebrationem coniugii, donec fuerit sublatum. Ita etiam non dubitat vocare matrimonium *inchoatum* et nondum perfectum, quod canonice, seu iuxta Ecclesiae leges

(69) Nescio quo sensu intelligi velit auctor, quum affirmat *deficiente conditione* matrimonium statim valere. Vel enim intelligit per matrimonium contractum civilem, qui ex eius sententia est materia sacramenti, et tunc bene quidem secundum illam tamen erroneam sententiam : sed si intelligat matrimonium completum, in foro conscientiae et coram Deo etiam admissa ipsius sententia, hoc matrimonium, nisi renovetur consensus coram Ecclesia non existit profecto.

(70) Loc. cit.n. 104.

fuerit contractum, donec civili lege perficiatur; atque interim haud posse coniuges matrimonio inito coram Ecclesia uti, nisi prius coram magistratu consensum rite praestiterint. Affirmat, nullum fuisse sacramentum quoad eos, qui praetermisso foro civili, solum coram Ecclesia coniugium celebraverint, idque *ex defectu idoneae materiae*, quae in eius systemate constituitur ex contractu civili; quodque deterius adhuc est, affirmat item perfici sacramentum, cum renovatur consensus coram magistratu, in eorum sententia, qui tenent contrahentes ministros esse sacramenti.

Neque id satis; sed praeterea affirmat eos, qui coniugium coram Ecclesia celebrarunt cum aliquo civili impedimento, ideo solum non debere admitti ad novum matrimonium, quod sententia, quam ipse propugnat, non sit omnino certa, sed per se utique posset; imo ulterius adhuc progrediens validum pronunciat novum matrimonium, quod iniretur, quin obstet celebratio matrimonii prioris in facie Ecclesiae et iuxta leges canonicas, utpote irritum ob impedimentum civile, concluditque hoc secundum matrimonium in utroque foro initum non esse dissolvendum, licet prius alterum canonice celebratum fuisset.

Sed neque hic subsistit; siquidem in hypothesi, quod matrimonium sit mere civile, ac propterea irritum, eo quod coram parocho non fuerit celebratum; cum tamen a lege civili uti validum habeatur, efficit, ut prius matrimonium ecclesiasticum non possit perfici in foro civili; seu fieri insanabile. Ex quo deducit eos, qui solo ecclesiastico coniugio copulati sunt, longe probabilius debere in perpetua continentia vivere, ut sic propriae saluti prospiciant.

Insuper; si matrimonium ecclesiasticum ineatur cum aliquo impedimento civili temporario, nondum purgata nullitate hac temporaria, matrimonium foret irritum, donec impedimentum tollatur; si vero agatur de impedimento civili absoluto, matrimonium ecclesiasticum absolute irritum esset, adeoque coniuges continere se deberent. Hoc autem in casu possent sibi coniuges postulare nullitatem matrimonii iam initi, ut suppo-

nitur, canonice et in facie Ecclesiae; in quo per se nullum malum esse autumat (71).

Hae atque aliae eiusmodi doctrinae alienae omnino sunt non solum a communi theologorum placito, verum etiam a mente et praxi catholicae Ecclesiae, Romanorumque pontificum; neque ulla ratione probari possunt, multo vero minus in praxim deduci.

At vir alioquin doctus et pius, D. Carrière in has sententias adductus potissime est ex generali illo principio, quod ius in matrimonii vinculum inhaerens sit principatui, ita ut principes infideles hoc iure potiti fuerint, atque potiantur in subditos suos infideles, aut saltem uti potuerint ac possint. Hoc enim semel adstructo, pronum erat inferre, prout haud pauci intulerunt, eodem iure potiri principes fideles in subditos suos sive fideles sive infideles, cum eo spoliari nequiverint per religionis christianae professionem, tum huic iuri principes cedere non potuisse in gratiam Ecclesiae, cum agatur de iure prorsus inalienabili, regiaeque dignitati inhaerente; tum Rom. pontifices minime illis usum eiusdem iuris interdicere potuisse, eo vel maxime, quod in istorum theologorum sententia imperatores christiani ad longum tempus legitime eo usi fuerint; tum necessarium esse simultaneum utriusque potestatis concursum ad statuenda impedimenta dirimentia; vel potius Ecclesiam hac facultate pollere ex concessione principum; vel principum potestatem exclusivam esse, ita ut unice Ecclesiae reservata sit sacramenti administratio.

Concludere itaque merito possumus, totam pene controversiam de ecclesiastica ac civili in matrimonium christianum potestate, magna ex parte pendere ex sententia de potestate principum infidelium. Qui illud ius tribuunt principibus infidelibus, ii in controversia de matrimonio christiano se difficultatibus implicant, a quibus, ut nobis videtur, aegre se expediunt,

(71) Ibid, an. 1028. ad n. 1044.

quandoque etiam nonnulli in erroneas omnino sententias deveniunt. Qui illud ius principibus infidelibus negant, doctrinam catholicam circa originariam, divinam, independentem atque exclusivam potestatem Ecclesiae in coniugium christianum, et circa potestatem constituendi impedimenta dirimentia, atque circa alias affines quaestiones, felici successu, ut pariter nobis videtur, ac solide proponunt; sibi semper philosophice et theologice cohaerent et a difficultatibus eas vindicant. Huic tractationi nostrae hac controversia de potestate principum infidelium finem imponimus, ex qua corollaria dimanant, quae doctrinae per totum librum vindicatae recapitulatio quaedam sunt et confirmatio.

Tractatum nostrum de legifera potestate ecclesiastica et civili, quod ad matrimonium christianum attinet, eo disquisitione ac disceptatione perduximus, ut quisquis sanae sit mentis, suique, ut ita dicam, compos, per se possit planissime perspicere, quibus fundamentis, iisque quam solidis, Ecclesiae iura, matrimonium christianum spectantia, innitantur. Per idem tempus nostrarum disquisitionum lector ex se colligere facile potuit, quam absurda, quamque demonstrando imparia fuerint aulicorum hominum, aut quos nuncupant, *regalistarum* argumenta, quibus sua, quae dictitant, in christianum matrimonium iura potestati civili vindicare perperam conantur. Prima enim, undiqueversum ea consideres, tibi se consentanea prorsus rationi praeferunt, auctoritate cuiusquemodi comprobata, facto et consuetudine omnium saeculorum ac gentium, et, quod mirere, sub ipsa ethnicorum dynastarum dominatione, confirmata. Altera vero, si aetatem respicias, medio proclinante aevo primum inducta; falsis, ac nutantibus male fulta argumentis; tyrannidis imperio imposita et sustentata, non aequi bonique ob ipsam populorum in ius pronitatem accepta; atque ab hominibus pravissima imbutis institutione, corruptissimaeque addictis doctrinae propugnata usque eo, dum enata protestantium secta viam ad omne Ecclesiae ius evertendum patefecerit, plurimique illam inierint, ac pertinaci postmodum impietate institerint.

Iam age obsisti temere veritati potest, vis inferri non potest. Ipsa enim saeculorum progressu, protritis concultatisque erroribus, victrix tandem triumphat. Idem ipsum, quod pertractavimus argumentum, insigne est victricis Ecclesiae trophaeum. Iam impetus olim acerrimi, quibus ecclesiastica iura ferocissime impetebantur, non refrixere modo, sed fere admodum extincti: neglecta ac pene despectui habita audacium, ac perduellium hominum opera, qui in sanctissimam Ecclesiae potestatem insurrexere. Ecclesia enim suis secura iuribus potitur ac fruitur, neque pacificam illorum possessionem, aut usuram clamitationes unquam impiorum evertere, aut minimum quidpiam de iis deminuere valebunt. Quod animos quidem catholicis addit scriptoribus. Impavida enim fronte Ecclesiae hostibus bellum possunt indicere, et confidentissime pugnam inire. A quorum enim partibus stat Ecclesia, ab iis et veritas stat, et certus cum veritate triumphus.

# INDEX

LIBER SECUNDUS

## DE POTESTATE LEGIFERA ECCLESIASTICA ET CIVILI

IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM

### SECTIO PRIMA.

## DE POTESTATE ECCLESIASTICA

IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.


CAP. I. — GENERALIS IDEA ECCLESIASTICAE POTESTATIS IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

ART. I. Potestas in matrimonium christianum Ecclesiae inest iure divino. . . . . pag. 5

ART. II. Potestas Ecclesiae in matrimonium christianum suprema est et independens. . . . . » 10

ART. III. Potestas in matrimonii christiani vinculum solius est propria Ecclesiae . . . . . » 22

CAP. II. — DE ECCLESIAE POTESTATE CONSTITUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONIUM DIRIMENTIA.

ART. I. Historica controversiae totius expositio. . . . . » 31

ART. II. Potestas Ecclesiae constituendi impedimenta dirimentia *dogmatice* definita censeri debet in concilio Tridentino can. III. et IV. session. XXIV. . . . » 43

ART. III. Concilium Tridentinum can. III. et IV. session.

XXIV. *Ecclesiae* nomine clericalem coetum, seu ecclesiasticam hierarchiam, prout a laicis ac secularibus principibus distinguitur, significavit. . . . » 57

Art. IV. Canones Tridentini III. et IV. sess. XXIV. de potestate propria ac originali Ecclesiae intelligi debent, non autem de potestate adventitia, quae ex principum sive expresso sive tacito consensu proveniat. 66

CAP. III. — DE ECCLESIAE POTESTATE DISPENSANDI IN IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

Art. I. Romanus pontifex pro suprema, qua pollet, auctoritate in Ecclesia, dispensare potest in ecclesiasticis impedimentis matrimonium dirimentibus. . . » 78

Art. II. Episcopi sive seorsum sumpti sive etiam in conciliis particularibus congregati relaxare nequeunt iure proprio ecclesiastica impedimenta matrimonium dirimentia. . . . . » 92

Art. III. Argumenta expenduntur quibus Neoterici episcopis vindicare sategerunt ius proprium relaxandi ecclesiastica impedimenta matrimonium dirimentia. . » 107

Art. IV. Distinctione facta inter impedimenta dirimentia ex iure naturali et ex iure positivo infertur quousque se porrigat dispensandi facultas. . . . . » 125

CAP. IV. — DE ECCLESIAE POTESTATE SANANDI MATRIMONIA IN RADICE.

Art. I. Sanationis matrimonii in radice vera notio exhibetur . . . . . » 146

Art. II. Romano pontifici vindicatur potestas sanandi matrimonia in radice. . . . . » 153

Art. III. Effectus illustrantur huius potestatis tum relate ad coniuges, tum relate ad prolem. . . . . » 161

CAP. V. — DE ECCLESIAE POTESTATE IN CAUSAS MATRIMONIALES AC IN SPONSALIA.

ART. I. Causae omnes matrimoniales, quae intimam contractus naturam attingunt, ad solos ecclesiasticos iudices spectant . . . . . » 169

ART. II. Sponsalia, quatenus ad sacramentum matrimonii disponunt, subiacent iuri Ecclesiae . . . . . » 180

CAP. VI. — DE ECCLESIAE POTESTATE IN MATRIMONIA HAERETICORUM INTER SE VEL CUM CATHOLICIS.

ART. I. Generatim matrimonialis Ecclesiae legislatio matrimonia respicit non modo catholicorum, verum etiam mixta et haereticorum. . . . . » 187

ART. II. Nominatim quoad impedimentum clandestinitatis, quaestio enodatur iuridica: an clandestina matrimonia sive mixta, sive haereticorum sint irrita. . » 192

§. I. Illorum argumenta, qui pugnant pro valore coniugiorum clandestinorum, quae sive celebrantur inter catholicos et acatholicos sive inter solos acatholicos in locis, in quibus publicatum est decretum concilii Tridentini, proferuntur. . . . . » 194

§. II. Argumenta proferuntur eorum, qui matrimonia sive mixta, sive acatholicorum inter se, nulla ac irrita esse contendunt, ubi decretum Tridentinum fuit publicatum . . . . . » 205

§. III. Apostolicae Sedis decreta circa matrimonia acatholicorum inter se et matrimonia mixta, ubi publicatum ac receptum est decretum concilii Tridentini. » 209

§. IV. Argumentorum, quae pro utraque sententia allata sunt, epicrisis. . . . . » 221

§. V. Sententia, quae tenet irrita esse clandestina matrimonia haereticorum ac mixta, ulterius illustratur, certis limitibus definitur ac vindicatur. . . . . » 231

ART. III. Quaestio exponitur historica ubinam Tridentinum decretum de matrimoniis clandestinis publicatum

fuerit , ac ubinam auctoritate apostolica eidem derogatum . . . . . » 239

Art. IV. Quaestiones nonnullae enodantur relate ad impedimentum clandestinitatis in matrimoniis sive catholicorum , sive mixtis , sive haereticorum. . . . » 260

CAP. VII. — DE ECCLESIAE POTESTATE IN MATRIMONIUM INFIDELIUM CUM FIDELIBUS VEL INTER SE.

Art. I. Quaestio praemittitur theologica de natura matrimonii ante et post infidelium coniugum baptisma. » 278

Art. II. Quaestio expenditur iuridica de potestate ecclesiastica in matrimonia infidelium post unius vel utriusque coniugis conversionem , nec non in matrimonia fidelium cum infidelibus. . . . . » 295

## SECTIO ALTERA.

## DE POTESTATE CIVILI

### IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM

CAP. I. — GENERALIS IDEA CIVILIS POTESTATIS IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM

Art. I. Iura definiuntur civilis potestatis quoad civiles effectus matrimonii christiani. . . . . » 325

Art. II. Officia indicantur civilis societatis relate ad Ecclesiae leges de matrimonio christiano. . . . . » 331

CAP. II. — DE CIVILI POTESTATE PRINCIPUM FIDELIUM CIRCA MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

Art. I. Principes christiani nullatenus habent originariam atque exclusivam potestatem constituendi impedi-

menta matrimonium christianum dirimentia. . » 336
Art. II. Principes christiani non modo carent exclusiva potestate constituendi impedimenta matrimonium christianum dirimentia, sed neque potestatem habent cum Ecclesia communem. . . . . » 356
Art. III. Principes christiani nullatenus relaxare fideles subditos possunt ab impedimentis christianum matrimonium dirimentibus. . . . . » 374
Art. IV. Causae matrimoniales, quae vinculum respiciunt matrimonii christiani, perperam civili christianorum principum foro adiudicantur. . . . . » 403

CAP. III. — DE CIVILI POTESTATE PRINCIPUM INFIDELIUM RELATE AD MATRIMONIUM.

Art. I. Principes infideles ius non habent constituendi impedimenta matrimonium infidelium dirimentia suisque legibus nullatenus vinculum attingere possunt. . . . . » 414
Art. II. Corollaria deducuntur ex statuta doctrina, per quam lux affunditur toti controversiae de ecclesiastica et civili potestate relate ad matrimonium christianum. . . . . » 443

IMPRIMATUR

FR. DOMINICUS BUTTAONI, O. P. S. P. A. MAGISTER.

IMPRIMATUR

FR. A. LIGI BUSSI, ARCHIEP. ICONIEN. VICESGERENS.

—

IMPRIMATUR

Leodii 3. Januarii 1860.

† THEODORUS, Episcop. Leodiensis.

236.7
P.429

210

PERRONE

AUTHOR

De Matrionio Xtiono - Vol II

TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
| --- | --- | --- |
| | Donnelly | |
| | STORAGE - CBPL | |
| | | |

210